GRAMMATICA LATINA

EX PRÆCIPUIS VETERUM ET RECENTIORUM GRAMMATICORUM, Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum, Philologorum, Poëtarum, &c. Coryphæis, in legitimum Syſtema, qua fieri potuit brevitate, redacta:

NUNC

DENUO RECOGNITA, SUB INCUDEM REVOCATA, EMACULATA, SCHOLIIS NOVIS, neceſſariis ac utilibus, Exemplis item & Obſervationibus, perſpicuè illuſtrata:

STUDIO ET OPERA

CASPARI FINCKII, ET CHRISTOPHORI HELVICI, PHILOSOPHIÆ antehac in Academia Gieſſena Profeſſorum.







GIESSÆ HESSORUM,

Excudebat Nicolaus Hampelius, Typogr. Acad.

M DC XV.

STRENVO AC NOBILISSIMO VIRO,

DN. HILMARO à Münch-
hausen / SATRAPÆ IN Ertzen /
HÆREDITARIO IN Schwöbber /
Wendlinghausen & Rindtlen /
Domino ac Mecœnati nostro perpe-
tim honorando,

Salutem ac incolumitatem à Christo precamur.



On immeritò, Strenue & Nobilissime Dn. Satrapa; *Ludov. Vives Valẽtinus, Vir in omni disciplinarum genere exercitatissimus*, l. 2. de caus. corr. discipl. *reprehẽdit Iohannẽ quendam Dullardum praeceptorem suũ, quòd saepissimè illud repetiverit: Quantò eris melior Grammaticus, tantò pejor Dialecticus & Theologus.*

Quis n. ignorat illud Aristotelis: verum consonare vero, omnesq́ artes invicem vicarias operas præstare, atque sororio vinculo, ut Cicero *ait, conjunctas esse. Quantam barbariem in Theologiã invexerit Grammaticæ contemptus, quis ex historiis anteactorũ temporum non animadvertit? De Theologis Parisiensibus Petrus Ramus* lib. 2. Scholar. Grãmat. *scribit, quòd eò confidentiæ processerint, ut sacrarũ literarum professoribus merũ imperiũ in omnes artes & sciẽtias attribuerint, & velinvito Prisciano,* Ego amat, *si non Grammaticè, at certè Theologicè dici posse affirmarint. Quæ ipsorum ridicula & verè barbara superbia, nisi posteà se-*

vero

vero interdicto coërcita fuisset, quot deliria, quot monstra, quot denique hæreticos errores ex orco quasi revocasset? Si veris pretiis rē æstimamus, idem contigisset, quod presbytero illi Bavaro, qui Grammaticæ ignarus Puerū baptizaverat in nomine Patria & Filia & Spiritua sancta; *qui horridus Baptismus postea magnas cōtentiones peperit, Bonifacio Episcopo Mogūtino puerū rebaptizari jubente, at Salispurgensi Episcopo Virgilio & Sidonio Pōtifice Laureacēsi ratum habente, donec tandem Zacharias Pontifex dißidiū solvit circa annū Christi 745. ut Aventinus annotat* l. 3. Annal. *& Solœcismū istū crassum Canone confirmavit* dist. 4. c.

retulerint. *Bartolus Iure-cõsultus licet in cæteris benè, in hoc tamẽ malè audit, quod contra regulas Grãmaticas dixit: De verbibus non curat Iure-consultus, teste Ludovic. Vive* l.1. de corrupt. discipl. *Ab omnibus laudatur Galenus* —— σοφίη μὲν ἀλίγκιος ἀθανάτοισι, *id est*, Sapiẽtia Diis similis immortalibus, *quòd cum illis gravioribus operis humanioris hoc Sapientiæ studiũ conjungere dignum duxit. Quid? nónne Plato* in Philebo *tractat, qua via deceat literarum doctrinã institui? nónne* in Cratylo *de Grãmatico argumẽto disputat, & hoc agit, ut nomina rebus rectè imponat vel,* ut Scal. loquitur, *ut Orationis vel totius vel partis reddat rationem? nonne primus*

mus Grammaticæ vim speculatus dicitur, nimirũ, quia Etymologias studiosè investigavit, ut est apud Laërtiũ l. 3. *Nonne Aristoteles genera & affectus primorum Elemẽtorum cõprehendit, & comprehensa literis mandavit, & ut* Quintilianus ait lib. 1. c. 4. *nomina & constructiones tradidit? Nimirum intellexerunt, Grammaticæ ignaros in cæteris versari scientiis, sicut hospitem in regione ignota: Per hanc n. nobilissimæ cuiusq; disciplinæ cursus aperitur: Hæc in omnibus non clavẽ modò, sed & clavum tenet. Hæc necessaria pueris est, ut iterum.* Quintilianus ait lib. 1. c. 4. *jucunda senibus, dulcis secretorum comes, & vel sola ex omni studiorum gene-*

re plus habet operis, quàm ostentationis. Hinc factum, ut Romani, licèt olim, teste Suetonio, *apud eos Grammatica ne in usu quidem, nedum in honore fuit, quoniam bellis operam dabant; postea tamen tanto eam in honore habuerint, ut etiã Luctatio Daphnidi Grammatico ducenta millia numûm donarent, & Q. Catullum, vel, ut alii volunt, Scaurum, emerẽt, ac brevi manumitterent. Quantum honorem exhibuerint Apollodoro Grammatico Amphictyones Græciæ*, Plinius *docet* lib.7.c.37. *L. Cæcilius Epirota, quem inter illustres Grammaticos refert Suetonius, C. Iulio Cæsari nõ tantùm carus fuit ac familiaris, ut cum eo, si credimus Macro-*

crobio, pila lusitarit; Sed ipse etiam Julius Cæsar inter tumultus bellicos ad Ciceronem scripsit libros de Analogia, *hoc est, de recta loquendi Ratione. Quin & de Carolo Magno produnt Crantzius* l. 2. Saxoniæ c.8. *& Aventinus* lib.4. *quòd Grammaticam patrii sermonis conscripserit.*

Quæ omnia cùm ita sint, & nos curæ pretium facturos duximus, si Grammaticam Latinã accuratè conscriberemus, methodo succincta concinnaremus, scholiis necessariis, observationibus utilibus, p̃ceptionibus brevibus, exemplis perspicuis illustraremus, uno verbo, hoc ageremus, ut studia discentium pro virili ac ex omni parte juvaremus,

atque adeò quasi futuræ famæ vadum tentantibus præmitteremus, qui labor noster ad solius Dei gloriã, Ecclesiæ cõmodum & Reipublicæ literariæ emolumentum, tanquam ad Helicen & Cynosuram quandam unicè spectans, omnibus bonis & verè doctis tam fuit grat⁹ quàm qui gratissimus. Quanquã a unius aut alterius invidiã sustinere coacti fuimus, illã tamen, Scaligerum imitati, neque placare credendo, neque instando superare voluimus, sed contemnere potiùs (cum nullius precii sit) quàm deprecari.

Vestro verò amplissimo Nomini, Strenue ac Nobilissime Dn. Satrapa, *opus hoc Grammaticum multis de causis inscribimus, & debita*

bita

bita cũ observantia offerimus: non quòd illud tãtum esse statuamus, ut nominis vestri amplitudini æquari poßit, sed cùm nunc aliud nihil habeamus, observantiam & studium nostrum qualicunq; signo declaremus. Nota n. nobis est & ab omnibus piis commendatur N. V. pietas erga Deum, probitas erga homines Zelus atq; ardor in propagãda cœlesti veritate, amor afflictæ & miserè, hoc tempore novißimo, languẽtis Orthodoxæ religionis, beneficentia deniq; erga pauperes, itemq; erga exulantes synceros fidei confessores: quas omnes & singulas N. V. virtutes eximias, non tãtùm apud nos maximoperè commẽdavit, sed etiam re ipsa atq; liberaliter expertus

tus est Reverendus & Doctißimus Vir; Dn. Wolfgangus Helvicus, *non ita pridem Ecclesiæ Lemgoviẽsis Pastor & Senior fidelißimus, amicus & respectivè cognatus noster dilectißimus. Macte sis illustris anima, nec dubita, quin tibi apud Deum, quem tanto fervore colis ac diligis, præparata sint ea, quæ spe nõ attinguntur, caritate non comprehenduntur, desideria & vota trãsgrediũtur, acquiri possunt, æstimari non possunt: felix, inquam, æternitas & æterna felicitas, quã nulla turbare potest calamitas. Quanto amore, literarum atq; humanitatis studia hæc St. V. prosequatur, diffusa oratione explicaremus, nisi auribus dare nos velle, videri possemus:*

mus: potest de illo evidenter testari unum hoc, quòd filium tuum Nobilißimæ indolis & spei maximæ Juvenem Philippum Adolphum à Münchhausen/ *in literarum Emporio, quod hic Giessæ est, alis, & ut ad virtutis arcem tanquã ad metam certißimam quasi grassetur, instigare non intermittis.*

Accipe ergo è manibus, imò ex animis nostris, Vir strenue ac Nobilissime, literarum ac literatorũ Mecænas magne, *quæ nomẽ tuum præscripserunt paginas, & tantò alacrius accipe, quantò libentius eæ jam ante in Scholas nonnullas Saxoniæ vestræ introductæ, & juventuti Scholasticæ à viris doctißimis propositæ sunt & commendatæ: Sic*

enim

enim fore ſperamus, ut à St. V. *autoritate, quæ apud Principes, Comites aliosq́ Nobiles Dynaſtas magna eſt, & libro huic noſtro quaſi à ſole aliquo terreno, autoritas aliqua accedat. Quod ſupereſt, Deum oramus, ut* St. V. N. *quàm diutiſſimè cum univerſa familia ſoſpitem & ſalvam eſſe velit, ad gloriam divini ſui nominis, quod benedictum eſt in ſecula.* Perſcriptum Gieſſæ Haſſorum die 22. Martii, ANNO M DC X.

St. V. N. ſtudioſiſſimi,

Caſparus Finckius Log. & Metaphyſic. Chriſtophorus Helvicus Hebrææ Græcaq́ Linguarum Profeſſor. Public.

LECTO-




LECTORI SALUTEM.


Grammatica nostra ita comparata est, ut omnibus accommoda esse possit. Eapropter certis notis præceptiones insignivimus distinximusq;. 1. NOTA asterisci * ad Elementarios; 2. NOTA Paragraphi ¶ ad mediocres; 3. NOTA obelisci sive crucis † ad perfectiores pertinet. Ea verò, quæ angulari inclusa sunt parenthesi [] scholia, & præcepta intelligendi, & præceptoribus materiã uberiùs eãdẽ explicandi & illustrandi, nonnunquam etiam disputandi, theses conficiendi in primariis Classibus, præbebunt. Paradigmata in hac Editione omisimus, & ad

Com-

Compēdium, quod de novo adornavimus, omnia remiſimus: inde petat, qui volet. Numeros præterea, qui in primâ Editione varii erãt, & multi ſtudioſè omiſimus, ne memoria diſcentium vel in minimâ re turbari poſſet, &c. Vale.



LIBER



LIBER PRIMVS GRAMMATICES, *DE ETYMOLOGIA.*

CAPUT I.

DE ORTHOGRAPHIA.

* GRAMMATICA est ars benè loquendi.

[*Grammatica nomen Græcum est, quo tamen pro Latino vtimur, vt Rhetorica, Philosophia, teste Cic. lib. 3. de finibus. Dicitur vel ἀπὸ τοῦ γράμματος, hoc est, à primis initiis, videlicet à literis. Vnde Quintilianus Latinè literaturam vertit lib. 2. cap. 1. & cap. 15. vel ἀπὸ τοῦ γράφειν, id est, à scribendo: Vnde Germanis dicitur* eine Schreibkunst / *quia concinnè loqui & scribere docet, docente etiam Iacobo Zabarella lib. 1. de nat. Logic. cap. 10. Prior derivatio melior est, & naturæ Grammaticæ convenientior. Falsa verò est notatio* Versoris, *derivantis à γράμμα, id est, litera, &* icos, *scientia, eò quòd literatos faciat. Quis enim unquam audivit,* icos *Græcè significare scientiam?*

Definitur à Scaligero rectè seu purè loquendi scientia, lib. 1. de causis Latinæ linguæ. quod eòdem recidit, si vocabulum scientiæ cum Zabarella sumatur latè pro quavis cognitione: Melanchthoni est certa loquendi & scribendi ratio. Verùm cùm scribere Grammatica accidat in benè loquendo etiam includatur, neq; definito adæquetur, (vide Scal. lib. 1. de cauſ.

Lat. Ling. cap. 1. p. 3.) magis arridet nostra: Cujus pleniorē explicationem & defensionem videre est apud Ramum lib. 2. Schol. Grammat. Bernhardus & Thomas Aquinas in lect. circa principium, perihermen. definiunt scientiam vocalem (*id est, vocum*) *eò quòd voces in ordine ad prolationem consideret: Quæ definitio quamuis obscurior sit, tamen cum nostra sensu conuenit.*

Notari hic debet differentia inter Grammatistam & Grammaticum, quam eleganter exponit his verbis Ang. Politianus in Lam. Grammaticorum hæ sunt partes, ut omne scriptorum genus, Poëtas, Historicos, Oratores, Philosophos, Medicos, Jureconsultos, excutiant atq; enarrent: Nostra ætas parùm perita rerum veterum, nimis brevi gyro Grammaticum sepsit, at apud antiquos olim tantæ auctoritatis hic ordo habuit, ut censores essent & judices scriptorum omnium soli Grammatici, quos ob id etiam criticos vocabant, &c. Quin autores etiam, quos vellent, aut in ordinem redigerent, aut omninò eximerent numero. Nec enim aliud Grammaticus, quàm Latinè Literatus. Nos autem nomen hoc in ludum triuialem detrusimus, tanquam in pistrinum. Itaq; jure conqueri nunc literati possent, & animo angi, quo nomine Antigéides ille tibicen angebatur. Ferebat Antigenides parùm æquo animo, quòd monumentarii ceraulæ tibicines dicerentur. Indignari literati possunt, quòd Grammatici appellantur etiam, qui prima elementa docent. Cæterum apud Græcos hoc genus non Grammatici, sed Grammatistæ, non Literati apud Latinos, sed Literatores vocabantur. *Hactenus Polit. In quàm sententiam etiam Ioach. Camer. de arte Grammat. inquit*: Non dubium est, quin huius artis initia alia fuerint nulla, quàm cognitio literarum, quam qui tenere se, & aliis traditurum esse profitebatur, γραμματιστὴς appellabatur. *Vera hæc esse vel ex Gellio innumeris locis constat & Quintil. lib. 1. at præterea notū est, τῶ γραμμάτων & literarum*

terarum nomine non tantùm elementa Vocum, sed & Eruditionem significari, ut Actor. 16. vers. 24. Menand. δι πλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα, *id est, Duplum videt quicunq; didicit literas, &c. Hodiè plerumque vocantur Philologi, qui olim Grammatici. Vide etiam sequens Schol.*

*Partes Grammaticæ duæ sunt, Etymologia & Syntaxis.

[*Priscianus, Melanchthon & qui eos sequuntur, quatuor Grammaticæ partes constituunt*: Orthographiam, Prosodiam, Etymologiam, & Syntaxin: *ex quibus duæ posteriores Grammaticā verè integrant, reliqua dua tanquam particula & elementa in illis continentur atq; docentur, adeoq; per totam Grammaticam funduntur. Ram. lib. 2. schol. Grammat. Pessimè verò nonnulli Grammaticam dispescunt* in Literam, Syllabam, Dictionem & Orationem, *ut Iacob. Henrichmannus, &c. Fab. Quint. lib. 1. c. 14. dividit in* Methodicen & Historicen. *Methodicen appellat rationem loquendi. Historicen enarrationem auctorum, quam & Diomedes appellavit* ἐξηγητικὴν, & *Cic.* 1. *de Orat.* In Grammaticis, *inquit*, poëtarum pertractatio, historiarũ cognitio, verborum interpretatio, pronunciandi quidam modus. *Patet igitur hos vocabulū Grammatices latiùs sumpsisse, eo ferè modo, quo Litera eruditionem & doctrinam significant. Itaq; quando Iul. Scalig. lib. 1. de caus. l. l. cap. 1. inquit.* Postremò quòd officium interpretandorum auctorum annumerârunt; id sanè Grammatici non est, sed sapientis pro cujusq; rei captu. Est enim Oratorum Poëtarumq; atque Historicorum lectio differta variis artibus atq; scientiis, quæ non ad literatores potiùs quàm ad veros artifices pertinent, *id de Grammatici stricta significatione, pro Literatore, accipiendum est.*]

*Etymologia est prior Grammatices pars,

quæ singularum vocum (*seu dictionum*) naturam interpretatur.

[Vt animi nostri sensa & conceptus inuicem communicaremus, opus fuit signis, quæ per sensum intellectui repræsentarentur, seu intellectus noster opus habuit officio quodam & instrumentis quibus societatem humanam conseruaret. Per sensilia ergò eruenda illa fuerunt. At nullum sensile aptum erat nisi color & sonus. Sonus interpres animi dupliciter, vel ut sonus simplex, qualis strepitus pedum, applausus manuū, &c. vel ut sonus in specie, vox, eaq; vel rudis, (*alii* inarticulatam *vocā* (*ut ululatus, gemitus, &c. vel conformata*(*alii* articulatā *& significativam appellant,*)*ut Verba & Nomina. Alterum sensile fuit color, ut pictura &* scriptura. *Ergò rerum notiones à rebus in mentem primùm per sensus sine medio humano profectæ sunt: deinde per medium humanum prodire in duos sensus, in auditum per* locutionem , *in visum per* scripturam. *Sicut igitur imagines rerum sunt notiones intellectui, ita voces sunt illarum notiones, & vocum scripta sunt notiones, ut talis ordo naturæ sit, exempli gratia, Equus, Equi species in intellectu, Equi nomen in voce, Equi repositio in scriptura. Hæc è Scal. c. 66. decl. l. è quibus definit* Dictionem, quòd sit nota vnius speciei, quæ est in animo, indita ei rei, cuius est species secundùm vocem, pro arbitratu eius qui imposuit. *Vnius speciei notam dicit, quia oratio multarum specierum est. Ex Petro Hisp. vocem significativam ita definire licet:* Signum aptū natum ad aliquid repræsentandum intellectui per auditum. *Notandum discrimen Dictionis & Vocis, è Versore. Vox importat tantùm oris prolationem: Sed Dictio ultra vocem importat significatum. Dictio itaq; idem est quod vox significativa. Et eo sensu nos vocē accipimus pro Dictione κατ' ἐξοχὴν, usu Grammaticorum. De hac voce significativa seu dictione Grammaticus agit: Sed tamen ita, ut non versetur in ipsis significationibus, verùm in proprietatibus significationum, quales sunt in Nomine & Verbo flexiones, in illo etiā Genera, comparationes, casus in hoc tempora & personæ. Ram. lib. 2.*

Schol.

Schol. Gramm. Non tametsi Grammaticus etiam considerat significationem, quæ quasi forma quædam est, non tamen propter se id agit, sed ut veritatis indagatori (Logico) subministret. Scal. de c.l.l. lib. 1. cap. Vbi etiam docet, cap. 4 Vocis definitionem ad Grammaticum non pertinere, cùm non omnia principia discutienda sint, & Grammaticus satis habeat nosse vocis significatum.

Etymologiam Cic. in Topic. vertit Veriloquium. (*Est enim* ἔτυμον *idem quod verum, &* λόγος *idem quod sermo) Mavult tamen ad declinandam novitatem verbi appellare Notationem.* Nos autem, *inquit*, nouitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc Notationem appellamus. Quia sunt verba rerum notæ. *Nos vocem Græcam usu Grammaticorum receptam retinuimus. Ciceronis interpretationem reprehendit Iul. Scal. l. 13. l.l. cap. 186. quia veritas sit in oratione, non verbis privis: &* λόγος *in hac voce non significet locutionem sed rationem; itaque ipse putat vertendum*, vocis rationem. *At verò veritatem etiam simplicibus terminis inesse negari non potest. Nam hinc orta est distinctio Veritatis in complexam & incomplexam, id est, Entis simplicis & coniuncti, quæ eruitur ex Aristot. 9. Metaph. t. 26. Siue igitur* λόγον *per rationem siue per locutionem exponas, erit hic sensus, quòd per Etymologiam veritas significationis & proprietatis exponatur instrumentis Grammaticis, quibus tanquam symbolis ipsa res vera intellectui nostro cogitanda offertur.*

* Etymologia spectatur vel in principiis vocum, vel in vocibus integris.

* Circa principia versatur Orthographia & Prosodia.

* Orthographia est, quæ discrimina literarum, & scripturam docet, ut *Fallo per F, quando idem quod decipio significat, & Vallo per V, quando idem quod circundo & munio.*

[*Dicitur hæc ab ὀρθῶς quòd rectè Græcis sonat, & γράφω id est, scribo. Initium scribendi Hebræi, Syri, Arabes, &c. à dextra ad sinistram introrsum, faciunt. Chinenses vel Sinenses à superiori parte rectâ lineâ descendendo ad inferiorem, ceu fulcorum series apparet stanti ad latam agri partẽ, scribunt. Cæteræ gentes à sinistra dextram versus extorsum. Motus enim naturalis manus nostræ extrorsum est, & extento brachio non retracto pleraq; opera cientur. De Orthographia pulcrè Quint. lib.* 1. *instit.* Orthographia, *inquit*, consuetudini seruit, ideoque sæpe mutata est. *Et Victorin. Afer. lib. de Orthog. Sic*: Antiquitatem posterior consuetudo vincit.]

*Litera est minima pars vocis, ejusvé primum elementum.

[*Discrimen Literæ & Elementi affert tale Dionys. Halicarn. de nom. composit. quod Litera propriè ad figuras seu notas scriptionis, Elementum verò ad sonos pronunciationis referatur. Sic & Priscian. Sed nos vocabulo Elementi generaliter utimur. Et Scal. l.* 1. *c.* 4. *de c. l. l. refellit illam distinctionem. Literam Priscianus definit* minimam partem vocis compositæ, quæ scribi potest individua, *ut a b c. Nã hæ in partes intelligibiles diuidi non possunt. Minima autẽ, quantum pertinet ad totam comprehensionem vocis literatæ. Nos vocabulũ composita ut superuacaneũ omisimus. Scal. de c. l. l. c.* 5. *ita*: Est pars dictionis indivisibilis. *Si quis argutari velit, in dictionibus unius literæ: ut A, E, I, pro ito, O, literam non esse partem: responsio est apud Scalig. cap.* 4. *de c. l. l. ibi & partem & totum esse idem. Eodem c.* 4. *reprehendit priorẽ definitionẽ, eò quòd* 1. *hac ratione non essent literæ, quæ scriptæ nõ pronuntiantur, aut falsò definiretur vox, aër percussus.* 2. *quia in eodem genere nullum minimum minus alio minimo est, at literæ alia alia minor, quædam enim unico tempore fiunt, alia pluribus constat, & quædam dimidium alterius est. Verùm per vocem nos intelligimus quod ipse per Dictionem. Et cap.* 5. *ipse fatetur, quanquam sint literæ quædam duplices, unam tamen tantum literam esse,*

&

& sibi quamq; certum unum sonum servare. Atque hinc etiam constare potest, quàm inepta, & ut Lossius appellat, verè rustica sit pronunciatio, quando quidam triviales Præceptores docent pueros ef ef, emme, enne, ikkes, *pro X &c.*

Literæ accidentia Priscianus, Marius Victorin. &c. dicunt esse Nomen, Figuram, Potestatem *Iul. Scal. cap. 5. de c. l. l refellit hoc, quia potestas literæ differentia generica.* Est enim, inquit, forma quædam ipse flexus in voce quasi in materia, propter quem flexum fit, ut vocalis per se possit pronunciari, muta non possit. Ex hac potestate ortum Nomen est, qui est affectus proprius cujusque literæ consequens eam vim, quæ in pronunciatione sita est. Figura autem est accidens ab arte institutum: potest enim esse litera sine figura, &c. *Præterea etiam Ordinem affectionibus literarum adjiciendum censet.*

Literam Priscianus dictam putat quasi Legiteram, *eò quòd legendi iter præbeat (alii quòd legendo iteretur) vel, ut alius placere dicit,* à lituris, *quòd plerunq; in ceratis tabulis antiqui scribere solebant, & posteà delere. Hinc etiam primam in* Litera *naturâ brevem nonnulli volunt, & propterea tt gemino scribendam in carmine, cùm tamen nullum unquam exemplum correptionis è probato autore afferri possit. Scalig. de c. L. L c. 4.* à Lineis *deducit, quũ primùm dicta essent lineatura, literas posteà factas esse: Evenisse deinde, ut quoniam album nigredine aspergeretur, ea significatio latiùs fusa sit, & litura inde etiam macula dicta. Itaq; à Lineando factum esse Linere, unde Lineatura, litera, litura. Neq; enim à lituris litera, quia delerentur: Priùs enim facta, quàm deleta sunt. Hæc Scal. qui ex his concludit, Literam naturâ primam producere.*]

* Literæ tres & viginti vulgò numerantur: A, B, C, D, E, F, G, H, I, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, U, X, Y, Z,

[*Literæ Latinæ cum veteribus Ionicis prorsus figura conveniunt,*

veniunt ut Plinius testatur lib. 7. c. 56. ex Delphica tabula area Romæ asseruata, Ionica verò cū Phœniciis seu Palæstinis congruebant, utpote quæ ex iis expressa essent, teste Herodot. lib. 5. qui ipsemet Phœnicias vidit. Cadmus enim à Phœnicia primus literas in Græciam attulit, teste & Herodoto & universa antiquitate, quicquid etiam Tzezes contradicat, qui contendit literarum usum apud Græcos fuisse ante Cadmum. Ex Phœniciis itaq; literis Alphabetum jonicum expressum, & consequenter in Latium cæterasq; Europæ regiones propagatum esse, negari non debet. Quippe & Dionys. Halicarn. lib. 1. affirma, ipsos incolas & conditores urbis Romæ fuisse Græcos. Unde Ovid. 4. Fast. ait, Italiam dictam fuisse Græciam maiorem. Et in eundem sensum Virgil. 1. Æneid Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt, Oenotrii coluêre viri, nunc fama minores Italiam dixisse, *Oenotrii autem ex Arcadibus & Pelasgis orti sunt. Quin Dionys. ibid. testatur, Servii Tulli leges literis Græcis exaratas ad sua usq; tempora extitisse. Porrò in gratiam juniorum hic etiam annotare placet Latinæ linguæ nomina.* 1. Latina *vocatur à regione Latio, sic dicta, quia ibi Saturnum latuisse, cùm Iovem fugeret, Poëtæ fabulantur. Virgil. 2. Æneid.* 2. Romana κατ' ἐξοχὴν *dicitur, quia Romæ potissimùm in usu fuit & exculta.* 3. *A Poëtis dicitur* Ausonia, *à Regione Auruncorum, quæ sita est juxta mare inter Campanos & Volscos, ut testantur Isaacius & Tzezes, Phœniciarum (quibus adhuc hodiè Samaritani utuntur, & Pentateuchum Mosaicum ab antiquis temporibus, descriptum habent) sicut & vetustissimarum jonicarum Alphabetum, vide apud Ioseph. Scal. animadv. Euseb. p. 102. & seq.*

E Latinis literis Y & Z, quamvis origine Græca sint, usu tamen facta sunt prorsus Latina in dictionibus è Græco descendentibus, ut Zelus, Stylus, Zephyrus, &c. *Non igitur probamus, quod nonnulli scribere malunt,* Stilus, Papirus, Lacrima, &c. *quàm* Stylus, Papyrus, Lacryma.

E. m-

K. annumeratur literis, non quòd necessaria sit, sed quia ex recepta consuetudine magnũ in re libraria vsum præstat, præsertim in constituendo per literas ordine, & arte Typographica. Veteribus non minùs in vsu fuit, quàm C. vt in lege XII. tabularum. PAKVNT, pro PACVNT, (id est, pagunt.) In hortis Cæsaris ædis Fortunæ incisum fuit PORKA, pro porca. ARKA, pro Arca, & alia huius generis permulta in veteribus Saxis. Collectan. inscript. Grut. & Ios. Scalig. anim. Euseb. pag. 106. Verum posteriores Latini hanc literam inutilem putarunt, quòd C eius vocem supplere possit, exceptis tribus nominibus, Kaput *(intellige caput libri vel legis, non hominis* Kalendæ Kalumnia. *Scal. d. l. Hinc Auson. Hæc tribus in Latio tantùm addit nominibus K. Lipsius tamen per tria ista nomina intelligit* Kaput, Kalendæ, Kæso. *(nomen proprium.) Potest & hoc notari, quòd veteres, literas quasdam pro integris syllabis vsurparint, eas scilicet, quarum pronunciatio à se incipit & in vocalem desinit, qualis est K, vt,* Klendæ, Krthago, Krus, Knus, *id est, Calendæ, Carthago, Carus, Canus, &c. Terent. Scaur. Sic etiam* Bne, Ptre, *pro Bene, Petere, Scalig. d. l. H. Nonnulli (vt è veteribus Varro, Quintilian. Gell. Priscian.) excludendum putant è literarum numero, quòd magis pro signo aspirationis, quàm pro litera ponatur.* Nam quemadmodum Græci (*inquit Seruius*) aspirationis notam hanc habent (quam dasian vocant, ad huius similitudinem etiam psilen,) nos his sociatis aspirationis fecimus notam, cuius si medium separes, inuenies esse notas Græcorum, quæ contra se positæ notam aspirationis nobis efficiunt. *Hæc Seru. Rectius tamen Priscian l. 1. cap. 3. ait, Græcorum antiquissimos H. similiter vt Latinos in versu scripsisse. Postea verò diuisisse, (eo scilicet quo Seru. dicit modo) vt dextram eius partem supra literam ponentes, psilen notam (spiritum lenem,) haberent, quam Remnius Palæmon Exilem vocat: Gryllus verò ad Virgil. de Accentibus scribens Lenem nominat. Sinistram verò partem, contraria illi aspirationis notam, (spiritum asperum) dasian, quam Gryllus Flatilem appel-*

 lan-

lat. Hæc Prisc. *Marius etiam Victor. testatur, vetustissimos Græcos, priusquàm à Simonide (vel ut alii, Palamede) inventæ essent aspiratæ* ΘΦΧ, *expressisse eas per* ΤΗ, ΠΗ, ΚΗ, *quam consuetudinem ab illis acceptam Latinos retinuisse* Priscian. *scribit. Athenæus quoque l.9. cap. 19. testatur, antiquos Græcos aspirationem per* H *signasse. Atque id luculenter confirmat nota centenarii numeri* H, *ex* Ηεκατὸν, *centum, sicut* X *millenarii nota ex* χίλια, *&* Δ *denarii ex* δέκα. *Quid multa? Antiqua monumenta manifestò hoc docent, ut apud* Golz. ΗΥΨΑΣ *pro* ὕψας ΗΙΠΠΟΝΙΚΩΝ *pro* ἱππονίκων. *Inprimis verò antiqua quædam inscriptio columna in via Appia Ionicis literis, in qua etiam post inventas aspiratas* φχθ *tamen* H *aspiratio legitur, & quidem in medio, sicut apud Lat. ut* ENHODIA, *pro* ἐνοδία. *Vide Scal. in Eus. p. 102. Nam inter* η *vocalem longam &* E *tùm nondum erat discrimen, ut ex eadem columna patet, & à Platone quoque in Cratyl. annotatum est. Quamobrem rectè Terentius Scaurus censet* H *literam esse & apud Græcos quoque fuisse. Neque argumenta idonea afferri possunt, cur è literarum numero ejicienda sit. Quòd enim Priscianus obtendit esse aspirationis potiùs notam, elenchus est oppositorum. Si enim in Hebræa lingua aspiratio nihil impedit, quominus &* He & Heth & Ain *sint veræ literæ utique etiam in Latina nihil impediet. Nec obstat, quòd* H *positionem cum alia consonante facere nequit, cùm natura consonantium eadem esse non possit: Sicut liquidæ non assequuntur reliquarum fortitudinem, & iccircò non semper positionem efficiunt longam. Imò nec* πτ *nec* χθ, *nec* φθ, *apud Græcos semper syllabam longam efficiunt, etsi sint veræ literæ consonantes. Quid? quòd &* H *sæpè positionem longam efficit? ut* Mercator, hodiè, *Auson. Vide Scal. in Auson. lect. Idem judicium de altero Prisciani argumento, plures duab. mutis & trib. consonis eandem syllabam continuare non posse, ut in* Phthia, Erichthonius, *De firmioribus enim consonantib. valet, non de leniori. Parùm etiam movet Varronis autoritas, qui non solum* H *sed &* K *&* Q. *è literarum numero exclusit. Quàm rectè,*

qui vis

quivis videt. Neque enim Q. carere Latini possunt, sicut infrà in lit. Q. ostendemus. Sit igitur H consona imbecillior.]

* Dividuntur literæ in vocales & consonantes.

* Vocales sunt literæ, quę per se sonant, & vocem edunt, ut A, E, I, O, V, & Y, Græca.

* Consonantes sunt, quæ vocalibus consonant, nec per se solæ syllabam faciunt, ut sunt reliquæ literæ præter vocales, omnes: B, C, D, F, G, H, K, L, M, N, P, Q, R, S, T, X, & Z, Græca.

* Dividuntur bifariam, in Semivocales & Mutas.

* Semivocales sunt, quæ ad vocales propiùs accedunt, ita ut absque earum adminiculo pronunciari possint, ut sunt, F, H, L, M, N, R, S, X, & Z.

[*Non ignoramus, à Prisciano aliisq; veteribus vulgò afferri aliam semivocalium & Mutarum definitionem. Sed nos sequi malumus Iul. Scaligerum, qui accuratissimè hæc investigavit, lib. 1. c. 7. & 15. ubi inquit,* Mutas non ideò dictas, quòd parum sonarent, sed quòd nihil. Nullo enim conatu adduci queas, ut B, P, C, &c. proferas nulla addita vocali. Semivocales autem solo spiritu edi, & ita appellatas, quòd aliquam haberent pronunciationem, vocalium enim secutas integritatem, nominis dimidium obtinuisse. Nemo enim interposito inter labia spiritu ipsum F, nequeat efflare, item sibilum in S, & mustum in X, linguæ autem vibrationem in R. leniorem autem & hærentem in N, longè leniorem in L, mugitum verò in M. *Hæc putamus esse verissima. Et sic*

cadit

cadit disceptatio, an ad semivocales, an verò ad Mutas F referri debeat. Vide apud Scal. c. 15. septem argumentorum pro mutarum classe solutionem ex professo. Ex iisdem fundamentis sequitur H ad semivocales potius quàm ad Mutas referendum, vt non curãda sit distinctio veterum, Mutas esse quæ à se incipiant & in vocali terminentur, vt Be, Ce, *semivocales quæ à vocali incipiant & in se terminentur, vt* El, Em. &c. *Cùm non à nominib. quæ ex arbitrio imposita & in diuersis linguis varia sunt: sed à potestatib. species sint distinguendæ.*]

* Ex his quatuor, L, M, N, R, Liquidæ appellantur, eò quòd vocales, quibus iunguntur, interdum liquescere faciant, & syllabam communem reddant, vt in *Tenebræ*, *Agri*, & similibus. X autem & Z Duplices vocantur, eò quòd duarum consonantium vim habeant.

[*Soluitur enim X in Cs, vel Gs, id quod ex obliquis nominum in X apparet, vt Dux, ducis, Rex, regis. Isidor. è vetusto Grammatico negat ante tempora Augusti in vsu fuisse X. Sed Ios. Scal. ostendit contrarium, & fuisse X. literam ante Augusti tempora, & à nonnullis tamen pro ea vsurpatã Cs, vsque ad tempora ferè Antoninorum in animadv. Euseb. pag.* 112. *Græci quoque diu* κσ *pro* ξ *scripserunt. Idem p.* 107. *Z autem apud Græcos, Æoles & Dores quidem (nam à Græcis sumpta est) per* σδ *redditur, vt* συρίσδεν *pro* συρίζειν. *Apud Latinos autem in duplex SS. ferè commutatur in medio, vt Patrisso ex* πατρίζω, *Massa ex* μάζα]

* Mutæ sunt, quæ vocalium adminiculo opus habent, vt possint pronunciari. Suntque B, C, D, G, K, P, Q, T.

[*Mutas Frischlin. dictas censet quasi mutabiles, quia in præteritis verborum mutentur. Verum etiam liquidis hoc competit, vt* Vro, Vssi, Premo, Pressi, Pono, Posui. *Suprà autem veram nominis caussam è Scalig. indicauimus.*]

* Literæ I & V transeunt in consonantes, quando

quando in eadem syllaba præponuntur vocali, & tùm discriminis caussa prior *Iota* appellatur, & sic notatur *I. j.* Posterior *Vau* dicitur, & sic pingitur, V, v.

[*Et quidem j modò pro simplici, modò pro duplici accipitur consonante. Pro simplici, ab initio dictionis, vt* Juno, Jupiter. *Pro duplici, in medio inter duas vocales, vt,* Major, Pejor, ejus. *Prisc. Vnde syllabam producit. Et veteres expressè scribere soliti sunt:* Maijor, eijus, peijor, *Prisc. Vict Afer & Quint. lib.* 1. *cap.* 5. *Sicut apud Hebræos Iod dagessatum, vt* Morijah. *Excipienda tamen sunt* Bijugus, Quadrijugus, Rejecto, *& similia composita correpta. Pro V consona legitur Claudius Cæsar inuenisse nouam literam, inuersum ad sinistram partem F hoc modo Ⅎ. Consuetudo tamen antiqua superauit, Prisc. Hodiè eleganter discrimen illud per V & X exprimitur.*]

DE VSV ET MVTATIONE VOcalium & Consonantium.

[A. *Prima litera in omnibus linguis: Sed in Hebræa, Syriaca, &c. omnium vocalium sonum recipit pro ratione puncti adiecti. Scribit Plutarch in Sympos* Alpha *bouem Tyriis significare (quod verum est) & quia bos Cadmo occurrisset, dum vrbem in Bœotia condere vellet, propterea & Alpha omnibus literis praire voluisse: (quod non est verisimile, quippe cùm & in Tyria, Hebræa, aliisque linguis prima litera sit, vbi euentus ille locum non habet.)*

B, *in Coniugatione & compositione sæpè transit in alias propter* εὐφωνίαν. *vt pro Subgero, suggero pro Abfero, aufero: Sic succurro, sufficio, suppono, suscipio & vt quibusdam placet summitto. Sic scribo scripsi. Maiuscula sola posita* B. *apud Scholasticos Beatum significat.*

C, *De litera C sup: à vide plura. Interdum mutatur in* G, *vt septingenti pro septemcenti. Nam veteribus Latinis pro Gamma vsurpata fuit. Vnde Auson.* Præualuit postquàm Gammæ vice functa priùs C. *Exempla sunt in his,*

Lacr,

LEGE, CAJVS, CABINO, ACNA, LECIONES, PVCNA, *id est, Lege, Gajus, Gabino, Agna, Legiones, Pugna, &c. apud Lips. Majuscula sola posita C. nota est prænominis Cajus. Et vulgò* C. V. *Celsitudo vestra; Clementia Vestra.* C. M. *Cæsarea Majestas, &c.*

D, *Præposita his consonantibus* C, F, G, L, N, P, R, S, T, *in easdem mutatur, ut Accedo pro adcedo. Ante q in c, ut Acquiro, Ante Sc à multis elliditur, ut Ascendo. Interdum hiatus vitandi causâ in compositione interponitur, ut redeo, pro reeo. Majuscula sola posita à* D. *apud Scholasticos solet legi Divus, vulgò Doctor, Dominus.*

E, *apud Græcos & Hebræos gemina, apud Latinos vocalis, una est. Plato literæ huic tribuit vim exprimendi luctum, ut Lacrymæ peredere humore exangues genas. Item; Heu quæ me miserum tellus, quæ me æquora possunt Accipere. Idem testatur Aristoteles 2. Rhet. Vnde ejulatus, & Elegia.* E. T. *vulgò notat Excellentiam tuam.*

F, *flatui exprimendo inservit, ut Terras turbine perflant. Ab antiquis digamma dicitur, quia ex duplici gamma conflata est, licet sono diverso, nempè aspirato, ut φ, hinc φήμη fama. Et ab Æolibus idiotismo quodam dictionibus à vocali incipientibus præponebatur, ut pro οἶνος Fοῖνος. Non tamen pro vera litera ab iis habebatur, sed erat episemon, eò quòd abesse posset à voce, cui applicabatur. Quo nomine Servius Donatum reprehendit, quòd Digamma Æolicum prorsus idem esse dixerit cum Vau Latino; cùm Latinum non possit sine vocis detrimento detrahi, ut* Vulgus, Ulgus, &c. *Scaliger tamen in animadv. Eus. ostendit, fuisse etiam apud Latinos tale Vau episemon, ut in vetusta Faliscana epigraphe* SYNNAVI, *pro Synnai. Breuiter: Æoles omnibus vocibus à vocali incipientibus sive cum aspiratione, sive absque ea, præponere solebant digamma F & in medio inter duas vocales, & ante ρ initiale: quod legebant ut Germanicum W. Ejus figuram Latini retinuerunt in suis vocibus. In derivatis autem è Græcis; sæpe F Æolicum mutarunt in Vau, ut* Vinum, Velia, Boves, Argivus, Ovum, Divus, *&c. Dis-*

&c. Discrimen pronunciandi fuisse etiam inter F & PH, arguit Ciceronis locus, qui pro Fundanio testem Græcum irrisit, quòd Fuñdanii *primam literam dicere non posset. Pronunciabat enim is vehementiori flatu, quomodo Priscian. us pronunciandum esse scribit φ seu PH, fixis labris. Vide & Quint. l. 1. c. 5. Aliter videtur sentire Scal. de causs. l. l. cap. 10. Terentianus inquit, φ Grajum hirto, at Latinum F leni spiramine sonare. Vt videatur φ sonare ferè pf. Vide Sylburg. in alphab. Græco, pag. 23.*

G, *duplicis soni, vel crassioris, ut Gula; vel mollioris, ut Genus: qui apud Hebræos per punctum Dages pulchrè distinguitur.*

H, *differentiæ caussa sæpè præponitur: ut Ora, hora: & interponitur ad vitandum hiatum, ut ahenum, cohors, inter duas vocales. Additur consonantibus mutis aspirandis in Græcis, vel ex Græco ortis dictionibus, ut Christus, pharetra, thorax, rhetor. Item Hebrais, ut Matthias. Volunt enim H Latinis non rectè apponi, & scribendum esse Carius, non charus, ex sententia Virgilij Carpensis, & autoritate librorum veterum, Pandectarum Florentinorum, & Lapidum: Item* sepulchrum, orchus, pulchet, lachryma, inchoo *sine aspiratione. In voce sepulcrum videtur ratio manifesta esse: quia quemadmodum à supino simulatum fit simulacrum, ab involutum, involucrum, à fultum fulcrum, à lavatū, lavacrum, ab ambulatū ambulacrum, mutata T in C. & addita R. ita sepulcrum fit à sepultum. Aliter tamen statuunt Gellius, Pontanus, Servius in 3. Georg. ubi ait,* veteres scripsêre sepulchrum, pòst abjecta est aspiratio. *De pulchro ita Scaurus:* Pulchrum, *inquit,* quamvis in consuetudine aspiretur; nihilominus tamen ratio exiliter & enunciandum & scribendum persuadet: ne una omninò dictio adversus Latini sermonis naturam media aspiretur, cum alij à Græcis putent esse translatum, quasi pulchrum, πολὺ χεῦμα, quippe multum nitoris & elegantiæ significaret (*Scaligero verò pulcher dicitur quasi πολύχαις, id est, fortis, quoniam veteres eum*

demum

demum pulchrum putarunt, qui fortis esset, Vide exert. 300. s.3. & de caus. Latin. ling. c. 22.) Charisius libr. 1. hoc dicit: Pulchrum Varro aspirari debere *negat*; ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio: quod minimè rectum antiquis videbatur. *De* inchoo *Manutius sic*: Quòd si quis morem maiorum imitari velit, & incoho scribere, non inchoo: vtatur hac ratione: Quoties eædem vocales hærerent, placuisse majoribus eas disjungi interposita H; & dixisse cohors, quamvis deducatur à verbo cooriri, & mihi non mii; nihil, non niil, vehemens, non veemens, reprehendo, non repreendo. *Idem tradit Gellius libr. 1. c. 3. Lacrumas sive à Græco δάκρυα derives, sive dictas velis quasi lacerrimas. H tollendum est, ait Goclenius lib. 2. Analect. pag. 99. Veruntamen lachrumas cum aspiratione Priscos Romanos dixisse, testatur Gellius lib. 2. cap. 3. & Cicero in Orator. Servius lib. 3. Georgic. annotat apud Latinos nullum verbum esse, quod ante O finalem habeat O, excepto inchoo; addit autem quòd majores aliter scripserint, aspirationem interponentes duabus vocalibus, & dixerint incoho, eò quòd tria habuerint nomina, in quibus c literam secuta fuerit aspiratio, sepulchrum, Orchus, pulcher, ex quibus pulcher tantùm hodiè recipiat aspirationem, quæ etiam sententia est Scalig. lib. 1. de caus. Latin. ling. cap. 22. pag. 53. Sic & vocem* Scida, *quæ chartam significat, sine aspiratione scribendam esse vult Carisius, lib. 1. Alij autem retinere malunt H. quod Schida dicatur à Græco verbo σχίζειν.*

Ad extremum postponitur H vocalibus in quatuor his interjectionibus, Ah, Vah, Oh, Proh, *cuius rationē affert Priscianus hanc, quòd Apocope facta sit extremæ vocalis cui præponebatur aspiratio. Nam perfecta, inquit, Vaha, Aha, sunt. Ideò autem abscissione facta extremæ vocalis, tamen aspiratio mansit ex superiore pendens vocali, quia suum est interjectionis voce abscondita proferri. Itaq; pars abscondita extremitatis videtur congruè in Interjectionis naturali prolatione remansisse, &c. At recentiores nonnulli nolunt dicere Ah, Vah, oh; proh sed simpliciter pro Ah, A! vel Ha, Vah, Va; pro*

oh, o!

oh. o! proh, pro! Confer Scalig. lib. 2. de cauſ. Latin. ling. c. 49. ubi mavult retinere Aha, Vaha, quoniam ſæpe dolentes etiam nunc ſic geminatam pronunciemus. Verùm lib. 10. c. 164. dicit meliora ſecula ita pronunciaſſe, Vah, Ah, quare etiam plus afficere Proh, quàm pro, & Oh quam O.

I, *Plato propter exilitatem ſoni maximam, tenuibus & penetrantibus rebus accommodatam cenſet, in Cratylo, ut: Accipiunt inimicum imbrem rimisq; fatiſcunt.* JC. *legitur Jureconſultus.*

L, *majuſcula Lucii prænominis nota eſt. Subſeruit rebus mollibus & humilibus, ut: Qualem virgineo demeſſum pollice florem, Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi.*

M, *adhiberi poteſt rebus magnis memorandis, ut: Dorſum immane mari ſummo. Monſtrum horrendum, immane ingens, cui lumen ademptum: admirationi, Deum immortalem, hominum fidem! Ante* D, T, C, Q, *propter euphoniam à multis mutari ſolet in* N, *ut, tanquam, circundo. Item in S, in præterito ut Premo, Preſſi. Majuſcula* M. *notat Marcum, & apud recentiores Magiſtrum.*

N, *contrarium uſum habet contrahendi; ut: Frangitur, inq; ſinus ſcindit ſeſe unda reductos. Tranſit & ipſa in alias literas, præſertim in compoſitione, ut, Ecquid, cognoſco, commotus, corrado. Sic in diminutione Catellus, à canis, villum à vinum. Inflexione, Pono, poſui. Abjicitur, ut Scindo, ſcidi, pungo, pupugi.* N *ſola poſita notat Nomen ignotum, vel Nota.*

O. *adhibetur exclamationibus & magnitudini rerum: Apud antiquos in crebriori uſu fuit, præſertim v conſona præcedente, ut volgus, ſeruom.*

P, *in locum* B *alicubi ſuccedit, ut ſcribo, ſcripſi. Poſita ſola* P, *Publicum ſignificat: Vulgò Petrum aut Paulum.* P.C. *Patres conſcriptos.* P.L. *Poëtam Laureatum:* P.C. *Poëtam Coronatum, vel Palatinum Comitem.*

Q, *à Diomede & Varrone tanquam ſuperuacua rejicitur, inq; locum ejus* CV *ſubſtituitur, ex quibus compoſitam*



censet Prisc. Et quidē certum est, indifferenter ab antiquis usurpari, Quùm, cùm, Quotidiè, cotidiè, &c. Originē tamen ejusdem Hebraam vel Gracam esse patet è Mario Victorino, Beda (lib. de indigitat.) itemq; Alphabeto Phœnicio. Vide Scalig. animadv. in Euseb. pag. 108. *Distinctū tamen sonum esse harū literarū, vel solus Nominativus Qui, & Dativus Cui demonstrat. Item* Quia, Cuja *(à cujus adjectiv.) Quare Prisciani argumentum invertendum est, cùm ex permutatione obliquorum infert, eandem esse literam. Imò contrà, quia permutantur, nō sunt eadem. Nam permutatio non est nisi inter duo distincta. Mutatur autem propter illā cognationem sæpè in* C, *vt loquor, locutus: Et habet semper adjunctam literam* V, *sequente vocali, mollescentem, sicut & in Su, vt consuesco. Majuscula* Q *notat Quintum. Item Que, in his* S. P. Q. R. *Senatus Populusq; Romanus.*

R, *Canina seu cruda litera, à rictu canis irritati, quem exprimit. Inservit narrationi rerum asperarum, furoris & irarum, ut imprecor arma armis. Sic terror, error, fragor, fremitus, &c. Propter istam naturalem asperitatem mutatur sæpè in alias literas:* L, *ut intelligo, nigellus:* N. *ut aneus:* S, *ut arbos, ussi ab uro, ob quam eandem caussam apud Hebraos geminatum Resch ferè nunquā legitur, Plato in Crat. notat ϱ sæpè esse σημαντικὸν πολλοῦ, indicem crebritatis, ut in voce θρύπτω.* R. *apud Hebraos recentiores notat Rabbi, sicut apud Iudaos Resch cum virgula.* R. P. *est Respublica.* T. R. *vulgò Reverentia Tua.* R. T. D. *Reverenda Tua Dignitas.*

S, *profertur cum sibilo, qualis ferè serpentum est: Vnde silentii signum est apud Terent. St. quia nihil aliud est, quàm sibilus: Hinc Virgil. describit tempestatis stridorem, Emissamq; hyemem sensit Neptunus, & imis stagna refusa vadis. Errant autem, qui eam literam esse negant, eò, quòd sibilet more serpentum. Nam sic neq;* R *litera erit, quia, ut loquitur Persius, sonat de nare canina. Pari modo nec* M *litera erit, quia boum, nec* B, *quia est ovium, secundum Eustathium & Lipsium, Interdum mutatur in alias literas* D, M, N, R, T, V, F, *ut Pes, pedis, rursus, rursum, sanguis, sanguinis, flos,*

floris,

*floris, virtus, virtutis, bos, bovis, differo, &c. Sequente parti-
culâ Ne nonnunquam penitus obliteratur, ut viden', provi-
dêsne. Et apud priscos quacunq; consonâ sequente, ut, vivu',
per ora. S. significat sanctum, vel sacrum, in Epistolis salu-
tem, ut* S.P.D. *Salutem plurimam dicit.* SC. *senatuscon-
sultum.*

T, *Poëtis litera nigra, & veteribus mortualis, seu mor-
tifera dicta est. sive quòd sepulchralibus lapidibus adsculpta,
ut putat* J. *Lipsius, sive quòd in judiciis damnandi nota fue-
rit, secundum Ausonium. Vel etiam quòd crucis figuram re-
præsentet. Unde apud Lucia. in festivissimo opusculo de vo-
calium judicio sigma accusat* T. *inter cætera, quod Tyran-
nis suppeditauerit fabricam crucis, & dignum censet quod
eadem figura supplicium sustineat. Propterea per* T *Cæ. Rho-
dig. intelligit* literam longam *apud Plautum, si quis se su-
spendat; puta à trabe vel tigno. Alii verò literam* I *intelli-
gunt, siue l. minuscula forma, considerantes solùm suspen-
di corpus: ut Iul. Scalig. de caus. l.l. cap. 40. Locus est in
Aulul. act. 1. scen. 1. Vide Rhodig. l. 10. c. 8. Sed notan-
dum, illic non quamvis crucem intelligendam, sed Galli-
cam, Unde Maro* T *crucem vocavit Gallicam. Aliàs* T *an-
tenæ potiùs figurâ exprimit, ut Aus. inquit, Et potiùs litera* X
*crucis speciem habet, Vide Lips. de cruce. & Ios. Scal. in Eu-
seb. p. 111. qui propterea negat* T *speciem crucis exprimere.
Apud Prophetam Ezechielem c. 9. 4.* T. *signum est in fronti-
bus virorum gementium & dolentium super cunctis abo-
minationibus, quæ fiunt, &c. Quo significatur, illos, qui
in cruce Christi gloriantur, (signũ enim* T *ratione picturæ,
crucis figuram gerit) Deo curæ esse. Transit aliquando in
s. atque si* C *accesserit, in* X, *ut Dico, dixi. Præterea mo-
ram lentæ rei exprimere putatur, ut in illo: Ter sese attollens:
Item, Nec nos obniti contrà, nec tendere tantùm, &c.
Ter sunt conati, &c.* T. *prænomen Titum significat.*

U, *propter obscurum & occlusum sonum obscuris rebus
nsum prabet: ut, Tum plausu fremituq; virûm, studiisq; fa-
ventum,*

ventûm. Antiqui frequenter in superlativis usurpârunt U loco I, ut Maxumus, Optumus, mutatur in E, ut Pondus, ponderis: I, ut Cornu, cornicen: O, corpus, corporis. U. C. significat urbem conditam, scilicet Romam. V. C. virum clarissimum.

X, cruciaria litera vocatur, quia & figura talis, & sonus aures linguamq; cruciat, Lips. Vnde à Latinis initio non ponitur: Et ab Hebrais ignoratur: Atq; ideò pro Artaxerxe dicunt Artach sastha. propter duritiem. Mutatur in C, G. rariùs in V. C. T. ut Dux, ducis, Rex, regis, Nix, nivis, Nox, noctis. In F ante F, ut effero.

Y litera Pythagora dicta, quia duplicem virtutis ac vitii viam repræsentare existimata est, dextro calle angusto & exili in certam sedem terminata sinistro verò lato in præcipitium vergens. Non ab initio ponitur, quia nunquam apud Græcos absq; aspiratione dictionem inchoat. Perperam à vulgo duobus ii pingitur: Sæpè cum u Latino permutatur, ut κύμινον, Cuminum, item cum o μύλη, Mola. Sic Sylla, Sulla. Apud Aristophanem exprimit gestum odorantis, υ, ῦ.

Z, odiosa olim Latinis auribus, S simplici efferebatur, ut Seleucus, pro Ζέλευκος: & D, ut Medentius, Prisc. Hanc Appius Claudius (ut tradit Martian. Capella) reformidavit, quòd dum exprimitur, morientis dentes imitetur, cùm scil. durissimè per tz effertur. Apud Græcos autẽ per ds efferebatur, itaq; Quintilianus inquit nullam, dulcius apud Græcos spirare. Hinc Scaliger in animadv. Euseb. miratur cur eam Appius refugerit, & negat se ejus rationem quam addidit, assequi.

Cæterum, quæ vis res ipsas repræsentandi singulis literis inest, eadem pro rei varietate alternatis inesse intelligitur: Vt cùm ranarum vocem Ovid. exprimit: Quamvis sint sub aquâ, sub aquâ maledicere tentant: Et rugitum leonum graphicè depingit Virg. Hinc exaudiri gemitus iraq; leonum. Item, Nemus omne remugit. Et Homerus μηκάδας αἶγας. Sic fulgur 1. Æneid. exprimitur: Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem, aliaq; similia.

D 2

DE NOTIS NUMERORUM.

Ad extremum de Numeris *aliquid addendum est. Veteres enim Romani non Ziphris Arabicis, sed septem literis omnes numeros exprimebāt, videlicet* I, V, X, L, C, D, M. I, *unum*, V, *quinq;*. X. *decem*, L, *quinquaginta*, C, *centum*, D, *quingenta*. M, *mille notabat. Intermedios repetitis minoribus explebant, ut*, I. II. III. IIII V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXX. XL. L. LX. LXX. LXXX. XC. C. *& sic deinceps Vbi nota* I. *praeposita* V. X. & C. *minuere quinarium, denarium & centenarium vnitate, ut* IV. *id est*, 4. IX. *id est*, 9. IC. *id est*, 99 *Sic* XL. & XC. *praeposita denarium demit. Sed* CD. *praeposita centenarium. Postposita verò ordine naturali totidem numero addunt: ut* XI. *undecim*, LX. *sexaginta* CX. *Centum & decem, &c. De notis veterum quae in antiquis monumentis occurrunt, integrum tractatum conscripsit Aldus Manutius P. filius, qui dignus est ut omnium manibus teratur. Opus excusum est Romae Anno* 91. *apud Aldum.*]

OBSERVATIONES DE ORTHOGRAphia & Literis,

I. ¶ *Litera* T *cum vocali* I, *in dictionibus Latinis ferè cum sibilo effertur, ut in nominibus Gratia, Oratio, Antium, Latium, & similibus*,

[*Breuiter hic aliquid dicendum est propter nonnullos, quomodo* T *in allatis vocibus & similibus, litium, vitium, vigilantium, abundantium, sapientia, diuitiae, otium, negotium, &c. sit pronunciandum? Dicimus autē cum. M. Antonio Bonciario Italo, ex part.* 2. *Epistolar. pag.* 289. T *ante* I, *sequenti alia vocali sonare perinde ac* Z, *ut sapientia, diuitiae, otium, negotium. Excipimus tamen vocum genera quatuor in quibus* I *sonum suum retinet*: *I. in principio dictionum, ut Tion, Tiara, Tyaneus. II. In quibus praecedit* s, *ut*

ventûm. Antiqui frequenter in superlativis usurpârunt U *loco* I, *ut Maxumus, Optumus, mutatur in* E, *ut Pondus, ponderis*: I, *ut Cornu, cornicen*: O, *corpus, corporis.* U. C. *significat urbem conditam, scilicet Romam.* V. C. *virum clarissimum.*

X, *cruciaria litera vocatur, quia & figura talis, & sonus aures linguamq; cruciat, Lips. Unde à Latinis initio non ponitur: Et ab Hebrais ignoratur: Atq; ideò pro Artaxerxe dicunt Artach sastha. propter duritiem. Mutatur in* C, G. *rariùs in* V. C. T. *ut Dux, ducis, Rex, regis, Nix, nivis, Nox, noctis. In* F *ante* F, *ut effero.*

Y *litera Pythagora dicta, quia duplicem virtutis ac vitii viam repraesentare existimata est, dextro calle angusto & exili in certam sedem terminata sinistro verò lato in pracipitium vergens. Non ab initio ponitur, quia nunquam apud Gracos absq; aspiratione dictionem inchoat. Perperam à vulgo duobus ii pingitur: Sepè cum* u *Latino permutatur, ut* κύμινον, *Cuminum*, *item cum* o μύλη, *Mola. Sic Sylla, Sulla. Apud Aristophanem exprimit gestum odorantis,* υ, ὖ.

Z, *odiosa olim Latinis auribus,* S *simplici efferebatur, ut Seleucus, pro* Ζάλευκος: & D, *ut Medentius, Prisc. Hanc Appius Claudius (ut tradit Martian. Capella) reformidavit, quòd dum exprimitur, morientis dentes imitetur, cùm scil. durissimè per* tz *effertur. Apud Gracos autē per* ds *efferebatur, itaq; Quintilianus inquit nullam, dulcius apud Gracos spirare. Hinc Scaliger in animadv. Euseb. miratur cur eam Appius refugerit, & negat se ejus rationem quam addidit, assequi.*

Caeterum, qua vis res ipsas repraesentandi singulis literis inest, eadem pro rei varietate alternatim inesse intelligitur: Ut cùm ranarum vocem Ovid. exprimit: Quamvis sint sub aquâ, sub aquâ maledicere tentant: Et rugitum leonum graphicè depingit Virg. Hinc exaudiri gemitus iraq; leonum. Item, Nemus omne remugit. Et Homerus μηκάδας αἶγας. *Sic fulgur* 1. *Aeneid. exprimitur: Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem, aliaq; similia.*

D 2

DE NOTIS NUMERORUM.

Ad extremum de Numeris *aliquid addendum est. Veteres enim Romani non Ziphris Arabicis, sed septem literis omnes numeros exprimebāt, videlicet* I, V, X, L, C, D, M. I, *unum,* V, *quinq;* X. *decem,* L, *quinquaginta,* C, *centum,* D, *quingenta.* M, *mille notabat. Intermedios repetitis minoribus explebant, ut,* I. II. III. IIII V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIIII. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXX. XL. L. LX. LXX. LXXX. XC. C. *& sic deinceps Vbi nota* I. *præposita* V. X. & C. *minuere quinarium, denarium & centenarium vnitate, ut* IV. *id est,* 4. IX. *id est,* 9. IC. *id est,* 99 *Sic* XL. & XC. *præposita denarium demit. Sed* CD. *præposita centenarium. Postposita verò ordine naturali totidem numero addunt: ut* XI. *undecim,* LX. *sexaginta* CX. *Centum & decem, &c. De notis veterum quæ in antiquis monumentis occurrunt, integrum tractatum conscripsit Aldus Manutius P. filius, qui dignus est ut omnium manibus teratur. Opus excusum est Romæ Anno 91. apud Aldum.*]

OBSERVATIONES DE ORTHOGRAphia & Literis.

I. ¶ *Litera* T *cum vocali I, in dictionibus Latinis ferè cum sibilo effertur, ut in nominibus Gratia, Oratio, Antium, Latium, & similibus.*

[*Breuiter hic aliquid dicendum est propter nonnullos, quomodo* T *in allatis vocibus & similibus, litium, vitium, vigilantium, abundantium, sapientia, diuitia, otium, negotium, &c. sit pronunciandum? Dicimus autē cum. M. Antonio Bonciario Italo, ex part. 2. Epistolar. pag. 289.* T *ante* I, *sequenti alia vocali sonare perinde ac* Z, *ut sapientia, diuitia, otium, negotium. Excipimus tamen vocum genera quatuor in quibus* I *sonum suum retinet: I. in principio dictionum, ut Tion, Tiara, Tyaneus. II. In quibus præcedit* s, *ut*

justius, castius, mœstius. III. cùm interponitur h, *ut* Matthias, Tethyos, Melanthius. *IV. In infinitivis Poëticis desinentibus in* Er. *Mittier. V. In peregrinis:* Pragmatia, Politia, &c. Breviter: Ti *præcedente & sequente vocali, ut Z legitur. Item præcedente consonâ quavis præter* s) *& sequente vocali. Errant igitur illi qui tam delicatulas habent aures, ut dici velint potiùs Benevolenthiam, contingenthiam, pathienthiam, quàm Benevolen* (z) *iam, continen*(ch) *iam, pa* (z) *ien* (z) *iam.*]

II. ❡ *Litera C ante* E, I, *legitur ut* Z: *ut* Amice, Amici, *legitur* Amize, Amizi. *Aliàs sustinet vicem & sonum literæ* K.

[*Nonnulli à Varrone, Prisciano, &c. tribuentibus literæ C. eandem prorsus potestatem, quam K obtinet, reprehendunt hanc pronunciationem & contendunt legendum esse* Amike, Amiki. *Sed quis ita hodie pronunciet, qui non ineptæ affectationis notam incurrat? Sicut enim nummi usu valent, sic & verba pronunciatio.*]

❡ Opera etiam danda est, ut literæ pingantur venustæ, elegantes & simplices, ita ut corpora earum & pedunculi inter se sint æquales, nisi fortè litera pingenda sit majuscula. Literarum autem figuris majusculis scribuntur I. Principia sententiarum & Versus in carminibus. II. Nomina propria, & quæ inde deducuntur. Quò etiam referimus nomina artium liberalium, III. Nomina officiorum & dignitatum.

III. ❡ *Literæ Latinæ latinè scribantur, non cum figuris alterius cuiusdam linguæ permisceantur; ut* Ψalmus, φιλosophia, *non rectè scribitur.*

[*Quid n. juvat alienas figuras interserere, cùm Romana lingua*

lingua habeat suas proprias? Nec obstat quòd quædam Latina à Græcis originem ducunt suam, ut supra innuimus. Rectè n. Giphanius: Quæ Romana sunt vocabula, *inquit*, licet Græciæ originem debeant suam, non tamen ideò scripturam sequi debent. *Nec ab hoc scopo abludit Cicero 3. de finibus, cum inquit:* Ea verba, quibus instituto veterum utimur pro Latinis; quoniam usu recepta sunt, nostra ducamus, vt Philosophia, Rhetorica, Dialectica.]

IV. ¶ *Literæ essentiales non debent confundi cum accidentalibus.*

[*Exempli causa: in pulsare, cantare, literæ essentiales sunt* Puls CANT: ARE *sunt accidentales, quia aliis etiam verbis sunt communes, ut verber*ARE, *Am*ARE.]

V. ¶ *Orthographia consuetudini servit, ideoq; sæpe mutata est.*

[*Canon hic est Quintiliani lib. 1. Institut Oratoriar. cui subscribit & ille Victorini Afri in libell. de Orthographia: Antiquitatem posterior consuetudo vincit. Sæpe enim ostendit Manutius, consuetudinem apud veteres valuisse plurimùm. Hinc* Pomerium *scripserunt, non* Pomœrium, *licet à* Ponè & Moeros, *id est, muros deductum non ignorarent, ut ait Varro lib. 4. de sermon. Latin. & Livius lib. 1. Nam alioqui pro u, usurpabant* oe, *ut* Coerare *pro* curare; Moeri, *pro* Muri: Oesus *pro* usus, *apud Ciceron. lib. 2. de legibus.* Moesia *pro* Musia *sive* Mysia *& similia. id quod Manutius fusiùs se ostendere velle promittit edito peculiari libro de* Antiquis inscriptionibus. *Illam autem consuetudinem tutiùs imitaberis, quæ vel ratione nititur, vel analogiâ, quæq; apud doctos quosque viget; juxta tritum illum versiculum: Doctorum est usus semper spectandus ubique. Verè Scaliger ait,* consuetudinem quæ legem habeat reclamantem, corruptelam esse, non consuetudinem, *lib. 1. de c. Lat. ling. cap. 11. De mutatione vocalium & consonantium ea quæ fit à consuetu-*

suetudine, plura & varia Exempla habes apud Scaligerum lib. 1. de caus. Latin. ling. c. 21. & 22. & apud Lucianum in opusculo de judicio vocalium.]

CAPUT II.

DE PROSODIA.

*Prosodia est, quæ docet rationem syllabarum.

*Syllaba vulgò definitur comprehensio literarum, quæ vno eodemq; spiritu ac tono efferuntur, ut *pes, crus, fons, stirps*, vel è Scalig. Est elementum vocis sub accentu.

[*Dicta est à Græco verbo συλλαβεῖν, i. e. comprehendere. Quo fit ut unicam vocalem*, A, E, I, O, *Priscianus non nisi καταχρηστικῶς syllabam appellet, lib. 2. cùm Syllabam accipiat in nativa significatione & strictè. Verùm Scaliger accuratiùs inquirens, & nomen Syllabæ minùs accommodatum censet, & definitionem ipsam, lib. 2. initio. Ac sanè si quæratur de vocibus* ea, ei, ai, *ἰδέα*, *&c. Nemo aliter responderit, quàm esse bisyllabas & trisyllabas, licet solis vocalibus constent. Quanquam in hoc non facimus cum eo, quòd reprehendit verbum* efferendi *vel* proferendi, *quia Syllaba & scribi & mente reponi possit, ac proinde dicendum sit*, proferri potest: *Nam id diluitur trito axiomate; Verba in definitionibus potentiam significant. Etiam ad hoc, quòd* comprehensionis *vocabulum carpit, responderi potest, intelligi per illud non unionem, sed rem unam, seu systema. Aliàs rectè admonet, numerum literarum non esse de essentia syllabæ, & superfluè dici*, sub uno accentu & vno spiritu indistanter *efferri. Si enim Syllaba sub uno accentu est, erit & sub vno spiritu & sine intervallo. Multa tamen explicationis gratiâ in definitionibus ponuntur.*]

*Sylla-

*Syllaba est simplex, vel mista.

*Syllaba simplex, est, quæ ex sola vocali constat, ut: à, è, i, ò, u, ea, ei, ii, ai, iò.

* Syllaba mixta est, quæ vel ex meris vocalibus vel ex vocalibus & consonantibus constat.

* Ex meris vocalibus constans appellatur Diphthongus, quæ est geminus sonus vnius Syllabæ;

Æ, ut *Cæsar*
OE, ut *Cœna*
AV, ut *Auster*
EV, ut *Eurus*.

[*His nonnulli addunt* EI, *vt Hei, Eja, Parteis, Omneis, Heic, Queis, Puerei, Capteivei, antiquè, Fab. lib. 1. cap. 12. Item* Ai, *ut Ajax:* Oi, *ut Troja,* Ii, *ut Harpyja. Verum ubi* J *consonæ naturam induit, potius διφθογγοειδὴς appellandum fuerit.*]

† Vocales duæ, quæ aliàs diphthongum facerent, signo diæreseωs notantur, suprascriptis duobus punctis, ut, *Aër, Poëta.*

* Ex vocalibus & consonantibus, ut *Pars, Mens, Mors, Frons, Stirps.*

[*In Latinis dictionibus syllaba senarium literarum numerum non excedit, ut stirps.*]

¶ *In syllabis spectatur* Quantitas *&* Tonus, *siue Accentus.*

¶ Quantitas *est, quâ syllaba alia longa, alia brevis, alia communis esse censetur.*

¶ *Syllaba brevis est, quæ constat uno tantùm tempore,* sic notata, *Pĕr, ĭn, ŏb, pĭŭs, mălŭs.*

¶ *Longa, quæ constat duobus temporibus,* sic notata: *Mōs, rōs, dōs, Magnōs, pārvōs.*

¶ *Communis, quæ modò brevis, modò longa est, ut in Atlas, patres, cygnus,* & sic notari potest.

[*Alia ratione veteres, quàm nos quantitatem ostēderunt, Nam, ut scribit Victorinus Afer: Nævius & Livius cum syllaba longa scribenda esset, duas vocales ponebant, ut* aara, voocem, fœlix. *Secuta ætas usurpavit pro geminatione lineolam, quæ superposita* ā ē ō ū : *I verò longiori figura produxit. Id hodiè recentiores nonnulli imitantur; dum scribūt,* Mâlum, Musâ, amârunt, *&c. Item* édit, pópulus, modó, casté, bellúmque, &c. *Verùm quantitatis plenam tractationem ad Prosodiam Poëticam rejecimus. Sufficit ejus naturam hoc loco indicasse in syllaba longa, brevi, vel communi constituenda. Ubi autem longa, brevis, vel communis syllaba sit, in dicta Poëtica docuimus.*]

¶ *Tonus sive Accentus, est ratio pronunciandi, quâ syllaba alia efferendo attollitur, alia deprimitur.*

[*Toni vox translata est à fidibus, quarum intentione aut remissione acutior graviorq; redderetur vox. Inde nos Tenores, propterea quòd nostrum tenere inde deduxissemus scilicet* παρὰ τὸ τείνειν. *Nam quod nixu quodam arceremus, id beneficio* τῶν τεινόντων *fieret: & translata fuit significatio ab helcyariis & aurigis currus inhibentibus, itemque militibus prædam dividentibus, &c.* Scalig. lib. 2 de caus. Lat. ling. c. 53. *Accentum verò dictum volunt, quasi ad aliud cantum. Mensura enim & modus sive modulus, est elevationis & depressionis, adeoque cantus quidam ad Syllabam exprimendam. Est enim canere vocem modulis certis tollere aut premere, certisque temporibus producere aut corripere.* Scalig. lib. 2. de caus. Latin. ling. cap. 52. *Huc pertinet illud Gellij* lib. 13. cap. 6. *Quas Græci* προσῳδίας *dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas appellabant.* Petrus Hispanus *in Logicis & dividit eum*

dit eum & distribuit, quod quanquam non satis accurratè fiat; diversitas tamen considerationis attendenda est. Grammatici enim accentum considerant, quatenus est affectio Syllabæ pronunciandæ: Logici; quatenus ab una dictione secundum diversum accentum habente diversa significata sumi potest fallacia. Vnde Thomas in fallaciis *accentum Logices definit modum pronunciandi aliquam dictionem.*]

¶ *Huius tres sunt species: Acutus, gravis & circumflexus.*

¶ *Acutus tonus est, quo syllaba pronunciando attollitur,* & sic notatur, *Dóminus, óptimus.*

¶ *Gravis est, quo syllaba graviter,* h.e. absque aliquâ vocis elevatione *profertur,* & notatur sic: *ut ultima in Ponè & in præcedentibus nominibus, Dominus, optimus, syllabæ ultimæ.*

¶ *Circumflexus est, quô syllaba cum morâ aliquâ & tractim effertur:* cujus nota talis: ut *Amârunt, pro amavérunt.*

[*Acutus & gravis dicuntur hi accetus Metaphoricè: Corpora enim propriè gravia & acuta sunt. Nam quemadmodum corpus grave movetur deorsum; sic etiam tonus gravis dum syllabam deprimit, tendit deorsum: Et sicut corpus acutum dicitur, quod facilè penetrat sursum, ita acutus cum syllabam elevat penetrat aërem sursum. Nec diuersus abit Scaliger cum dicit lib. 2. de caus. Latin. linguæ cap. 53.* Gravem appellari ab instrumentis, scilicet vocis: propterea quod in guttur aut pectus eum demitteremus: cum item acutum nominat ab effecto potiùs: Ferit enim aures, quarum viribus objectus est: ac sanè plus ponas spiritus latioris in gravi voce, angustioris autem in acuta. Quare & pueri acutiùs canunt, quorum guttur angu-

angustius est: & latiora crassioraque instrumenta gravius sonant: ut etiam ab illis gravem sonum dixerit Pythagoras, &c. *Non inquam, diversus abit; quia cùm nos Metaphoram asserimus, ad vocem tantùm respicimus; Scaliger autem simpliciter rem ipsam considerat, quæ vocibus istis signatur, eiusque rationem apponit.*]

† Latinæ voces non solent notari accentibus, velut Græcæ, nisi interdum discriminis & perspicuitatis gratiâ, ut in adverbiis, malè, male: In verbis, óccido, occîdo: In Encliticis, adeóne: In syncope vel crasi, amârunt. Perperam igitur scribitur: Benè, nequè, atquè.

REGULÆ DE ACCENTIBUS.

† I. Dictiones monosyllabæ natura breves, aut positione longæ acuuntur, naturá verò longæ circumflectuntur: ut Súm, és, ést, párs, lîs, Dîs, ôs, flôs.

† II. Dictiones dissyllabæ vltima existente brevi, priorem naturá longam circumflectunt, aliás semper acuunt, ut Máter, Rôma, mátres, páter, népos, iústus.

† III. Hyperdissyllaba penultimá brevi aut communi, antepenultimam acuunt, & penultimam natura longam sequente brevi circumflectunt, alias acuunt, ut Dóminus, spíritus, Homêrus, Amáre, Mecoénas, Romános.

DE FIGURIS PROSODICIS.

† Cæterùm in syllabis considerari etiam potest *defectus, redundantia, & commutatio.*

Defectus fit quadrifariam: in Aphæresi, Syncope, Apocope & Crasi.

Aphæ-

Aphęresis est reiectio literę aut syllabæ à principio dictionis, ut, *Temnere*, pro *contemnere*. *am* pro *eam*, Lucret.

Syncope est reiectio literæ vel syllabæ, è medio dictionis, ut *Deûm*, pro *Deorum*, *clamârunt*, pro *clamauerunt*.

Apocope est reiectio literæ vel syllabæ à fine dictionis, ut *peculi*, pro *peculii*, *nostin'* pro *nostíne?*

Crasis est contractio duarum syllabarum in unam, ut, *Thesei*, pro *Theséï*.

Redundantia itidem quadrifariam, in Prosthesi, Epenthesi, Paragoge & Diæresi.

Prosthesis est adjectio literæ vel syllabæ ad principium dictionis, ut *Gnatus*, pro *natus*, *Tetuli* pro *tuli*.

Epenthesis est adjectio literæ vel syllabæ in medio dictionis, ut: *Relligio*, pro *Religio*: *Induperator*, pro *Imperator*.

Paragoge est adjectio literæ vel syllabæ in fine dictionis: ut, *dicier*, pro *dici*, *huiusce*, pro *huius*.

Diæresis est diuisio vnius syllabæ in duas; ut: *Aulaï*, pro *aulæ*, *Dissoluënda*, pro *dissolvenda*.


Commutatio itidem quadrifariam, in Antithesi, Methathesi, Systole & Diastole.

Antithesis est positio literę pro litera; ut, *optumus*, pro *optimus*, *olli*, pro *illi*, *faciunda*, pro *facienda*.

Metathesis est transpositio literarum; ut: *Evandre*, pro *Evander*.

Systole est correptio syllabæ longæ, ut: *stetĕrunt*, pro *steterunt*.

Diastole



Diaſtole eſt productio ſyllabæ brevis: ut apud Perſium in Scazonte: *Pegaſeinm melos. Me* enim in *Melos* naturá brevis eſt.

REGVLÆ DE CONNEXIONE Syllabarum.

¶ I. *Rectè conjunguntur in eâdem ſyllabâ conſonantes, quæcunque à principio dictionis ſimul ſumi poſſunt, videlicet Muta cum liquidis: ut ſm*-ſmaragdus. *ſp*-ſpero. *ſt*-ſtruo. *ſc*-ſcamnum. *ſq*-ſqualor. *fl*-fluvius. *fr*-frango. *Mn*-Mnemoſynon. *Bl*-Blandus. *Br*-bruma. *Pl*-pluma. *Pſ*-Pſalmus. *pr*-premo. *pt*-ptiſana, Ptolemæus, &c.

¶ II. *Omnis conſonans media inter duas vocales poſita ad poſteriorem vocalem pertinet, ut*, Do-minus. Sa-pi-ens.

¶ *Excipiuntur ab his Compoſita, in quibus (integris maximè manentibus) conſonantes ſua quæq; parti attribuuntur, ut* 1. *in* Ob-ruo. Ab-ra-do. Ab-latus. Abs-traho. 2. Ab-eo. Præter-eo.

¶ III. *Duæ conſonantes geminatæ nunquam ſimul ſumuntur, ſed ad diverſas ſyllabas pertinent: ut* il-le, an-nus.

¶ IV. *Vocis particula ad alteram lineam in ſcribendo reſervata notatur hoc ſigno, (quod rejectionis, à Typothetis diviſionis, à Muſicis cuſtodis dicitur.)* ‾-.

¶ V. *Derivativa primitivorum ſcripturam ſequuntur, ut* A-gmen, Te-gmen, Do-ctrina, *quia in* A-go, Te-go, Do-ceo, *Syllaba à G & C inchoatur.*

[*Nobiliorum Grammaticorum ſententia eſt, eandem eſſe rationem literas ſeu ſyllabas conjungendi, quæ etiã eſt disjungendi, adeoq; quamlibet vocem reſolvendã eſſe in eas partes, ex qui-*

ex quibus est conflata: ut: sicut, *conflatum est ex* sic *&* ut, *unde hac dividendi ratio fuerit*, Sic-ut, *non* Si-cut. *Similiter dividenda forent sequentia:* Et jam, *non* e-tjam, Per-it, *non* pe-rit, Dis-cerno, *non* Di-scerno, *qua etiam est sentētia Manutij, viri in Grammaticis exercitatissimi. Sed putaverimus cum Bonciario Italo nonnunquā utriusq;, hoc est, & compositionis & pronunciationis rationem habendā esse, potissimùm in illis vocibus, qua per compositionem corrupta sunt. Annon enim vitiabis pronunciationem, si sequentia sic dividas:* Inter-itus, ob-itus, dis-cessus, per-imo, et-iam? *Sin verò pronunciatio non lædatur, exceptioni præmissa locus erit, ut* inter-pono, inter-turbo. *Nec multum ab hac sententia abscedit Scal. de.c.l.l.c.49.*]

CAPUT III.

DE COMMUNISSIMIS VOCUM *affectionibus.*

* I. Hactenus de principiis vocum; sequuntur Voces integræ, quarum octo species, (*vulgò partes orationis dictæ*) enumerantur, nempe: Nomen, Pronomen, Verbum, Participium, Adverbium, Conjunctio, Præpositio & Interjectio.

[*Partes orationis definit Priscianus lib. 2. de Particip. voces indicantes mentis conceptum, id est cognitionem. Linacer annotat lib. 1. veteres sex tantùm fuisse contentos, & Participium Verbo, & Interjectionem Adverbio adnumerasse. Priscianus ponit. 7. Aristoteles & Theodectes verba modò & nomina & conjunctiones tradiderunt, ait Fabius lib. 1. cap. 6. Priscianum quod attinet, ejus sententia cum nostra facilè convenit, quia ille Interjectionem comprehendit sub Adverbio. Quòd Aristoteles tantùm duas partes tradit, nomen & verbum, facilè etiam expeditur, Nam ex partibus Orationis quadam sunt magis necessaria, Nomen & Verbum. Minùs ne-*

nius necessaria reliqua omnes. Illa pertinent ad Orationis perfectionem eam, quam Philosophi vocant ad esse, hæ ad perfectionem quam vocant ad benè esse. Nam sine prioribus illis Oratio constitui nequit, ut homo esse non potest sine anima & corpore. Posteriores ab oratione abesse possunt; sicut homo esse potest sine vestimentis, scientia, divitiis, &c. Qui interjectionem compendij caussâ omittunt & rejiciunt, argumento nituntur non planè firmo. Nam quamvis affectus animi quotidiano rusticorum sermone possint addisci, omninò tamen in arte locum requirunt. Quanquam nescio, an à rusticis nostris affectuum Latinas voces discere possis. Nec valet objectio: Partes orationis indicant conceptum mentis ex definitione Prisciani. Interjectio non significat conceptum mentis, sed affectum. Ergo non debet numerari inter Orationis partes sive voces integras. Respondetur enim per distinctionem; quòd significet affectum tantùm quò ad eum qui profert non autem quò ad audientem. Sufficientiam harum octo specierum Orationis prolixè & eruditè probat Scalig. lib. 3. de cc. ll. c. 72. Ridiculi ergo sunt, qui his enumeratis addere voluerunt Appellationem, Articulum, Vocabulum. Appellatio enim quid aliud est quàm Nomen? Articulus apud Latinos nullus. Vocabulum deniq; idem est quod vox seu dictio, sicut, idem sunt Mendicus & Mendicabulum, Saburra & Sabulum, statum & stabulum.

Adhæc non Grammaticus tantùm, sed & Rhetor, sed & Logicus suas Orationis partes habet, diverso scilicet considerandi modo: Grammaticus enim eas considerat quatenus respiciunt Orationem congruam: Rhetor, quatenus orationem ornatam, Logicus quatenus enunciationem, & notiones conceptuum mentis. Significatio harum partium qualis qualis ex Lexicis & vocabulariis fuerit petenda.]

* Partium orationis communissima Accidentia sunt, Species & Figura.

* Species est, quâ disquiritur, an vox sit primitiva, an derivativa.

[*Speciei*

[*Speciei vox hic videtur Metaphorica esse. Nam ut annotat Scal. lib. 4 de caus. Latin. ling. cap. 86. Specere verbū vetus fuit. In composita nunc invenitur, ut specula specularī: vox sanè ipsa militaris. Cùm positis insidiis aut è speculis contemplarentur agrestes olim Latini prælia ituri: aut supra specus ipsas, edito saxo stantes observarent, quid-rerū agerent procul hostes. Specus autem Græcum est, σπέος unde species pro re visa; sicut facies pro re facta. Ipsa igitur imago rei quæ in speciendi instrumentum reciperetur, species dicta. Ergo si res erit primi status, ejus imago species primaria dicta est: ut nomen ILVS, regem Troianum repræsentabat, qui primus ita dictus est: idcirco primitivam speciem appellarunt. Quæ verò flueret à priori, Derivativam, quoniam nomen alterum à priori per ejus vim derivaretur: ut; Ilus, Iulus, &c.*]

*Primitiva illa dicitur, quæ à nulla alia descendit, ut *equus*, *aper*.


*Derivativa est, quæ aliunde originem trahit, ut, *equuleus*, *aprugnus*.

[*Pulchrè Scal. de c. l. l. c. 68. Omnes voces, inquit, in quædam principia deduci, in quibus necesse sit sistere intellectum, sicut & in rebus naturalibus, ubi nullum est infinitum. Ut divertendum sit tandem ad unum, in quo conquiescas, quod aliorum caussa sit, ipsius caussa nulla.*]

*Figura est qua disquiritur, sitné vox simplex, an composita.

[*Scaliger cap. 88. Figuræ appellationem respuit. Quare hoc, inquit, quod appellarunt veteres Figuram, mihi potiùs vocanda videtur species, id est, facies quadā. Nos utramque vocem ut terminum technicum, impunè retinemus. Priscianus & alii addiderunt tertiam* Decompositam, *quæ ex aliis compositis nascatur, ut experientia, suffragium, ab experior & suffragor. Iniustitia & insatiabilitas, ab iniustus & insatiabilis. Vel, ut alii concinniùs, quæ ex nomine, aut verbo & duabus præpositionibus componitur. ut indefessus, inex-*

haustus,



nhaustus, adimpleo. Sed cùm hæc à nobis sub compositâ comprehendatur, supervacanea fuerit. A partibus nostris stat Scaliger dict. loc. cum ait: De composita verò, quæ à Græcis dicta est παρασύνθετος, non video, quare tertium faciat membrum. Neque enim Magnanimitas à magnanimo deducitur: Sicut neque ab impio impietas sed ex in & pietas, factum est. Quædam enim simplicia non inveniuntur, quæ inveniuntur composita. Exemplo est Epitogium; non enim Togiū dicitur. Igitur non erit compositum, cùm partium altera nusquam extet separata. Item alia multa ejusdem modi sunt: Mustela, conspicor: quorum partes desiderantur, &c.]

* Simplex est quæ in partes significantes ejusdem originis dividi nequit, ut *maturus*, *disco*, *lego*.

[*Frischlin. ita: quæ in partes significativas dividi non potest. Lessius ex Thoma ita: quæ non potest dividi in duas vel plures partes intelligibiles, prioris sensus capaces. Quæ definitio cum nostra congruit. Addendum enim est, ejusdem originis. vel prioris sensus capaces. Nam in voce* Muscatum, *habeo quidē plures partes significativas*, Mus catum, Musca tum, *sed non ejusdem originis. Si quis objiciat, in voce* justitia, *esse* jus *ejusdem originis, verum est, sed non est nisi una pars* Titia *enim (altera pars) non est vox significans, ejusdem originis. Simplex dictum est, quasi sine plica, Thom. Sic Scal. quod non sit resolubile in partes, exerc.* 307. *f* 20.]

* Composita, quæ in partes significantes dividi potest, ut, *præmaturus*, *edisco*, *perlego*.

[*Sæpè autem accidit, ut in compositione quædam literæ elidantur & mutentur, inprimis propter euphoniam, id est, suaviorem vocis sonum, quæ secundùm Diomedē interdum plus valet, quàm ipsa Analogia, vel Præceptorum regula, ut annotat Gellius lib.13: ceu videre est in ergo, animadverto, ambiguus, & similibus. Mutationis exempla sunt in surripio,*

pio, pelluceo, cognosco, &c. pro subrapio, perluceo, connosco. Veruntamen de literarum usu & mutatione suprà diximus, nisi fortè illud hîc advertendum fuerit; In compositione aliquando accidere ut literæ mutentur in sequentes vocis primariæ, & inprimis in initiales, ut supprimo, dicimus, non subprimo, succurro non subcurro, Nonnunquam tamen integræ manent, ut abnuo, non annuo, propter discrimen, obnixè, non onnixè, admiror, non ammiror.]

* Partes orationis sunt vel variabiles, ut Nomen, Pronomen, Verbum & Participium: Vel invariabiles, ut Adverbium, Conjunctio, Præpositio & Interjectio.

[Scalig. mavult appellare Declinabiles & Indeclinabiles, significatu generaliore. Frischlinus Flexibiles & Inflexibiles, vocat. Ramæi vocant voces numeri & sine numero. Caussas, quare tot sint partes orationis variabiles & tot invariabiles, eruditè investigantē vide Scal. de c. l. l. c 73.]

* Variabilium communia accidentia sunt, Numerus & Persona.

[Vulgò hactenus Personam tantùm Pronomini & Verbo attribuerunt. Verùm Scaliger de c.l.l. cap. 73 & 76. ostendit, etiā Nomini & Participio competere. Nam omnes vocativi sunt secunda persona. 2. Nomen est nota rerum; sive igitur tempus inspicias, sive dignitatem primò seipsum nominavit Homo. ut in homine primò persona, & ab eo aliis communicata. Quare persona primò est nominis affectio, deinde verbi, quod ipsum sit nomen secutum, quod, prima: ad quod, secunda, de quo, tertia. 3. Usus probatissimorum auctorum, ut Eurip. Venio Polydorus *Ovid.* Hospita Phyllis queror. homo sum. *Terent. &c ubi est prima persona. Nam non id fit vi Pronominis: sed contrà persona accedit Pronomini à Nomine. Est enim nomen vicarium. Aliàs non Pronomen à Nomine, sed Nomē à Pronomine depēderet. 4. Quòd si Nomini in communi competit casus, quantumvis casuum varia-*

tio in nonnullis deficiat, ut in Cornu, *(sunt enim casus diversi sed non per diversa elementa manifesti) igitur & Persona Nomini non deneganda, quantumvis earum ordo indiscretus sit, qui tamen in Vocativo apertè posteà exprimitur. 5 Linacer. fatetur, Participium capere à Nomine casum & personam, &c Idem igitur judiciū de Participio. Quòd verò Scal. etiam ad invariabiles personam extendit, dextrè accipiendum est, sicut ipse se explicat, cap. 75.]*

* Numerus est in voce unius à multis discretio.

* Estq; vel singularis, vel pluralis.

[Quemadmodum à consuetudine occupatū est, ut unum etiam numerus: ita quoq; secutū fuit, ut numerus alius diceretur Singularis, alius Pluralis: & hi duo numeri in Latina lingua sufficiunt. Neq; enim medium ullum est, inquit Scaliger cap. 78. inter unum & plura: quoniam plura ex uno frequentato facta sunt. Quare Iones non rectè fecêre, qui Dualem numerū à plurali discerpsêre: atq; iccircò severiores Æoles neque recepêre, neque in Latinos transmisêre, &c. Insuper, singularis numeri proprium est, finitum esse, id est, certum: quia scimus, quantum sit hominum, cùm dicimus, Homo. At pluralis infinitus est, non quòd fine careat: nihil enim in natura infinitum; sed quia sit incertus. Si enim dicas, Homines, quot sint nescias, itaque additur aliquid praescribens, ut decem, viginti. Scaliger ibidem.]

* Singularis, quo unum quid significatur.

* Pluralis, quo plura significantur.

[Ne cui dubium, aut scrupulus relinquatur, tenendum, quaedam nomina esse singularia positione, at pluralia intellectu: exempli caussa; nomina collectiva, ut, turba, cōcio, plebs, exercitus, grex populus, &c. Et contrà, quaedam pluralia positione, singularia intellectu; ut Athenae, literae, moenia. Ex Scaligero & Prisciano libr. 5. hujusmodi distinctio peti potest, 1. Quaedam nomina ubique numerum admittunt, ut patet in voce Sacra. 2. Quaedam sunt semper singularia. 3. Quaedam

Quadam semper pluralia. 4. Quadam non, sed alia singulari numero plura significantia, alia plurali numero singula semper singularia fecit natura & usus. Natura singularia sunt individua, ut Sol, Cæsa. Pluralia ut Gemini, Pisces. Vsu singularia, ut Fumus, sanguis. Cur enim dicere non liceret duos fumos, duos sanguines? Pluralia, ut, Saturnalia, Floralia. Vsum tamen nonnunquam emendari autoritate, docet dit Scalig. lib. 4. de caus. l. l. c. 18. Confer & Frischlin. lib. 2. Grammatic. c 2. pag. 28. 26. Ramei addunt numerum incertum, quo indefinitè nec singula, nec res plures significantur. ut Amare, amandi, amatu.]

Persona est rei significatæ sub ordine demonstratio.

[*Grammatici Personam non definierunt, nisi quòd in Pronomine aut Verbo nonnulli afferunt definitiones, cum tamen Persona etiam Nomini competat. Nos igitur, ne quid perfectioni artis deesse videretur, hanc dare voluimus. Si quis meliorem attulerit, nulla inuidia est. Dicimus autem, sub ordine, ob respectum trium personarum.*]

Personæ sunt tres: Prima, Secunda, Tertia.

Prima est, quæ vocem effert: (*eiq; preponi potest Pronomen, Ego & Nos.*)

* Secunda, ad quam vox dirigitur, (*eiq; praponi potest Pronomen Tu & Vos.*)

* Tertia, de qua vox effertur, (*eiq; preponi potest Pronomen Ille & Illi.*)

[*Ternarium personarum numerum eruditè Scalig. indagat. de c. l. l. c. 73. A caussa efficiente est prima. Est enim principium. Finis autem ejus est communicare quod sentit, cum quopiam, qua est secunda. Materia autem ipsa de qua loquutur, tertia. Est igitur prima, Efficiens doctrina. Doctrina enim*

na enim caussa oratio. Secunda finis, docetur enim. Tertia Materia; de qua agitur. Oratio autem ipsa, Forma. Quòd verò etiam muta res tertiæ personæ nomine venit, factum propter rei nobilitatem. Est enim Homo sibiipse & omnium rerum regula & mensura, ideò de re muta etiam sub ratione regulæ, cujus mensurâ cognoscitur, oratio institui dicitur. Caterùm in definitionibus Personarum, puerorum gratiâ & majoris lucis ergò notas addidimus ex pronomine, cùm ad definitionem aliàs non pertineant.]

De Origine vocum, ut communissimâ omnium affectione, ut etiam de numero & Persona, communi affectione vocum variabilium, hæc generaliter dicta sunto: specialiorem earundem per exempla declarationem in ipsam tractationem cujusq; partis orationis rejicimus.

CAPUT IV.

DE NOMINE, ET EIUS QUALITATE, *ubi & de Motione ac Comparatione.*

*Nomen est pars orationis variabilis, quæ rem significat, non actionem. Vel, *Est vox variabilis per casum, quæ rem primò significat sine tempore.*

[*Ramæis est vox numeri, quæ cum genere & numero flectitur per casus.* Primò, *juxta Frischl. additur ad differentiam pronominis, quod rem quidem significat, sed non primò. Primò enim personam significat, rem secundò. At Nomen rem primò significat, personam secundò.* Sine tempore, *additur ad differentiam verbi & participii. Scaliger etiam ita definit*

definit: Nomen est nota rei permanentis: quæ definitio potissimum Verbo & Participio opponitur. Idem enim est, res permanens & res sine tempore, quod Melanchthon sic exprimit: rem non actionem. Hujus oppositum est res fluens seu res sub tempore, quod est Verbi proprium & Participii. Plenior fuerit Scaligeri definitio hoc modo. Nomen est dictio significans primò rem permanentem. Nam etiam Nota vocabulum est genus remotius.]

*Nomini accidunt octo: Qualitas. Numerus, Persona, Casus, Declinatio, Genus, Species & Figura.

[Non ignoramus, quod de Qualitate Scalig. monet. divisionem Nominis in Substantivum & Adjectivum esse in ejusdem species, non in accidentia. Verùm potest Qualitas in lata significatione dici, quæ etiam apud Philosophos usurpatur, ut quòd Differentia prædicetur in Quale. Item Qualis dispositio argumentorum, item Qualis sit Deus, videlicet trinus in personis. Sic & vocabulum Accidentis hic à Grammaticis sumi censendum est. Itaq; hos terminos retinemus. maximè propter pueros, ut cùm interrogantur, quale sit nomen, facilius intelligant, quid quæratur. Ob eandem caussam primo loco ponitur, ne si consueta ratio examinandi mutetur, pueri perturbentur. Alioquin specierum tractatio ex lege methodi sequi debet doctrinam communium affectionum. Motionem, ex qua nonnulli peculiare accidens Nominis faciunt, nos commodè ad Qualitatem referimus. Sicut & comparationem solorum Adjectivorum affectionem constituimus, consentiente Scal. de caussis l. l. c. 91. Examinaturus enim puerum non quærere potest, Nomen hoc cujus est Motionis aut Comparationis: quia non omnia Nomina moventur neq; omnia comparantur.]

*Ex Qualitate nomen est vel Substantivum, vel Adjectivum.

[*Quibusdam est idem, quod concretum & abstractum in Logicis, quod perpetuæ veritatis non est. Substantiva enim in Logicis sæpè concreta sunt, ut homo. Alii dividunt in Fixū & Mobile, per Fixum intelligentes Substantivum, per Mobile Adiectivum. Verùm rectè Scaliger cap. 91. l.l. censet esse minùs commodas appellationes: quia fixum videretur esse indeclinabile & invariabile. Ipse verò Substantivum vocat* Essentiale, *quia non solum substantiis, sed etiam accidentibus convenit: Adiectivum verò* Denominatiuum. *Quas appellationes non negamus esse optimas. Retinere tamē malumus terminos usitatos & in Scholis receptos, sicut & ipse Scalig. facit perspicuitatis caussa, cap. 127. Nonnulli Nomen dividunt in Proprium & appellativum. Appellatiuum verò in Substantivum & Adjectivum, quos refellit Scal c 93. de c. l.l. Quidam addunt* Ambigua *nomina, quæ dicunt esse neq; Substantiva nec Adjectiva, sed media, ut verbalia, civis, servus, Bellator. Verùm hæc Adjectiva esse Scal pulchrè docet, cap. 98*]

† Utrunque est vel unius terminationis; vel plurium, ac tùm *moveri* dicitur.

Motio est variatio terminationis secundùm sexum.

* Substantivum est, cujus significatio per se absq; altero addito intelligitur, vtpote cui in nostra vernacula lingua addi non potest Mann/ Weib/Ding: ut *homo, equus, bos.*

[*Frischlin. definit, quod tribus generibus variari non potest, Adjectivum verò quod tribus generibus variari potest. Verùm hoc est ex accidenti definire, non essentiam propiùs tangere. Vel ut Scal inquit de re alia, Definitio hæc non est ab essentia, sed ab accidente, cap. 93. E Scal talis afferri potest: Nomen significans rem, quæ non mutatur alio atque alio subiecto.*]

† Substan-

† Substantivorum terminatio plerunque una est, ut hic corvus, hic picus, hic regulus, hęc alauda, hæc cornix, hæc coturnix: Interdum verò eadem discretis vocibus efferuntur, ut hic gallus, hæc gallina; hic columbus, hæc columba. *Motio substantivorum.*

[*Perspicuitatis caussa exemplis à Grammaticis adjici solet pronomen Hic, Hæc & Hoc, quod non indicat aut præscribit individuum, sed tantum sexum, ut Scal. inquit, c. 91.*]

* Substantivum est Proprium, vel Appellativum.

* Proprium est, quod uni soli rei convenit, hoc est, quod in eadem specie uni tantùm attribuitur, ut *Iulius, Bucephalus, Roma, Rhenus, &c.*

[*Non obstat definitioni, quòd interdum propria pluribus attributa videantur, ut tres Virgilii, duo Simones, duo Iudæ: item Metelli, Fabii, Catones, Scipiones, Mecœnates, &c. Id enim fit ex accidenti, quando 1. vel idem nomen pluribus convenit, vel 2. quando nomen metaphoricè proprietatem, vel similitudinem notat: vel 3. quando nomina gentilitia & cognomina naturam induunt Appellativorum, ut in exemplis patet. Docendi causa proprium sic distingui potest, ut aliud dicatur secundùm* ꝗ(ιν *sive impositionem, quæ plerunque est arbitraria: Talia sunt nomina propria, civitatum, Insularum; fluviorum, & plurimorum hominum. 2. aliud secundùm naturam, ut Plautus, Sedigitus, Labeo, Crassus, Longus, &c. Vide Scal. de caus. Latin. ling. c. 92. 3. aliud secundum usum. 4. aliud secundùm Antonomasian vel Synecdochen generis pro specie, ut sapiens pro Salomone. Poëta pro Virgilio. Pro propriis non rarò etiam habentur & ponuntur. 1. Patronymica. 2. possessiva aut patria. 3. Epitheta quædam: Vide infrà appendicem ad caput 27. 17.*

Alia distinctione, propria à Grammaticis constituuntur quadruplicia: Prænomina, Nomina, Cognomina, Agnomina. Prænomen *est nomen proprium cuique, ut Publius, Marcus, Cajus.*



cus, Cajus. Nomen, *commune toti familiæ, Scal. vocat notam familia, ut Cornelius, Tullius, Licinius.* [*Hodiè tamen cognomen appellatur,* Cognomen *quod eventu accessit, ut à corporis habitu, rebusvé gestis, ut Scipio. Cicero. Calvus, Africanus.* Agnomen *apud veteres erat idem quod cognomẽ, sed postea peculiariter ita appellatum fuit, quod præter illa tria à rebus gestis aut eventu accessit, ut Africanus, Stolo. Vide Scalig. cap. 92 de c. l. l. Verep. lib. 2. cap. 2. Item P. Crinit. lib. 3. cap 4 ex Eutrop. referentem, quòd prænomina Romanorum originem traxerint à Sabinis, contracto fœdere post virgines raptas: id quod Scal. concedit verum esse de quibusdam, non de omnibus. Vide & pulchra apud Macrob libr. 1. cap. 6. Solin. cap. 4. & Val. Max. lib. 10 epitom. Notandum Prænomina 1. in scriptura abbreviari, ita ut vel unica litera, vel duabus, vel tribus tantùm signentur, ut P. Publius. M. Marcus. Cn. Cneus, Sex. Sextus. 2. non posse verè flecti numero plurali, sicut cætera, nisi ex accidenti, ut suprà dictum. 3. imposita liberis septimo die à nativitate, cùm lustrarentur. Scal. d. l. ex Aristot. contra Prob. Grammaticum, qui negat indita pueris ante togam virilem, puellis ante nuptias. At Pomp. Festus inquit, apud nos lustrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, unde dea Nundina, à nono die nascentium, quia his lustrantur, atq; eis nomina imponuntur. Suidas verò apud Athenienses decimo die id factum scribit. Vide Cœl. Rhod. lib 22. cap. 12 Disserit etiam Scal. cap. 91. l. l. An* Sol, Luna, &c. *sint nomina propria an appellativa? Et concludit esse nomina individuorum, imposita individuis per se, speciei autem per accidés. Itaq; si Democrito dicas, plures Soles, Lunas, Mundos, erit ac si Scaligerũ & illum Dictatorem dicas Cæsares. Aut si tum speciei nomen esse volueris, individuis alia nomina erunt quærenda*]

* Appellativum est, quod multis est commune, hoc est, quo communiter omnes ejusdem speciei res appellantur; ut: ***homo, equus, urbs, flumen.***

[*Quem-*

[Quemadmodum Proprium, ita etiam Appellativum distingui potest, ut 1. aliud sit appellativum secundùm impositionem: Talia sunt nomina transcendẽtium generum & specierum in Metaphysicis & Logicis. 2 secundùm Synecdochen speciei pro genere, ut cum dicitur Irus pro paupere, Salomõ pro sapientia, Nero pro Tyranno, Mecœnas pro fautore literarum & literatorũ. 3. Secundùm modum significandi. Et sic Deus etiam est nomen appellativum, ex sententia Divi Bernhardi, & Thomæ Aquin. part. 1 summ. qu. 13. art. 9 ad 2. 4 secundũ collectionem sive multitudinẽ, ut populus, gens, turba, concio, grex, &c. Scalig. de caus. Latin. ling. lib 4. c. 91 dicit Appellativum quare vocarint, sanè se nescire: & subjicit post pauca: Appellativum autẽ quare dixêre? an quia sub se vocat multa? At etiam Adjectivi id interest: nihil enim differt concretũ ab abstracto, nisi modo significationis, non significatione: At etiam propria nomina suam rem appellant. Verùm enim verò neutra ratio aliquid roboris habere videtur. Non prior: quia Substantivum non semper abstractum, nec concretum semper Adjectivum, ut suprà dictum, & in Logicis prolixè ostẽditur. Non posterior: quia propria appellant quidem rem, sed sub ratione unitatis & incommunicabilitatis: Appellativa autem sub ratione communicabilitatis & multitudinis: Si quis appellare malit commune, quod ipsum videtur accuratius, non errabit. Appellat enim communiter omnes res ejusdem speciei. Linacer observat Appellativorum vim obtinere & Adjectiva neutra; ut in illo Salustij: Quibus divitiæ bono & honesto potiores erant. Et Virgil. Eclog. 2. Dulce satis humor. Et ejusdem: Triste lupus stabulis. Item: Quid, quod, ut Terentius: Quid illic rerum gerit? Cicero Attic. Militum quod haberent ad nos deducerent. Et Quodcunq;. Idem: Vos hortor, ut quodcunque militum contrahere poteritis, contrahatis.]

* Adjectivum est, cuius significatio absque altero aliquo intelligi non potest, utpote cui in vernaculâ nostrâ addi potest Mann / Weib / Ding: ut *albus*, *niger*.

[*De Adjectivo meritò notantur verba Scaligeri è libr. 4. de causſ. Latin ling. c. 93. ubi veterum Grammaticorum opinionem & recenſet & refutat. Adjectivum inquiunt, quod adjicitur propriis, vel appellativis, & ſignificat laudem, vel vituperationem, vel medium, vel accidens, unicuiq; Principiò definitio hæc non eſt ab eſſentia, ſed ab accidente. Eſſentia enim Adjectivi eſt, ſignificare aliquid alicui quod inſit; at hoc, quod eſt Adjici, accidens eſt: poteſt enim vel adjici, vel non adjici, accidit enim voci, ut conſtruat orationem, quanquam hoc accidens eſt proprium fluens ab ipſa eſſentia. Sanè etiam extra orationem hæc vox Bonus, dicetur Adjectivum, nec tamen adjicietur. Itaq; perversè quoque data eſt definitio hæc, cùm præpoſitum fuit hoc quod eſt Adjici, huic quod eſt ſignificare. Perverſa verò etiam alia ratione. Cùm enim laudem & vituperationem poſuêre, addiderunt Accidens, quaſi verò ea accidentia non ſint, atque eſt, veluti ſi dicas, Corvue eſt crocitans animal, nigrum, coloratum. Accidens igitur ſive ſignificet σύμπτωμα, ſive συμβεβηκὸς, ſive ἐνδεχόμενον, genus eſt comprehendens laudem, & vituperationem, non minùs quàm Album, & Nigrum, quæ ipſi pro exemplis appoſuêre. Malè etiam appoſuêre unicuique, non enim dantur definitiones individuorum, ſed ſolæ ſpecies definiuntur.*]

¶ *Adjectivum eſt vel* UNIUS TERMINATIONIS, *ut ſunt adiectiva tertiæ declinationis, quæ in poſitivo aliter quàm in* IS *&* E *deſinunt, ut hic, hæc, hoc, felix, ſapiens, vetus, cicur, par, concors, dives, inops, concolor, Arpinâs.*

[*Ex his quædam formant etiam fœminina ſub diverſa terminatione, ut ſoſpes ſoſpita, pauper, paupera, ſed antiquè. Priſc. lib. 5. Ab hac Claſſe exime ea, quæ ſunt trium & duarum terminationum ſimul, ut, non invenitur ſylveſter, volucer, &c. in fœminino aut neutro genere, ſed ſylveſtris, ſylveſtre, volucris, volucre, tantùm.*]

Vel DUARUM: *ut ſunt adiectiva in* IS *tertiæ declina-*

declinationis, (quæ masculinum & fœmininum terminant in IS, neutrum in E) *item comparativi* (qui masculinum & fœmininum terminant in OR, neutrum in VS) *ut hic, hoc fortis, hoc forte: hic, hæc doctior, hoc doctius.* *Motio Adjectivorum.*

VEL TRIVM, *ut Adjectiva secundæ declinationis, in ER, VR, VS,* (quæ fœmininum terminant in A, neutrum in VM) *ut hic niger, hæc nigra, hoc nigrum: hic satur, hæc satura, hoc saturum: hic doctus, hæc docta, hoc doctum.*

VEL TRIVM & DVARVM SIMVL, *ut adjectiva tertiæ declinationis in ER, & IS, quæ his versibus comprehenduntur:*

Sylvester, volucer, celer, & campester, & acer,
Atq; alacer, celeberq;, *deinde* saluber, equester,
Adde paluster, *itemq;* pedester, *itemq;* sequester.
Hæc faciunt ER, Is, E: *vel* Is, E *tantummodo formant*,
A substantivis deducta sequentibus adde:
Arma, animus, clivus, nervus, frenumq; bacillum,
Atq; jugum, somnusq; *per Isq; per Vsq; moventur*
Sic hilarisq; hilarusq; *modo formatur utroq;.*

Vt hic acer, hæc acris, hoc acre: & hic, hæc acris, hoc acre. *Item*: hic exanimus, hæc exanima, hoc exanimum: & hic, hæc exanimis, hoc exanime.

[*Recenset & nonnulla alia Auson. Popma libr. 1. cap. 8. de usu antiq. loc. ut Gracilis, & antiquè Gracilus apud Lucil. Imberbis, & antiquè Imberbus apud Varr. Sterilis, & antiquè sterulus, apud Lucret. Sublimis & apud Sallust. Sublimus. Sic derivata in ARIS etiam in ARIVS terminabant veteres, ut articularius morbus apud Cat. Peculiarius apud Vlpian. & Pompon. Vulgarius apud Afran. & Gell. Singularius,*

larius, apud Gell. &c. Sic Benevolus & Benevolens, Suaviloquus & Suaviloquens. Opulentus & Opulens. Ita & in Substantivis terminationes variant, ut symbolum, symbola, de quibus infrà in Heteroclitis plura. Posset etiam hac adjectivorum in terminatione diversitas ad Heteroclita commodè referri. In omnibus verò spectandum est, quid usus ferat, quid respuat. A sequester reperitur etiam sequestra, sequestrum. Annotat Lossius, Adjectivum esse vel commune, quod multis Substantivis tribui possit, ut albus, vel proprium, quod uni tantùm Substantivo competat, ut Gradivus de solo Marte dicitur, Lyæus de solo Baccho, &c.]

DE COMPARATIONE.

* Accidit quibusdam Adjectivis comparatio.

[*Comparationem Scaliger facit affectionem Nominis non quâ Nomen est, sed quâ vox, id est genericam, quia non solis Nominibus, sed & Participiis, Adverbiis, Præpositionibus nonnullis competit, ut Honoratior, honoratissimus: prope, propius, &c. Verùm quia non ex æquo omnibus Participiis, Adverbiis, &c. competit, maluimus retinere consuetam methodum, ut illam speciatim in Nomine tractaremus. Ceterùm rectè idem reprehendit eos, qui comparationem indiscretè Adjectivorum affectionem constituunt. Dubitet quispiam, an & Substantiva comparentur? Non possunt incrementum suscipere significationis, Quare nec comparari possunt. Quòd igitur apud Plautum legitur* Pœnior, oculissimus, *ad hoc ita Scal. respondet: Nationem indicantia ita demum exorientur, si non statum hominis, sed gentis ostendent mores. Quare &* Neronior, *non à Neronis substantia, sed à sævitia comparabitur ad significandum. Ita & oculissimus non substantiam quæ magis & minùs non suscipit, sed qualitatem significare dicendum est, id est, dilectissimus tanquàm oculus.* Ipsissimus *quoq; eodem Scalig. judice, mera licentia Poëtica est. Rectè itaque Versor in talibus exemplis ait non esse propriam comparationem, sed abusivam.*

* Com-

* Comparatio eſt variatio nominis Adjecti-vi per gradus.

† Nomina Adjectiva intellige, quæ comparata apud idoneos authores reperiuntur: ut potiſſimùm ſunt ea, quorum ſignificatio augeri minuíve poteſt.

[*Adjectiva enim, quorum ſignificatio augeri minuive nequit, prorſus nõ cõparantur, ut poſſeſſiva diminutiva, interrogativa partitiva, diſtributiva, gẽtilitia, patria, materialia, numeralia, pronominalia: Itẽ deſinentia in* Us *purum (id eſt, quæ vocalem habent ante* Us) *ut pius: Quadã in* dus *participia, ut colendus, reverendus*: plex *duplex* (*excipe ſimplex & multiplex,*) imus, *legimus*: ivus, *fugitivus, deliberativus: Derivata in* inus, *craſtinus, matutinus*: ſter, *campeſter, cõpoſita in* ger, *corniger*: fer, *lethifer, furcifer, & ſimilia. Sunt & nonnulla, quæ quamvis ſignificatione augeri minuíve poſſint, tamen non cõparantur: non quia vetet ratio, ſed quia uſus eorum comparationẽ non probavit, ut Almus, balbus, canus, canorus, claudus, cicur, criſpus, delirus, egenus, memor, &c. De quibus notetur canon Grammaticus*: Doctorum eſt uſus ſemper ſpectandus ubique. *Vide Scal. c. 93. l. l.*]

† Adjectivorum autem incomparabiliũ gradus cõpenſantur per particulas *magis* & *minùs, maximè, admodũ*, ut: Pius, magis pius: rudis, maximè, vel admodùm rudis: reverẽdus, colẽdus, maximè vel admodùm reverẽdus, colendus; pro quo nonnulli reverendiſſimus, colendiſſimus, dicunt. Compoſita à Per, aſſumunt pro comparativo, *multò* vel *longè*: pro ſuperlativo, *Quàm*: ut: perbrevis: multò brevior: quàm breviſſimus.

* Gradus comparationis tres ſunt: *Poſitivus, Comparativus, & Superlativus.*

[*Alij numerant duos tantùm gradus comparationis: comparati-*

parativum & superlativum, omisso positivo, eò, quòd adjectivum absolutum sit. Atqui cùm adjectivorum aliud sit cõparabile, aliud incomparabile, positivus relatè saltem ut principium respectu comparativi & superlativi, gradib. annumerari potest. Aliàs enim non competeret ei definitio gradus vulgaris, quæ talis à Grammaticis assignatur: Gradus est derivatio comparativi & superlativi à positivo, eorumq; inter se distinctio, quæ tum à voce, tum à significatione sumitur. Verùm alii hoc non attendunt, & positivum gradum appellare nõ erubescunt. Nec malè nostro iudicio: I quia gradus hic dicitur Metaphoricè ad similitudinem gradus realis. In rebus enim tres sunt gradus principales, infimus, medius & supremus. Sic ergo positivus erit infimus, Comparativus medius, Superlativus supremus, II. Quia gradus significat Qualitatem, & intendi potest ac remitti. Si significat absolutè, est Positivus: si cum excessu circa terminum, est Comparativus. Si cum excessu in termino, est Superlativus.

* Positivus est prima vox adjectivi, rem absolutè & simpliciter significans.

¶ *Hujus terminationes sunt* Er, Ur, Es, Is, Us, Ns, Rs, X: ut *niger, satur, locuples, dulcis, doctus, sapiens, iners, felix.*

[*A par Plaut. in superlativ. dixit parissimus per jocum comicum, &c.*]

* Comparativus est, qui supra positivi significationem magis significat.

[*Usus igitur comparativi est, rem attollere, deprimere, adeò ut nonnunquam ipsum superlativum attollat, vel minuat: ut Miserior miserrimo, &c. Scaliger lib. 4. de caus. Latin. ling. c. 101. contendit nomen comparativo non fuisse inditum pro re, 1. quia multa Nomina sint comparativa, quippe notæ comparationis, multa Adverbia, ut, similis, dissimilis, propinquus, qualis, quantus, velut, sicut, & alia ejusmodi. 2. quia non omnis comparatio excessum significet: quare ab hac differẽtia potiùs nomen consequi par fuisse, quàm à commu-*

communi cum multis natura illa. Itaq; judicat commodiùs ἐπιτατικὸν, *quàm* συγκριτικὸν *appellari potuisse. At, quod cum pace dixerimus, quid hoc aliud est quàm* λογομαχία*? Scaliger enim latiùs vocem sumit, quàm Grammatici solent. His enim sic dicitur* κατ' ἐξαίρετον *sive per excellentiam, non quòd solus comparet, sed quòd major & frequentior per eum fiat comparatio quàm per gradus alios. Deindè quòd nomen accipit à comparatione, inde est, quia est gradus medius, & medium utriusq; extremi naturam sapit. Nomen igitur consecutum fuit tanquam à priori, quia medium plus est quàm extremum aliquod. Deniq; si rationes Scaligeri firmiter concluderent; tum neque comparationis, neq; gradus nomen retinendum fuerit. Hoc autem ipse nominibus aliis destitutus retinere cogitur. Porrò dicimus Comparativum supra Positivi significationem magis significare; non cum veteribus, significare positivum cum magis, quia denominativum non significat nomen unde ducitur, sed rem alio modo, sic Comparativum rem significat; non nomen, &c. Coincidit ergò nostra definitio cum illa quam ponit Scaliger: Comparativum est species dictionis excessum significans ad alterum relatum. Inquis, hæc definitio latior est definito, quia & Superlativus excessum significat. Responsio, utrq; quidem excessum significat, sed ut dictum, Comparativus circa terminum, Superlativus in termino. Vel: Comparativus significat excessum cum relatione ad alium; Superlativus significat excessum ultimum. Nam ut disputat. Scal. Comparativum à Superlativo non differt specie; sed est aut sicut pars in toto, sive ad totum; aut idem cum ipso in re; diversum autem in modo, relatione ipsa scilicet; idque patet ex hoc exemplo. Si enim dico: Varro est doctissimus omnium Romanorum, quid aliud dico quàm illud: Varro est doctior ceteris Romanis? Comparativus enim est modus quidam Superlativi. Innuit hanc responsionem etiam Linacer, dum Comparativa ita definit: Comparativa sunt quæ excessum absoluti sui, unius pluriumve respectu significant, solviq; possunt in absolutum cum Adverbio Magis, &c.*

Cur verò Comparativus non etiam significet Minus, edisserit Scal. c.101.l.l.]

* Hujus terminationes sunt: Masculina & Fœminina Or: neutra Us: ut *hic & hæc doctior, & hoc doctius.*

[*Priscianus lib. 7. testatur, vetustissimos etiam Neutrum in Or finiisse; ut bellum Punicum posterior: sed juniores non debent quemvis unctum lapidem adorare; verùm hæc atque similia exempla observare, non imitari.*]

¶ *Formatur comparativus regulariter à positivi casu in* I *desinente, adjecta syllaba* Or, † h.e. si positivus fuerit secundæ declinationis à Genitivo; si tertiæ, à Dativo; ut: *Amicus, ci, amicior: pudicus, ci, pudicior: spurcus, ci, spurcior: solicitus, ti, solicitior:* Sic & *fortis, tis, ti, fortior: saluber, bris, bri, brior: felix, cis, ci, cior: prudens, tis, ti, tior.*

* Superlativus est, quo unum aliquid multis aut etiam omnibus sui generis præfertur: [*Unde & nomen habet à superferendo*,] hoc est, qui supra positivi significationem valdè sive maximè significat.

[*Scaliger mavult appellare* ὁλοθετικὸν *aut* ἀκροθετικὸν, *quàm* ὑπερθετικὸν: *quoniam* τὸ ὑπὲρ *non significat* τὸ ὅλον, *sed ipsum habeat suos gradus. Usus ejus est, rem vel in summo, vel in infimo loco collocare. De significatione ejus vide Vallam lib. 1. cap. 13. & 14.*]

* Terminationes ejus regulares sunt *Rimus & Simus*, ut tenerrimus, doctissimus.

[*In*

[*In universum reperiuntur 8 dua regulares, & sex irregulares. Rimus, ut nigerrimus. Simus, ut doctissimus. Limus, facilimus. Fimus, infimus. Nimus, minimus, Remus, supremus, ultimus. X mus maximus.*]

¶ *Quæ* R *finiunt, superlativum faciunt adjectâ* Rimus: *ut niger, nigerrimus, pulcher, pulcherrimus.*

¶ *Quæ autem aliter, quàm* R *finiunt; superlativum faciunt adjectâ* S & simus, *ad positivi casum in* I *desinentem: ut, doctus, ti, doctissimus: candidus, di, dissimus: felix, cis, ci, cissimus: prudens, ntis, nti, ntissimus.*

¶ Excipiuntur *ab hac regulâ, quorum superlativi in* limus *desinunt juxta versiculum.*

Dant tibi quinque Limus, quæ signat dictio Fagus: ut

Facilis	*facilimus,*
Agilis	*agilimus,*
Gracilis	*gracilimus,*
Humilis	*humilimus,*
Similis	*similimus.*

Sic & composita, ut Difficilis, difficilimus, Dissimilis, dissimilimus.

[*His addit Valla* docilimus *pro* docilissimus, *libr. 6. cap. 26 Poëta autem* L *geminant, ut Iuvenal. Satyr. 6.* Rara avis in terris, nigroq; simillima cygno. *Ex Grammaticis etiam nonnulli dicunt* agillimus, gracillimus, docillimus. *Sed hæc posteriora usus vix admittit. Nam prioris (simillimus) videtur hæc ratio esse. 1. quia semper apud Poëtas producitur; Manutius, Scal. (nisi forte dicere malis, id omne fieri necessitate Metrica, de qua in Poëticis egimus) 2. quia proprium ejus fuit geminari ob soni lenitatem. 3. quia in antiquis exemplaribus omnibus ita scriptum est, & 4 quia*

subest tum analogia, tum analogia causa, quare sit geminanda. Scal.lib. 4. *l. l. c.* 101. *Invenitur etiam* humillima, *apud Sedulium : Victus in extrema descendit* humillima *terra*]

ANOMALIA COMPARATIONIS.

† Est vel defectivorum ; vel variantium.

† Deficiunt positivo *ocyor, ocyssimus*, à Græco ὠκύς, *potior, potissimus*, *à potis & pote* inusitato: *deterior, deterrimus*, ab exoleto *deter*.

[*His subjiciunt nonnulli comparativos & superlativos, quos à præpositionibus* extra, intrà, ultra, citra, supra, infra, post, prope, ante ; *formari existimant. Verùm cùm plerorunq; positivi aut hodie adhuc existent, aut saltem apud antiquos reperiantur, eorum comparatio à regulari quodam modo deflectens, talis fuerit.*]

Exter, exterior, extremus & extimus: inter, interior, intimus: ulterior, ultimus: super, superior, supremus & summus: citer, citerior, citimus: infer, inferior, infimus: poster, posterior, postremus & postimus: propis, propior, proximus: anter, anterior: pri prior, primus:

[*Vide Frischl. Strig. c.* 6. *Scal. c.* 86. *c. l. l prior, primus, deducit à Pri, quod est Pra : sicut Ni (unde nihilum) est idem quod Ne.*]

† Comparativo carent : *Invitus, invitissimus: inclytus, inclytissimus : diversus, diversissimus : novus, novissimus : falsus, falsissimus: fidus, fidissimus : Jurisconsultus, Jurisconsultissimus : Christianus, Christianissimus : meritus, meritissimus : persuasus, persuasissimus: nuper, nuperrimus: sacer, sacerrimus:*

[*Quanquam suprà, diximus, desinentia in* Us *purum carere comparativo & superlativo: Inveniuntur tamen apud ve-*

pud veteres exempla contraria, quæ observanda, non temerè imitanda sunt: Sic apud Plautum est comparativus industrior; *apud Catonem* innoxior, *apud Plaut.* strenuior; *apud Varronem* assiduior: *Ciceronem* assiduissimè: *Catonem* arduissimus, perpetuissimus; *Pacuvium* egregiissimus: *Ovidium* vacuissimus: *Quintil. Plaut. Curt. Senec.* piissimus: patruissimus: taciturnissimus: ipsissimus *apud Plaut. Item* parvissimus *apud Lucret.* Magnificissimus *Attium*: Beneficissimus *Catonem*: Mirificissimus *Terentium: quorum multa nonnunquam jocosè & ad movendum populo risum excogitata sunt; ut non sine causâ existimat Verepæus lib. 2. p. 2. 16.*]

† Superlativo carent *anter, anterior: adolescens, adolescentior: declivis, declivior: dives, divitior, infinitus, itior: ingens, ntior: juvenis, junior, & juvenior: longinquus, ior: propinquus, ior: senex, senior, &c.*

[*Apud Ovid. Plaut. Terent. Lucret. legitur Divitior. Etiam Divitissimus apud Cic. 2. de off. & in Paradox. & apud Cornel. Nepot. in vita Phocion. At Dis facit in comparativo Ditior, in superlativo Ditissimus.*]

† Variantia sunt, quæ comparativos & superlativos suos contra aliorum formam ac regulam faciunt; ut *Bonus, melior, optimus: Malus, pejor, pessimus: magnus, major, maximus: parvus, minor, minimus: multus, plurimus, multa, plurima; multum, plus plurimum*: Item hæc: *dexter, erior, errimus & dextimus: sinister, erior, errimus & sinistimus; vetus, veterior, veterrimus*: Et quæ cum verbis Dico, Volo, Facio & Loquor, componuntur: ut *Maledicus, maledicentior, centissimus: benevolus, lentior, lentissimus, magnificus, cêtior, centissimus: grandiloquus, quentior, &c.*

[*A superlativis etiam reperiuntur novi comparativi & superlativi, ut proximus. proximior, postremus, postremissimus.* (*apud Gell. lib.* 5 *cap.* 12.) *Ab adverbiis quoq; extant Nomina superlativi gradus, ut Diu, diutissimus, sæpe, sæpissimus,* (*sæpissima discordia, apud Caton.*) *Sic nonnulli à penitus derivant penitissimus, quod tamen est à positivo regulari penitus, a, um: quo usi sunt Plautus & Apulejus. Cæterùm dicitur etiam pientior, pientissimus, ab obsoleto piens, id est, pius.*]

CAPUT V.

De Numero, Persona & casibus.

* Numeri nominum sunt, Singularis, ut *hic Cæsar*; Pluralis, ut *hi Cæsares*.

* Personæ in nomine indiscretæ sunt, excepto Vocativo, qui est Personæ tantùm secundæ.

[*Indiscreta, nempe ita ut quodlibet Nomen possit sub quavis persona considerari, ut Homo intelligo, in prima, Homo intelligis, in secunda, Homo intelligit, in tertia. Quo fit, ut cadat regula Grammaticorum vulgata, Nomina esse tantùm Personæ tertiæ. Vide suprà cap.* 3.] p. 35

* Casus est specialis nominis terminatio.

[*Comparandæ scientiæ duo sunt gradus,* ὄνομα καὶ λόγος, *inquit mellitus Philosophus, hoc est, Plato. De nomine igitur casus ante omnia aliquid monebimus. Accipitur vox apud Philosophos potissimùm quintupliciter. I. pro omni motu naturali, qui fit deorsum secundum grave. Nam alia quæ ingressu aut volatu aut alio quovis modo deor-*

do deorſum moventur, non feruntur naturali motu gravitatis; ſed voluntario: quo motu etiam ſurſum ſubeunt. At naturalis motus ad unum tantum fit, inquit Scaliger lib. 4. de cauſ. Latin. L. c. 80 ubi tamen motũ voluntarium latiùs ſumit pro eo quem alii, & inter hos Pererius, vocant mixtũ. Nam propriè loquendo, voluntas (adeoq; & motus voluntarius) tantùm eſt ἐν τῷ λογικῷ in homine. Itaque bruta non dicuntur velle ſed inſtigari: unde inſtinctus dicitur à natura: ſicut à Diis afflatus apud M. Tullium, ut diſputat Scaliger ipſe exerc. 307. ſ 4. l. l. Sumitur in Phyſicis pro eventu fortuito; ut ſi tripes deorſum cadat, & ſedes fiat, Ariſtot. lib. 2. Phyſic. c. 6. t. 60. & 61. III. Apud Ariſtotelem libr. 1. περὶ ἑρμην. Caſus tantùm ſumuntur pro obliquis, qui quadam declinationis origine cadunt à Nominativo; qui an caſus nominandus ſit, paulò pòſt exponemus. IV. Apud eundem in Categ. & Cic. in Topic. caſus generaliter pro quacunq; flexione & variatione, quæ fit ab eodem themate, uſurpatur. A duabus prioribus ſignificantionibus, quæ Phyſicæ ſunt, oritur V. quæ Grammatica eſt, & Metaphorica, deſumpta à corporibus quæ ſola naturaliter moventur. Hinc ſunt illæ phraſes apud Ciceronem; Cadere cauſa: Cadere ſpe: excidere memoria; quibus utimur quoties aliter quid aut eſt, aut evenit, quàm aut priùs erat, aut ſperabatur Definitur à nobis, Nominis terminatio ſpecialis, quia & in Motione & Comparatione & Numero & Specie eſt terminationis variatio, ſed certo diſcrimine: in Motione ſecundùm ſexum, in Comparatione ſecundùm gradum, in Numero ſecundùm unum & plura, in Specie ſecundùm originem. Caſus verò præter hæc omnia alio quodã diſcrimine terminationem variat, quod difficile eſt certa appellatione inſignire. Scal. quidẽ c. 80. de cauſ. l. l. definit: caſus eſt terminationis effectus diverſus à prima impoſitione. Sed hac definitio Nominativum excludit, quem ipſe etiam excludendum contendit, ſi ſtrictè agendum ſit. Quærit enim, Rectus antequàm cadat, caſuſné ſit? Si eſt, ergò ſine inflexione & mutatione erũt caſus obliqui, & non erit cauſſa cur mutatio inſtituatur. Si obliqui caſus ſunt,

ergò ille non fuit, mutatum enim non est idem. Verùm cùm ipsemet fatetur, Nominativum voce largiùs sumpta casum appellari posse, ut terminum à quo, (cujusmodi ferè ratio suprà in positivo gradu etiam fuit) non est, quod nodum in scirpo quæramus. Versor ita definit: casus est modus significandi accidentalis, datus Nomini ad significandum rem suam per modum ut quod, vel ut cujus, vel per modum ut cui, vel per modum ut quem, vel per modum excitati ad actum verbi prosequendum, vel per modum ut à quo. Hæc est distributio potiùs quàm definitio: ut non dicam, principalem partem esse omissam, terminationis scilicet mutationem. Etsi enim quædam voces casu distinguuntur, quæ terminatione non sunt variatæ, ut Musa in Nominativo & Ablativo & Vocativo, tamen id defectu materiæ, non formæ evenire dicendum est, ut pulchrè Scalig. d. l. distinguit. Thom. super Donat. ita: Casus est proprietas nominis, quâ illud significat rectè aut obliquè. Rectè, id est, sine connotatione obliquitatis, obliquè, cum connotatione obliquitatis. Hæc definitio præterquàm quòd eodem vitio, quo superior, laborat, etiam idem per idem explicat. Prisciani definitionem refutatam vide apud eundem Scal. l. d.]

* Casus nominum sunt sex: Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus, & Ablativus.

[*De ordine casuum paulò aliter atq; nos Scaliger statuit cap 82. Latin. ling. ubi vide: sugillat etiam casuum appellationes c. 81. & cum in varios usus fusi essent, dicit nō solùm diversa nomina, sed etiam supervacanea esse sortitos: Dativum meliùs dici autumat Acquisitivum; Accusativum mitiùs αἰτιατικὴν ut causa sit non accusatio: Vocativum non malè salutatorium, Ablativi deniq; nomen non semper auferre, sed etiam dare, &c. Equidem largimur varia & plura esse casuum officia, quàm nomina significare videntur, sed novum non est rem denominari à parte aliqua officii potiori digniori, frequentiori, sicut exemplis hoc ostenditur à*

Zaba-

Zarabella de natural. scient. constitut. c. 26. & libr. 1. de med. demonstrat. cap. 20. & Scal. ipso lib. 2. Poëtic. c. 90.]

† Nominativus prima vox est, qua nominamus rem.

† Genitivus, non quòd casus gignat, sed quòd eo utantur interrogati, cujus vel originis, vel possessionis res sit.

[Vnde alij eum vocârunt Patrium, ut (Gellius) alij possessorium, nonnulli uxorium. De Genitivo sic Henrichmannus: A Genitivo singulari formantur omnes obliqui. Ideò si Genitivus crescet, crescunt & alij obliqui: Si non, nec obliqui communiter, ut liber, liberi, libero: liber, libri, libro, &c. Hoc verum est de Numero singulari, in plurali non est perpetuum.]

† Dativus, quo utimur attribuendo aliquid cuipiam.

† Accusativus, quo utimur, cùm personam aut rem verbo subjicimus.

† Vocativus, quo vocamus.

† Ablativus, quo utimur, cùm auferri aliquid significamus.

* Horum alij sunt recti, alij obliqui.

* *Recti* sunt Nominativus & Vocativus.

* *Obliqui*: Genitivus, Dativus, Accusativus & Ablativus.

[Partes inflexi nominis à Recto quidem Obliquus, ab Erecto autem Casus appellari monet Scalig. cap. 80. l. l. Thomas pulchrè de Recto inquit: Recti duo sunt: primarius, ut Nominativus, & secundarius, qui dicitur Rectus secundùm quid, & secundùm quandam similitudinem, ut Vocativus. Addunt quidam casum septimum, *quando Ablativus ponitur sine præpositione; ut, Decernere ferro. Alij etiam* p. 340

 octavum,

octavum, *dativum figuratè adhibitum; ut, It clamor cœlo. Sed dudum illos refutavit Priscianus: Præpositio enim non ingreditur essentiam ullius casus, verùm ad captum puerorum Ablativo addi solita fuit. Nec diversa officia diversitatem casuum inferunt, ut modo dictum est: Alioquin & Accusativus in laudando, efficiendo, denominando, multos casus novos gigneret, quod absurdum est. Dicitur autem Ablativus proprius Latinorum, quia Græci Ablativum non habent, sed illum Genitivo, & Dativo reddunt, quamvis Frischlinus non tantùm Græcis, sed etiam Hebræis Ablativum attribuat, in Dial. 3. pag. 248. Sed perperam. Tot enim casus in quavis lingua sunt constituendi, quot variationes terminationis à prima impositione reperiuntur, ex definitione Casus. Nam si numerandi essent ex significatione, casuum infinitus numerus exoriretur. Iam in Græca, nulla est specialis terminatio, quæ Ablativuum constituere possit. In Hebræa verò propriè nullus casus est: nulla enim variatio terminationis: præterquam de singulari in pluralem & de absoluto statu in constructum. Quòd igitur vulgò à Grammaticis Hebræis casus distinguuntur, id non nisi ad analogiam Latinæ linguæ perspicuitatis caussa fieri intelligendum est. Atque idem judicium est de exemplis Frischlini è Cicerone, &c. allatis, ut de* ἐνδομύχῳ: *Vbi* ἐνδομύχῳ *non est Ablativus Græcus, sed Dativus ob terminationis convenientiam ad Latinum casum inflexus. Nam si in mixtis locutionibus necessariò idem casus requiritur, ergo si dicam, Platone* σοφώτερος, *Platone erit Genitivus, quia Græci comparativi Genitivum requirunt. Sic si Hebræorum Ablativus fit per Mem præfixum, non potero dicere* in Zijon, in Bethlehem, sed in mizijon, in mibbethlehem, *quod est absurdissimum. Quòd si Frischlinus intelligat Ablativum significatione, seu impropriè ad similitudinem tantùm Latinæ linguæ, tolerari ejus sententia potest, sicut & Thom. concedit, Græcos habere Ablativum implicitè, nempe in Genitivo & Dativo.*]

REGV-

REGVLÆ DE CASIBVS.

∗ I. Dativus & Ablativus plurales ubique ſimiles ſunt. ut. *his & ab his Muſis, Magiſtris, corporibus, cornibus, ſpeciebus.*

∗ II. Neutrum genus ubique habet tres ſimiles caſus in utroque numero, Nominativum, Accuſativum & Vocativum, qui pluraliter in A exeunt; ut, *Scamnum, pectus, cornu: ſcamna, pectora, cornua.*

¶ III. *Genitivus minor eſſe non debet Nominativo, ſed habeat vel pares ſyllabas, vel unâ duabuſvê eum excedat, ut, Muſa, Muſæ: Gener, generi: Anceps ancipitis: Supellex, ſupellectilis.*

Excipitur Iupiter, quod in Genitivo Iovis habet.

[*Ab antiquo Nominativo Iovis, ut Apulej.* Quem Iovis ipſe tremit. *Item à Martian. Capell. verſus Ennij affertur*, Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. *Plura exempla ubi Genitivus minor ſit Nominativo, non occurrunt.*]

∗ IV. Vocativus ſimilis eſt Nominativo in utroque numero. *Excepta terminatione AS & ES in Declinatione prima: VS & EUS in ſecunda.*

† V. Genitivus pluralis aliquando admittit ſyncopen: Rariſſimè tamen in neutris; ut duûm.

In I Declinatione, 1. Patronymica: ut: Dardanidûm. 2. Composita è gigno, colo; ut Terrigenûm, cœlicolûm: 3. Nundinúm, amphorúm, pro ARUM. In II. Declinatione: Nummûm, sestertiûm, divûm. usitatissimè. Et in distributivis; ut septenûm, Et adjectivis etiam Magnanimûm, pro ORUM. In III. In nominibus Ans. & Ens & As, ut, Parentûm, sapientûm, amantûm, Arpinatûm, optimatûm, civitatûm, pro IUM. In IV. ut, nurûm, passúm currúm, pro UUM, *quam tamen alij synalœphen dicere malunt.*

[*Scaliger cap. 85. l. l. quia derivat casus Latinos ex Græcis, censet in 2. declinatione non esse syncopen nummûm pro nummorum, sed integras esse voces, & Latinos per initia locutos ut Græcos, posteà verò caudam additam, ut diceretur nummorum, &c. ad differentiam Accusativi singularis. Vide plura huius generis exempla apud Auson. Popm. cap. 9. antiq. locut.*]

CAPUT VI.

DE DECLINATIONE *prima.*

* Declinatio est variatio nominis in fine per casus.

* Declinationes nominum sunt quinque.

[*Ramei Declinationes ex Dativo plurali, Nominativo singulari parisyllabo aut imparisyllabo, distribuunt,* in Parisyllabas & imparisyllabas. *Primam Declinationem, parisyllabam primam: Secundam, parisyllabam secundam: Tertiam, imparisyllabam primam: Quartam, imparisyllabam secundam: Quintam, imparisyllabam tertiam appellantes:*

Quan-

Quanquam nonnulli hasce duas posteriores ad anomaliam tertiæ imparisyllabæ in Genitivo crescentis reducant. Quamvis autem hujusmodi distributio tolerari possit : attamen, cùm nostra vulgata & usu magis recepta sit, nemo nobis vitio vertat, si eam, quippe ad captum puerorum accommodatam, retineamus. Illa via bona est, quæ tritissima est, inquit Lucianus.]

* Prima Declinatio est, cujus Genitivus & Dativus singularis desinit in Æ diphthongum: ut *hæc Mensa, huius & huic Mensæ.*

* Nominativi in hac Declinatione terminationes sunt 4. A, E, AS, ES.

† Quarum prima solùm Latina, Posteriores 3. origine Græcæ vel Hebrææ sunt.

[*Vna etiam in AM Hebræa, ut Adam, Abraham, promiscuè variabilis, & invariabilis, cui tamen nonnulli attribuunt Nominativum AS, ut Adas, Abrahas: usitatiùs verò in secunda declinatione dicitur Adamus, Abrahamus. De qua re sic Ald. Manut. Aut Abraha inclines, Abrahæ magis, aut Abrahamus. Hæc tibi Romanè flectere quando placet. Veteres autem, terminationes Græcas Latinè per A efferebant, ut Ænea, Pausania, Anchisa, Circa, Penelopa, pro Æneas, Pausanias, Anchises, Circe, Penelope. Vide Popm. lib. 1. cap. 5. 8.*]

* Genitivus in Æ, ut *huius Mensæ, Æneæ.*

† Græca verò nominativi terminatio in E, Genitivum, per Es facit, ut: Epitome, epitomes.

¶ *Deinde excipiuntur adiectiva fœminina decem: Vna, Vlla, Nulla, Sola, Tota, Alia, Altera, Vtra, Neutra, Alterutra, quæ genitivum per* Ius *faciunt: unius, ullius, &c.*

[*Apud vetustissimos quædam secundum regulam declinata*

tivi & Ablativi in ABUS terminantur, comprehensa hoc versiculo:

Filia, Nata, Dea, Liberta, Equa, Mula, Duæ, Ambæ.

[*Hu nonnulli addunt Animabus, Asinabus, Dominabus, Famulabus: quæ tamen Valla negat rectè dici, libr. 1. cap. 1. quamvis in vulgata Bibliorum versione exempla reperiantur. Cicero enim ad uxorem scribens duabus* animis *dixit; non animabus. Et Curt. de matre & uxore Darii, dixit* dominis, *non dominabus.* Mancinell. asinis *dixit; non asinabus. Quanquam Phocas asinabus rectè dici contendit, & in digest. lib. reperiri.* Servabus *etiam reperitur ff. de fun. in l. pradio.* Sociabus *apud* [illegible] *teste Sulpicio. Veteres quoque* dextrabus & eabus *pr[o] dextris & eis dixisse, tradit Valla d. l. sed non approbat. P[o]rrò ex octo illis indubitatis quadam etiam regulariter terminata leguntur, ut* Filiis *pro filiabus, apud Plaut. Stich.* natis *pro natabus apud Ovid. 13. metam. Plautum & Stat. Achilleid.* Diis *pro deabus apud Varr. lib. 1. de re rust. & lib. 3.* equis *pro equabus, apud Colum. libr. 7. & Ictos.*]

* Accusativus pluralis desinit in As; ut *Mensas, Epitomas. Si à terminationibus Es, As, Am, sit formandus, retinetur communis formula, ut, plures Æneæ, Socratæ: quo Gellius usus est lib. 14. c. 1.*

CAPUT VII.

DE SECUNDA DECLINATIONE.

* Secunda Declinatio est, cuius Genitivus singularis desinit in I, & Dativus in O: ut: *hic Magister, huius Magistri, huic Magistro.*

* Nominativi terminationes numerantur

6. ER

6. ER, ut *gener*: IR, ut *vir*; UR, ut *ſatur*: UM, ut *ſcamnũ*: US, ut *dominus*: Eus peregrina, ut *Orpheus*.

[*Friſchlin. terminationes* UR & IR, *ut non univerſales expunctas vult, quoniam unica cujuſq; vox ſit* ſatur & vir, *quæ tamen per Apocopen ſic dicantur pro Saturus, Virus: At etiamſi harum terminationum tres tantùm, nempe* ER, UM & US, *eſſent communes, vel, ut ille loquitur, univerſales; Cætera, ut* Ir, Ur &, Eus *ſingulares: tamen ob id ex arte excludi non poſſent, quùm ſint in uſu. Atqui non ſolùm Vir, ſed & Levir, Triumvir, Septemvir, Decemvir; Centumvir, Semivir, Trevir, &c. legitur. Terminatio verò* Eus *non eſt ſingularis, ſed ſingularium, ſeu propriorum. Nota peculiarem terminationem adjectivi neutri* Aliud, *à malſcul. Alius. prò quibus veteres dicebant Alis. Alid. Auſon. Pomp. lib. 1. antiq. loc. c. 5. Veteres etiam promiſcuè terminabant Er vel Vs, ut proſper & proſperus, Pulcher & Pulcherus, Super & Superus, Exter & Exterus, Menander & Menandrus, &c. Popm. de antiq. loc. 8.*]

† Eſt & Græca terminatio Os maſculini, vel fœminini; On, neutrius generis; ut; Samos, Euangelion, Enchiridion, &c.

* Genitivus ſingularis deſinit in I; ut: *Magiſter, Magiſtri: Scamnum, ſcamni.*

¶ *Decem autem adjectiva; Vnus, unum; Vllus, ullum; Nullus, um: Solus, um: Totus, um: Alius, ud: Vter, utrum: Alter, alterum: Alteruter alterutrum: Neuter, neutrum: (quod & in Genitivo Neutri facit) formant genitivum per* Ius: *ut Vnus, unius, &c.*

¶ *Pares cum* Nominativo *ſyllabas habent, quæ in* Er, *præcedente Mutâ, aut,* F, *item in* Us *aut* Um *finiunt, ut, liber, libri; cancer, cancri; dominus, domini: templum, templi; vaſer, vaſri.*

E † Exci-

subest tum analogia, tum analogiæ causa, quare sit geminanda. Scal. lib. 4. l. l. c. 101. *Invenitur etiam* humillima, *apud Sedulium : Victus in extrema descendit* humillima *terra*]

ANOMALIA COMPARATIONIS.

† Est vel defectivorum ; vel variantium.

† Deficiunt positivo *ocyor, ocyssimus*, à Græco ὠκύς, *potior, potissimus*, *à potis & pote* inusitato: *deterior, deterrimus*, ab exoleto *deter*.

[*His subjiciunt nonnulli comparativos & superlativos, quos à præpositionibus* extra, intrà, ultra, citra, supra, infra, post, prope, ante *; formari existimant. Verùm cùm plerorunq; positivi aut hodie adhuc exstent, aut saltem apud antiquos reperiantur, eorum comparatio à regulari quodam modo deflectens, talis fuerit.*]

Exter, exterior, extremus & extimus: inter, interior, intimus: ulterior, ultimus: super, superior, supremus & summus: citer, citerior, citimus: infer, inferior, infimus: poster, posterior, postremus & postimus: propis, propior, proximus: anter, anterior: pris prior, primus:

[*Vide Frischl. Strig. c. 6. Scal. c. 86. è. c. l l prior, primus, deducit à Pri, quod est Præ : sicut Ni (unde nihilum) est idem quod Ne.*]

† Comparativo carent : *Invitus, invitissimus: inclytus, inclytissimus : diversus, diversissimus : novus, novissimus : falsus, falsissimus: fidus, fidissimus: Jurisconsultus, Jurisconsultissimus : Christianus, Christianissimus : meritus, meritissimus : persuasus, persuasissimus: nuper, nuperrimus: sacer, sacerrimus:*

[*Quanquam suprà, diximus, desinentia in* Us *purum carere comparativo & superlativo : Inveniuntur tamen apud ve-*

pud veteres exempla contraria, quæ observanda, non temerè imitanda sunt: Sic apud Plautum est comparativus industrior; *apud Catonem* innoxior, *apud Plaut.* strenuior: *apud Varronem* assiduior: *Ciceronem* assiduissimè: *Catonem* arduissimus, perpetuissimus; *Pacuvium* egregiissimus: *Ovidium* vacuissimus: *Quintil. Plaut. Curt. Senec.* piissimus: patruissimus: taciturnissimus: ipsissimus *apud Plaut. Item* parvissimus *apud Lucret.* Magnificissimus *Actium*: Beneficissimus *Catonem*: Mirificissimus *Terentium: quorum multa nonnunquam jocosè & ad movendum populo risum excogitata sunt; ut non sine causâ existimat Verepæus lib. 2. p. 2. 16.]*

† Superlativo carent *anter, anterior: adolescens, adolescentior: declivis, declivior: dives, divitior, infinitus, itior: ingens, ntior: juvenis, junior, & juvenior: longinquus, ior: propinquus, ior: senex, senior, &c.*

[Apud Ovid. Plaut. Terent. Lucret. legitur Divitior. Etiam Divitissimus apud Cic. 2. de off. & in Paradox. & apud Cornel. Nepot. in vita Phocion. At Dis facit in comparativo Ditior, in superlativo Ditissimus.]

† Variantia sunt, quæ comparativos & superlativos suos contra aliorum formam ac regulam faciunt; ut *Bonus, melior, optimus: Malus, pejor, pessimus: magnus, major, maximus: parvus, minor, minimus: multus, plurimus, multa, plurima; multum, plus plurimum*: Item hæc: *dexter, erior, errimus & dextimus: sinister, erior, errimus & sinistimus: vetus, veterior, veterrimus*: Et quæ cum verbis Dico, Volo, Facio & Loquor, componuntur: ut *Maledicus, maledicentior, centissimus: benevolus, lentior, lentissimus, magnificus, cẽtior, centissimus: grandiloquus, quentior, &c.*

[*A superlativis etiam reperiuntur novi comparativi & superlativi, ut proximus, proximior, postremus, postremissimus, (apud Gell. lib. 5 cap. 12.) Ab adverbiis quoq; extant Nomina superlativi gradus, ut Diu, diutissimus, sæpe, sæpissimus, (sæpissima discordia, apud Caton.) Sic nonnulli à penitus derivant penitissimus, quod tamen est à positivo regulari penitus, a, um: quo usi sunt Plautus & Apulejus. Cæterùm dicitur etiam pientior, pientissimus, ab obsoleto piens, id est, pius.*]

CAPUT V.

DE NUMERO, PERSONA & casibus.

*Numeri nominum sunt, Singularis, ut *hic Cæsar*; Pluralis, ut *hi Cæsares*.

* Personæ in nomine indiscretæ sunt, excepto Vocativo, qui est Personæ tantùm secundæ.

[*Indiscreta, nempe ita ut quodlibet Nomen possit sub quavis persona considerari, ut Homo intelligo, in prima, Homo intelligis, in secunda, Homo intelligit, in tertia. Quo fit, ut cadat regula Grammaticorum vulgata, Nomina esse tantùm Personæ tertiæ. Vide suprà cap. 3.*]

* Casus est specialis nominis terminatio.

[*Comparandæ scientiæ duo sunt gradus, ὄνομα καὶ λόγος, inquit mellitus Philosophus, hoc est, Plato. De nomine igitur casus ante omnia aliquid monebimus. Accipitur vox apud Philosophos potissimùm quintupliciter. I. pro omni motu naturali, qui fit deorsum secundum grave. Nam alia quæ ingressu aut volatu aut alio quovis modo deor-*

do deorſum moventur, non feruntur naturali motu gravitatis, ſed voluntario: quo motu etiam ſurſum ſubeunt. At naturalis motus ad unum tantum fit, inquit Scaliger lib. 4. de cauſ. Latin. L. c. 80 ubi tamen motũ voluntarium latiùs ſumit pro eo quem alii, & inter hos Pererius, vocant mixtũ. Nam propriè loquendo, voluntas (adeoq; & motus voluntarius) tantùm eſt ἐν τῷ λογικῷ in homine. Itaque bruta non dicuntur velle ſed inſtigari: unde inſtinctus dicitur à natura: ſicut à Diis afflatus apud M. Tullium, ut diſputat Scaliger ipſe exerc. 307. ſ. 4. l. l. Sumitur in Phyſicis pro eventu fortuito; ut ſi tripes deorſum cadat, & ſedes fiat, Ariſtot. lib. 2. Phyſic. c. 6. t. 60. & 61. III. Apud Ariſtotelem libr. 1. περὶ ἑρμην. Caſus tantùm ſumuntur pro obliquis, qui quadam declinationis origine cadunt à Nominativo: qui an caſus nominandus ſit, paulò pòſt exponemus. IV. Apud eundem in Categ. & Cic. in Topic. caſus generaliter pro quacunq; flexione & variatione, quæ fit ab eodem themate, uſurpatur. A duabus prioribus ſignificantionibus, quæ Phyſicæ ſunt, oritur V. quæ Grammatica eſt, & Metaphorica, deſumpta à corporibus quæ ſola naturaliter moventur. Hinc ſunt illæ phraſes apud Ciceronem; Cadere cauſa: Cadere ſpe: excidere memoria; quibus utimur quoties aliter quid aut eſt, aut evenit, quàm aut priùs erat, aut ſperabatur. Definitur à nobis, Nominis terminatio ſpecialis, quia & in Motione & Comparatione & Numero & Specie eſt terminationis variatio, ſed certo diſcrimine: in Motione ſecundùm ſexum, in Comparatione ſecundùm gradum, in Numero ſecundùm unum & plura, in Specie ſecundùm originem. Caſus verò præter hæc omnia alio quodã diſcrimine terminationem variat, quod difficile eſt certa appellatione inſignire. Scal. quidẽ c. 80. de cauſ. l. l. definit: caſus eſt terminationis effectus diverſus à prima impoſitione. Sed hæc definitio Nominativum excludit, quem ipſe etiam excludendum contendit, ſi ſtrictè agendum ſit. Quærit enim, Rectus antequàm cadat, caſuſné ſit? Si eſt, ergò ſine inflexione & mutatione erũt caſus obliqui, & non erit cauſſa cur mutatio inſtituatur. Si obliqui caſus ſunt,

ergò ille non fuit, mutatum enim non est idem. Verùm cùm ipsemet fatetur, Nominativum voce largiùs sumpta casum appellari posse, ut terminum à quo, (cujusmodi ferè ratio suprà in positivo gradu etiam fuit) non est, quod nodum in scirpo quaramus. Versor ita definit: casus est modus significandi accidentalis, datus Nomini ad significandum rem suam per modum ut quod, vel ut cujus, vel per modum ut cui, vel per modum ut quem, vel per modum excitati ad actum verbi prosequendum, vel per modum ut à quo. Hæc est distributio potiùs quàm definitio: ut non dicam, principalem partem esse omissam, terminationis scilicet mutationem. Etsi enim quædam voces casu distinguuntur, quæ terminatione non sunt variatæ, ut Musa in Nominativo & Ablativo & Vocativo, tamen id defectu materiæ, non formæ evenire dicendum est, ut pulchrè Scalig. d. l. distinguit. Thom. super Donat. ita: Casus est proprietas nominis, quæ illud significat rectè aut obliquè. Rectè, id est, sine connotatione obliquitatis, obliquè, cum connotatione obliquitatis. Hæc definitio præterquàm quòd eodem vitio, quo superior, laborat, etiam idem per idem explicat. Prisciani definitionem refutatam vide apud eundem Scal. l. d.]

* Casus nominum sunt sex : Nominativus, Genitivus, Dativus, Accusativus, Vocativus, & Ablativus.

[*De ordine casuum paulò aliter atq; nos Scaliger statuit cap 82. Latin. ling. ubi vide: sugillat etiam casuum appellationes c. 81. & cum in varios usus fusi essent, dicit nō solùm diversa nomina, sed etiam supervacanea esse sortitos: Dativum meliùs dici autumat Acquisitivum ; Accusativum meliùs αἰτιατικὸν ut causa sit non accusatio : Vocativum non malè salutatorium, Ablativi deniq; nomen non semper auferre, sed etiam dare, &c. Equidem largimur varia & plura esse casuum officia, quàm nomina significare videntur, sed novum non est rem denominari à parte aliqua officii potiori digniori, frequentiori, sicut exemplis hoc ostenditur à*

Zaba-

Zarabella de natural. sci ent. constitut. c. 26. & libr. 1. de med. demonstrat. cap. 20. & Scal. ipso lib. 2. Poëtic. c. 90.]

† Nominativus prima vox est, qua nominamus rem.

† Genitivus, non quòd casus gignat, sed quòd eo utantur interrogati, cujus vel originis, vel possessionis res sit.

[Vnde alij eum vocârunt Patrium, ut (Gellius) alij possessorium, nonnulli uxorium. De Genitivo sic Henrichmannus: A Genitivo singulari formantur omnes obliqui. Ideò si Genitivus crescet, crescunt & alij obliqui: Si non, nec obliqui communiter, ut liber, liberi, libero: liber, libri, libro, &c. Hoc verum est de Numero singulari, in plurali non est perpetuum.]

† Dativus, quo utimur attribuendo aliquid cuipiam.

† Accusativus, quo utimur, cùm personam aut rem verbo subjicimus.

† Vocativus, quo vocamus.

† Ablativus, quo utimur, cùm auferri aliquid significamus.

* Horum alij sunt recti, alij obliqui.

* *Recti* sunt Nominativus & Vocativus.

* *Obliqui*: Genitivus, Dativus, Accusativus & Ablativus.

[Partes inflexi nominis à Recto quidem Obliquus, ab Erecto autem Casus appellari monet Scalig. cap. 80. l. l. Thomas pulchrè de Recto inquit: Recti duo sunt: primarius, ut Nominativus, & secundarius, qui dicitur Rectus secundùm quid, & secundùm quandam similitudinem, ut Vocativus. Addunt quidam casum septimum, *quando Ablativus ponitur sine præpositione; ut, Decernere ferro. Alij etiam* p. 340

 octavum,

octavum, *dativum figuratè adhibitum; ut, It clamor cœlo. Sed dudum illos refutavit Priscianus: Præpositio enim non ingreditur essentiam ullius casus, verùm ad captum puerorum Ablativo addi solita fuit. Nec diversa officia diversitatem casuum inferunt. ut modò dictum est: Alioquin & Accusativus in laudando, efficiendo, denominando, multos casus novos gigneret, quòd absurdum est. Dicitur autem Ablativus proprius Latinorum, quia Græci Ablativum non habent, sed illum Genitivo, & Dativo reddunt, quamvis Frischlinus non tantùm Græcis, sed etiam Hebræis Ablativum attribuat, in Dial. 3. pag. 248. Sed perperam. Tot enim casus in quavis lingua sunt constituendi, quot variationes terminationis à prima impositione reperiuntur, ex definitione Casus. Nam si numerandi essent ex significatione, casuum infinitus numerus exoriretur. Iam in Græca, nulla est specialis terminatio, quæ Ablativuum constituere possit. In Hebræa verò propriè nullus casus est: nulla enim variatio terminationis: præterquam de singulari in pluralem & de absoluto statu in constructum. Quòd igitur vulgò à Grammaticis Hebræis casus distinguuntur, id non nisi ad analogiam Latinæ linguæ perspicuitatis caussa fieri intelligendum est. Atque idem judicium est de exemplis Frischlini è Cicerone, &c. allatis, ut de* ἐνδομύχῳ: *Vbi* ἐνδομύχῳ *non est Ablativus Græcus, sed Dativus ob terminationis convenientiam ad Latinum casum inflexus. Nam si in mixtis locutionibus necessariò idem casus requiritur, ergo si dicam, Platone* σοφώτερος, *Platone erit Genitivus, quia Græci comparativi Genitivum requirunt. Sic si Hebræorum Ablativus fit per Mem præfixum, non potero dicere* in Zijon, in Bethlehem, *sed* in mizijon, in mibbethlehem, *quod est absurdissimum. Quòd si Frischlinus intelligat Ablativum significatione, seu impropriè ad similitudinem tantùm Latinæ linguæ, tolerari ejus sententia potest, sicut & Thom. concedit, Græcos habere Ablativum implicitè, nempe in Genitivo & Dativo.*]

REGV-

REGULÆ DE CASIBUS.

* I. Dativus & Ablativus plurales ubique similes sunt. ut, *his & ab his Musis, Magistris, corporibus, cornibus, speciebus.*

* II. Neutrum genus ubique habet tres similes casus in utroque numero, Nominativum, Accusativum & Vocativum, qui pluraliter in A exeunt; ut, *Scamnum, pectus, cornu: scamna, pectora, cornua.*

¶ III. *Genitivus minor esse non debet Nominativo, sed habeat vel pares syllabas, vel unâ duabusvè eum excedat, ut, Musa, Musæ: Gener, generi: Anceps ancipitis: Supellex, supellectilis.*

Excipitur Iupiter, quod in Genitivo Iovis habet.

[*Ab antiquo Nominativo Iovis, ut Apulej.* Quem Iovis ipse tremit. *Item à Martian. Capell. versus Ennij affertur,* Mercurius, Iovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo. *Plura exempla ubi Genitivus minor sit Nominativo, non occurrunt.*]

* IV. Vocativus similis est Nominativo in utroque numero. *Excepta terminatione AS & ES in Declinatione prima: VS & EUS in secunda.*

† V. Genitivus pluralis aliquando admittit syncopen: Rarissimè tamen in neutris; ut duûm.

In I

In I Declinatione, 1. Patronymica: ut: Dardanidûm. 2. Composita è gigno, colo; ut Terrigenûm, cœlicolûm: 3. Nundinúm, amphorúm, pro ARUM. In II. Declinatione: Nummûm, sestertiûm, divûm. usitatissimè. Et in distributivis; ut septenûm, Et adjectivis etiam Magnanimûm, pro ORUM. In III. In nominibus Ans, & Ens & As, ut, Parentûm, sapientûm, amantûm, Arpinatûm, optimatûm, civitatûm, pro IUM. In IV. ut, nurûm, passûm currûm, pro UUM, *quam tamen alij synalœphen dicere malunt.*

[*Scaliger cap. 85. l. l. quia derivat casus Latinos ex Græcis, censet in 2. declinatione non esse syncopen nummûm pro nummorum, sed integras esse voces, & Latinos per initia locutos ut Græcos, postea verò caudam additam, ut diceretur nummorum, &c. ad differentiam Accusativi singularis. Vide plura huius generis exempla apud Auson. Popm. cap. 9. antiq. locut.*]

CAPUT VI.

DE DECLINATIONE *prima.*

* Declinatio est variatio nominis in fine per casus.

* Declinationes nominum sunt quinque.

[*Ramei Declinationes ex Dativo plurali, Nominativo singulari parisyllabo aut imparisyllabo, distribuunt,* in Parisyllabas & imparisyllabas. *Primam Declinationem, parisyllabam primam: Secundam, parisyllabam secundam: Tertiam, imparisyllabam primam: Quartam, imparisyllabam secundam: Quintam, imparisyllabam tertiam appellantes: Quan-*

Quanquam nonnulli hasce duas posteriores ad anomaliam tertiæ imparisyllabæ in Genitivo crescentis reducant. Quamvis autem hujusmodi distributio tolerari possit: attamen, cùm nostra vulgata & usu magis recepta sit, nemo nobis vitio vertat, si eam, quippe ad captum puerorum accommodatam, retineamus. Illa via bona est, quæ tritissima est, inquit Lucianus.]

* Prima Declinatio est, cujus Genitivus & Dativus singularis desinit in Æ diphthongum: ut *hæc Mensa, huius & huic Mensæ.*

* Nominativi in hac Declinatione terminationes sunt 4. A, E, AS, ES.

† Quarum prima solùm Latina, Posteriores 3. origine Græcæ vel Hebrææ sunt.

[*Una etiam in AM Hebræa, ut Adam, Abraham, promiscuè variabilis, & invariabilis, cui tamen nonnulli attribuunt Nominativum AS, ut Adas, Abrahas: usitatiùs verò in secunda declinatione dicitur Adamus, Abrahamus. De qua re sic Ald. Manut. Aut Abrahæ inclines, Abrahæ magis, aut Abrahamus. Hæc tibi Romanè flectere quando placet. Veteres autem, terminationes Græcas Latinè per A efferebant, ut Ænea, Pausania, Anchisa, Circa, Penelopa, pro Æneas, Pausanias, Anchises, Circe, Penelope. Vide Popm. lib. 1. cap. 5. 8.*]

* Genitivus in Æ, ut *huius Mensæ, Æneæ.*

† Græca verò nominativi terminatio in E, Genitivum, per Es facit, ut: Epitome, epitomes.

¶ *Deinde excipiuntur adiectiva fœminina decem: Una, Ulla, Nulla, Sola, Tota, Alia, Altera, Utra, Neutra, Alterutra, quæ genitivum per Ius faciunt: unius, ullius, &c.*

[*Apud vetustissimos quædam secundum regulam declinata*

nata reperias, ut solæ, totæ, alteræ *in Dativo apud Terent. quemadmodum &* unæ rei *in Genitivo apud Ciceron.* Aliæ *apud Gellium.* Nullæ rei *apud Caton. & Plaut. Porrò Genitivum antiqui per diæresin finiebant in Ai, ut* Albai rex longai: *Enn. pro alba longa:* aquai *apud Virgil. (de quo Vide Gell & Politian misc. 43.) pro aqua,* Pictai *pro picta. Item in AS, nominum quorundam in A: ut* Majâs *&* aurâs, *imitatione Græcorum. Unde meritò Scaliger libr. 4 de cc. ll. c. 85. notat eos qui tam delicatas aures habuere qui Virgilio lib. 11.* Nihil ipsa nec aurâs, Nec sonitus memor, *limam adhibuerunt, &* auræ *quàm* aurâs *legere maluerunt, cùm sic quoque veteres Latinos locutos fuisse constet. Sic apud Livium (non historicum illum sed Andronicum Poëtam) est* Escas *pro Esca,* Monetas *pro Moneta,* Latonas *pro Latona, ut observavit Priscianus libr. 6.* Terrâs *pro terra dixit Nonius,* Fortunas *Nævius,* Curas *Attius,* Tristitias, vias *Ennius & Lucretius, quæ tamen omnia hodie in imitationem temerè trahi haud debent. De Genitivis Achati, Ogygi, ab Achates, Ogyges; Vide in declin 3.]*

† Genitivus antiquus Familias in his compositis remansit: Paterfamilias, Materfamilias, Filiusfamilias.

[*In quibusdam* Es *mutatur in* Is, *ut Psaltes, Psaltis, Drances, Drancis. Quæ ad tertiam Declinationem referenda videantur, nisi vocativus productus refragetur: ut,* Larga quidem semper Drance, tibi copia fandi, *Æn. 11.*]

* Dativus desinit in Æ; *ut huic Mensæ, Epitomæ.*

¶ *Excipiuntur antè dicta adiectiva, quæ Dativum per* I *faciunt, ut* Uni, Toti.

[*Quibusdam terminatio* E *cum Nominativo est eadem. Quos sequitur Melanchthon*]

* Accusativus desinit in Am, ut *hanc Mensam.*

† Ex-

† Exceptis quibusdam peregrinis in As & A, quæ accusativum faciunt per Am & An, ut Æneas, Æneam & Ænean: Iphigenia, Iphigeniam & Iphigenian: Maja, Majan: Electra, Electran. Sed in E faciunt accusativum per En: ut Epitomen. In Es verò & potissimùm Patronymica in Des per En, per Am & per An, ut Atrides, Atriden, & Atridam & Atridan: Scipiades, Scipiaden, & Scipiadam & Scipiadan.

[*Nisi dicere velis, terminationem Am esse à Nominativo in A, sicut & Epitomam veteres dixerunt ab Epitoma.*]

* Vocativus similis est nominativo.

* Sed è Nominativo in As & Es abjicitur S, ut *Æneas, ô Ænea: Anchises, ô Anchise.*

[*Vel Anchisa à Nomin. Anchisa.*]

† Ablativus desinit in A, ut *ab hac Mensa.*

† Ex nominativo in *Es*, Ablativus terminatur, in E, ut ab Anchise, Epitome.

[*Ab Anchisâ, Ablativus est à Nominativo Anchisa. Verep.*]

*** Plurales, Nominativus, & Vocativus similes in Æ desinunt, ut, *Mensæ, Epitomæ.***

*** Genitivus in ARUM, ut, *Mensarum, Epitomarum.***

*** Dativus & Ablativus similes in Is.**

*** Excipe illa fœminina, quorum Dativi**

tivi & Ablativi in ABVS terminantur, comprehensa hoc versiculo:

Filia, Nata, Dea, Liberta, Equa, Mula, Duæ, Ambæ.

[*His nonnulli addunt Animabus, Asinabus, Dominabus, Famulabus: quæ tamen Valla negat rectè dici, libr.* 1. *cap.* 1. *quamvis in vulgata Bibliorum versione exempla reperiantur. Cicero enim ad uxorem scribens duabus* animis *dixit, non animabus. Et Curt. de matre & uxore Darii, dixit* dominis, *non dominabus. Mancinell.* asinis *dixit; non asinabus. Quanquam Phocas asinabus rectè dici contendit, & in digest. lib. reperiri.* Servabus *etiam reperitur. ff. de fun. in l. pradio.* Sociabus *apud Verum, teste Sulpicio. Veteres quoque* dextrabus & eabus *pro dextris & eis dixisse, tradit Valla d. l. sed non approbat. Porrò ex octo illis indubitatis quadam etiam regulariter terminata leguntur, ut* Filiis *pro filiabus, apud Plaut. Stich.* natis *pro natabus apud Ovid.* 13. *metam. Plautum & Stat. Achilleid.* Diis *pro deabus apud Varr. lib.* 1. *de re rust. & lib.* 3. equis *pro equabus, apud Colum. libr.* 7. *& Ictos.*]

* Accusativus pluralis desinit in As; ut *Mensas, Epitomas. Si à terminationibus Es, As, Am, sit formandus, retinetur communis formula, ut, plures Æneæ, Socratæ: quo Gellius usus est lib.* 14. *c.* 1.

CAPVT VII.

DE SECVNDA DECLINAtione.

* Secunda Declinatio est, cuius Genitivus singularis desinit in I, & Dativus in O: ut: *hic Magister, huius Magistri, huic Magistro.*

* Nominativi terminationes numerantur

6. Er

6. Er, ut *gener*: Ir, ut *vir*; Ur, ut *satur*: Um, ut *scamnū*: Us, ut *dominus*: Eus peregrina, ut *Orpheus*.

[*Frischlin. terminationes* UR *&* IR, *ut non universales expunctas vult, quoniam unica cujusq; vox sit* satur *&* vir, *qua tamen per Apocopen sic dicantur pro Saturus, Virus: At etiamsi harum terminationum tres tantùm, nempe* ER, UM & US, *essent communes, vel, ut ille loquitur, universales; Catera, ut* Ir, Ur &, Eus *singulares: tamen ob id ex arte excludi non possent, quùm sint in usu. Atqui non solùm Vir, sed & Levir. Triumvir, Septemvir, Decemvir; Centumvir, Semivir, Trevir, &c. legitur. Terminatio verò* Eus *non est singularis, sed singularium, seu propriorum. Nota peculiarem terminationem adjectivi neutri* Aliud, *à malscul. Alius prò quibus veteres dicebant Alis. Alid. Auson. Pomp. lib. 1. antiq. loc. c. 5. Veteres etiam promiscuè terminabant Er vel Vs, ut prosper & prosperus, Pulcher & Pulcherus, Super & Superus, Exter & Exterus, Menander & Menandrus, &c. Popm. de antiq loc.* 8.]

† Est & Græca terminatio Os masculini, vel fœminini; On, neutrius generis; ut; Samos, Euangelion, Enchiridion, &c.

* Genitivus singularis desinit in I; ut: *Magister, Magistri: Scamnum, scamni.*

¶ *Decem autem adjectiva; Vnus, unum; Vllus, ullum; Nullus, um: Solus, um: Totus, um: Alius, ud: Vter, utrum: Alter, alterum: Alteruter alterutrum: Neuter, neutrum: (quod & in Genitivo Neutri facit) formant genitivum per* Ius: *ut Vnus, unius, &c.*

¶ *Pares cum Nominativo syllabas habent, quæ in* Er, *præcedente Mutâ, aut,* F, *item in* Us *aut* Um *finiunt, ut, liber, libri; cancer, cancri; dominus, domini: templum, templi; vafer, vafri.*

E † Exci-

† Excipiuntur Liber, Liberi, *(pro Baccho, aut homine non servo:)* Socer, soceri: lacer, laceri, asper, asperi *(& per syncopen aspri:)* prosper, prosperi: adulter, adulteri; Celtiber, Celtiberi; mulciber, mulciberi, *& syncop. mulcibri apud Cic.)* gibber gibberi; exter, exteri: dexter, dextri; quod & dextri facit. His adde composita à Gero & Fero: ut: Lucifer, luciferi, armiger, armigeri. Cæterùm & suprà posita 10. adjectiva in Us & Um, Nominativum numero syllabarum excedunt.

[Vesperi, Genitivus, non est à vesper, sed à vesperus. Dicitur enim vesperus, vesperi: & vesper, vesperis: & vespera, vesperæ. Sic Ibéri, non est ab Iber, sed ab Ibérus: Dicitur enim Ibérus, Ibéri, & Iber, Ibéris. Céltiber etiam Celtibéris in 3. facit, itemq; mulciber, mulciberis (& per syncop. mulcibris.) Græca terminatio eus *sæpe Genitivũ* ei, *contrahit, ut: Theseus Thêsei, duabus syllabis; Interdum Græcam declinationem prorsus retinet, ut: Orpheus, Orpheos, Orphei, &c. Græca in Os per ω, (è quarta Atticorum) in O Genitivum formant, ut Androgeos, Androgeo: Athos, Atho: Apollos, Apollo. Ad hanc enim secundam declinationem reducenda sunt. Sed cætera in ως, ad tertiam pertinent, ut heros, herous. Nomen salvatoris* Jesus, *Græca imitatione Genitiv. Dativ. Vocativ. & Ablativo facit* Jesu, *Accusativ.* Jesum.

Observetur etiam usitata synæresis Genitivi in ī; *ex* ii: *ut Peculi, pro peculii quam recentiores per* I *majusculam exprimunt.]*

¶ *Superant Nominativum syllabarum numero, quæ* Er *præcedente vocali aut semivocali, item,* Ur, Ir, *aut* Eus *finiunt: ut: Puer, pueri: tener, teneri: satur, saturi: vir, viri: Orpheus, Orphei.*

* Dati-

* Dativus in O desinit; ut, *Magister, Magistro*: præter Adjectiva recensita; quæ per I finiunt: vt: *Vnus, unum, uni.*

[*Græcum est, ex ὀρφέϊ, ὀρφεῖ, contractum, quod Virgil. Dativo casu dixit; Orphei Calliopéa, Lino formosus Apollo.*]

* Accusativus desinit in Um, ut: *dominus, dominum; vir, virum.*

¶ *Sed ab* Eus; *in* EA *Accusativus desinit; ut Orpheus, Orphea.*

[*Etiam per* um *effertur Latinè, ut Theseum, Cic. 4. nat. deor. Perseū, Liv. 4. ab urbe cond. Item in* ON, *ut Orpheon, Ovid. Pantheon, Virg. Græca in* os *&* on, *præter hanc terminationem, suam nativam in* on, *retinēt, ut, hanc Rhodum & Rhodon, à Rhodos. Ilium & Ilion, ab Ilion.*]

* Ab Us fit Vocat. per E: ut: *dominus, domine: lupus, lupe*: *Cancellarius, Cancellarie; Secretarius, Secretarie.* Cætera sequuntur regulam generalem: Vocativus similis est Nominativo.

[*Poëtæ tamen nonnunquam Vocativum in* us *formarunt, vel, Nominativum pro Vocativo usurparunt, more Attico; idq; vel euphonia, vel, ut potius reor, necessitatis metricæ causâ, ut, Virgil lib. 2. Georg. Adsis lætitiæ Bacchus dator: & lib. 8. Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum: & Lucanus lib. 2. Degener ô populus.*]

* Excipitur ab hâc regulâ *Deus*, quod Vocativum facit, *ô Deus.*

[*Cui vulgus Grammaticorum adjicit fluvius, populus: & nonnulli ex recentioribus, Chorus, agnus & lucus. Neque tamen hoc ita intelligendum, quasi non etiam dicatur ô fluvie, ô popule, ô agne, ô chore, ô luce: Sicut Græci dicunt πολυμὲ, λαὲ, ἀμνὲ. Nam utrumq; à Grammaticis inculcatur, ut patet ex tritis versiculis:*

O Deus, ô lucus, popule & populus, fluviusque,
Et fluvie, & vulge & vulgus, pelagusque notabis,
Et pelage adjũgas, choreq; & chorus, agnus & agne.

Porrò, ut paulò antè ostendimus, Vocativi in Us *magis sunt Poëtici, quàm Oratorij. Quòd verò Prudent. in Epilog. dixit, ô Dee cunctipotens: observandum est potiùs, quàm imitandum. Quòd etiam apud Poëtas legitur,* Evandre, Thymbre, *in Vocat. non est à Nominativo Evander, Thymber, sed Evandrus, Thymbrus, teste Priscian. Nisi malis appellare metathesin literarum. Sic etiam* Puere *apud Plaut. est ab antiquo Puerus, Priscian. lib. 7.*]

* Deinde propria in Ius per I faciunt vocativos: ut, *ô Virgili, ô Valeri, ô Pompei. Cai à Caius*: consona jod in i vocalem redeunte: Quibus adde appellativum, *filius ô fili.*

[*In propriis tantùm valet hac Apocope, ut ineptus sit Grammaticus ille apud Gell. lib. 14. c. 5. qui promiscuè omnia in ius terminata Vocativum per i formare contẽdebat. Vetustissimi autem regulariter omnes vocativos per* E *efferebant. Unde Liv. Andron. dixit* Laërtie, & filie, *teste Prisc. lib. 7. Posteà in propriis nominibus magis placuit apocope, & in uno appellativo filius: cui Despauterius adjungit alterum,* genius ô geni, *sed non affert exemplum.*]

¶ *Ab* Eus *Vocativus per* Eu *fit; ut Orpheus, ô Orpheu.*

[*Probus existimat rectè dici etiam Orphee, Tydee, ab Orpheüs, Tydeüs, trisyllab. Prisc. lib. 7. Sunt & quadam Græca, quæ per* U *Vocativum formant, ut Panthous, & contractè Panthus, ô Panthu, Æneid. 2. Sic, ô Oedipû, Melampû.*]

* Ablativus finit in O, ut, *Dominus, ab hoc Domino.*

Numerus Pluralis.

* Nominativus & Vocativus plurales similes, in

les, in I maſculinorum & fœmininorum: neutrorum in A, deſinunt, ut *hi Domini: hæc ſcamna.*

¶ *Anomala ſunt ambo, duo, in Maſculino & Neutro. Item Dij à Deus.*

[*Quod & Di per ſynæreſin effertur.*]

* Genitivus per Orum finit, ut *Dominorum, Magiſtrorum.*

* Dativus & Ablativus in Is, ut *Dominis, Magiſtris.*

¶ *Ambo, duo, faciunt ambobus, duobus. Diis, à Deus.*

[*Et per ſynæreſin Dis.*]

* Accuſativus in Os, maſcul. & fœm. Neutrorum in A deſinit.

Capvt VIII.

De Tertia Declinatione.

* Tertia Declinatio eſt, quæ Genitivum ſingularem format in Is, Dativum in I; ut: *hic & hæc civis, huius civis, huic civi: Felix, felicis, felici.*

* Nominativus habet 10. literas terminales: Tres vocales, & ſeptem conſonantes: A, E, O, C, L, N, R, S, T, X: ut, *Poëma, cubile, ſermo, lac, vectigal, numen, Cæſar, ſacerdos, caput, felix.*

* Sunt & tres peregrinæ: I, D, Y, ut: *Sinapi, David, Moly.* herba aliq. plin. l. 25. c. 4.

[*Peregrina in I terminabant veteres in IS, ut Sinapis Plaut. & Colum. Gummis, Colum.*]

* Genitivus desinit in Is: *Sacerdotis, felicis.*

[*Græca diversimodè declinantur. Modo enim retinent terminationem Græcam, ut Archon, archontos, in genitivo plurali archonton, archontas, in accus. plur. &c. Modò degenerant in Latinam terminationem, ut Horizon, horizontis, &c*]

[*Cùm Genitivus Nominativo interdum sit parisyllabus, interdum imparisyllabus, formatio ejus per singulas terminationes erit deducenda. Et quanquam Frischlino in tertiâ hac declinatione nihil sit tædiosius, quàm Genitivi singularis formatio: nos tamen in gratiam docentium & discentium hoc qualecunq; tædium devorabimus; quo nihil est ad captum puerorum utilius.*]

A

† In A desinentia Genitivum per ătis formant, ut Dogma, ătis: Poëma, ătis.

[*Veteres in prima Declinatione dixerunt Schema, hujus Schemæ, Plautus.*]

E

† In E desinentia faciunt Genitivos E in Is conversâ; ut cubile, ilis? ovile, ilis.

I

In I aptota seu indeclinabilia sunt, & plerunq; peregrina, ut Gummi, Sinapi.

O

† In Do vel Go fœminina O mutant in ĭnis, ut hirundo Hirundĭnis, Imago, imagĭnis. Sic Ordo, Cardo, Margo, Homo, Nemo, turbo (*pro vento*) Apollo, Cupido. Cætera faciunt ōnis; ut Legio, Legiōnis, Turbo Turbōnis (*nomen proprium apud Horat. lib. 2. Satyr. 3.*)

Tendo

Tendo Tendinis facit, & Tendōnis. Sic & composita ab Edo; Unedo, Unedōnis; Comedo, Comedōnis.

[*Vetustissimi pro Hominis etiam Homonis dixerunt, ut apud Ennium: vulturus in sylvis miserum mandebat homonem*]

† Excipe caro, quod carnis; Anio quod Aniēnis, Nerio quod Neriēnis facit.

[*Antiqui enim carnis dixerunt in Nominativo, ut testatur Priscianus lib. 6. & 7. ex Livio Andronic. Anio est fluvii nomen in agro Tiburtino, pro quo antiqui etiam Anien dixerunt, ut videre est apud* Stat. 1. *sylv. &* Ovid *lib.* 14. *Metamorph Aut Anienis aquæ cursuq; brevissimus almo. Dixit & Ennius Anionem teste Servio. Nerio est uxor Martis teste Plaut. in Truculent. de qua disputantem vide Gellium lib.* 13. *c.* 21.]

† Gentilia in O, faciunt ŏnis, ut Macedo, ŏnis, Saxo, ŏnis.

[*Lucan. tamen lib.* 1. *produxit Saxōnes. Excipiunt etiam Burgundio, ōnis.*]

† Fœminina autem origine Græca, & in io finita, duobus modis declinantur, in ōnis & ûs:

Ino, & Io, Dido, Sappho, Clio, atq; Calypso,
Alecto, Clotho, Manto, Callisto, Eratoq; Despaut.

C

† In C duo tantùm sunt, Lac & halec, quorum illud lactis, hoc halēcis facit.

D

† In D adjiciunt Nominativo Is, ut David, Davidis, Ehud, Ehudis.

[*Possunt hæc peregrina etiam in Es terminari, vel primæ vel tertiæ declinationis.*]

† In L desinentia, Is adjiciunt Nominativo, ut, Vectigal, ālis: Sal, Sălis: Vigil, ĭlis: Sol, Sōlis: Consul, ŭlis. Præter Mel & Fel, quæ Genitivum mellis & fellis faciunt.

N.

† In AN IN YN peregrina sunt omnia, & adjiciunt Is Nominativo, ut Pæan, ānis, Delphin, īnis, Phorcyn y̆nis.

[*Pan facit Panos Græca terminatione, ad differentiā panis. Dicitur etiam Phorcynos in Genitivo. Æneid. 6. legitur Evantis: quod nonnulli volunt esse ab Evan, sed Serv. statuit esse participium, à Nominat. Evans.*]

† In EN Latina Genitivum faciunt per ĭnis, ut Numen, numĭnis. Græca per ēnis: Sic & Ren, Splen, Lien: ut Siren, Sirēnis: rēn, rēnis: splen, splēnis; lien, liēnis. Excepto Hymen, hymĕnis, penult, brevi.

† In ON peregrina sunt, & faciunt Genitivum per ōnis aut ŏnis, aut ontis, ut Damon, Damōnis: Dæmon, Dæmŏnis: Acheron, Acherontis.

[*Hæc quia pleraq; Græca sunt, à Græcis repetantur. Vide etiam Poëticam nostram, lib. 1. cap. 4.*]

R.

† In R desinentia, IS adjiciunt Nominativo. Nempe hoc modo.

† In AR Masculina faciunt ăris, ut Cæsar, Cæsaris, Lar, lăris. Neutra verò āris, ut Calcar, calcaris; præter Nectar, ăris: Iubar, ăris. Sed Far, farris: Hepar, hepătis facit. Lar (viri nomen) Lartis.

[*Quod*

[*Quod etiam Lartes apud Cicer. Nominativo reperitur, Philip. 9. juxta quadam exemplaria. Fuit rex Vejentum*]

† In E R Latina ĕris faciunt, ut Carcer, carcĕris (Græca vel ēris vel ĕris, è sua lingua repetantur.) Excipe I. Adjectiva in *Ber*, *Cer*, *Ster*, desinentia, quæ abjectâ E assumunt Is: ut: Alacer, hujus alacris; Celeber, hujus celebris: Paluster, hujus palustris: Insuber, Insubris *gentile*. Præter uber & puber, quæ ubĕris & pubĕris faciunt.

II. Substantiva in *Ter* Latina, quæ ter in tris vertunt; ut, Pater, patris: Mater, matris. Sed Iupiter, Iovis facit in Genitivo.

[*Antiquè etiam Iupitris, vel Iupiteris, Priscian. Vide & sup. pag. 63.*]

† Iter facit itinĕris, *ab antiquo itiner.*

[*Quo usus est Varro & Plaut. Regulariter verò etiam iteris ab Iter dicebant, ut apud Nav. & Iuventium legitur.*]

III. Imber cum iis, quæ ab eo fiunt, imbris Genitivo facit: sic September, hujus Septembris, I in E conversâ.

† In I R & Y R peregrina sunt, & ĭris vel y̆ris habent: ut Gadir, ĭris: Martyr, y̆ris.

† In O R faciunt ōris, ut Honor, honōris. Exceptis his, quæ ŏris habent, Æquor, Marmor, Arbor, Memor, & composita à Corpus & Decus, ut Bicorpor, Indecor. Sed cor, cordis facit.

† In U R formant Genitivum per ŭris, ut Vultur, vultŭris Sed Fur, fūris facit. Quædam in Ur, u in o mutant, hæc videlicet: Ebur, ŏris, femur, ŏris: robur, ŏris, jecur, jecŏris, & jecinŏris.



[*Ab antiquo jecinus, Priscian.lib.6.*]

As.

† In As Genitivum per ātis formant: ut ætas, ætātis.

† Excipe As, assis; Mas, maris: Vas, vasis: Vas, vadis. Sed Fas & nefas, ἄκλιτα seu indeclinabilia sunt. Græca variant: nam Masculina Antis genitivos faciunt: ut: Pallas, antis: Gigas, antis: Fœminina patronymica & gentilia per Adis; ut: Pallas, ădis: Lampas, ădis; Arcas, ădis.

ES.

† In Es Genitivos faciunt vel per ĭtis, vel ĕtis, vel ētis, vel ĕdis, vel ēdis, vel ĭdis, vel Es mutant in IS.

[*Reg. I Masculina & Communia vel Adjectiva, ES mutant in* itis breve, *ut pedes, itis. Excipe* 1. *quæ* etis breve *faciunt, Aries, Paries, Hebes, Indiges, Interpres, Præpes, Perpes, Teres* 2. *Quæ* etis long. *habent, Inquies, Locuples, & antiquum Mansues quo Plaut. Asinaria, & Acc. usi sunt. Sic etiam plurima Græca, ut Lebes, Magnes, Tapes, &c.* 3. *Quæ* ēdis breve *habent, ut Pes cum compositis.* 4. *Quæ* edis longum *faciunt, Hæres, Præs.* 5. *Quæ per* idis breve *formantur, ut composita à sedeo, præses, deses, reses.*

Reg. II. Fœminina & Neutra, ES mutant in IS, ut Nubes, nubis. Sic & duo Masculina, Verres, Vates. Excipe 1. *quæ* ĕtis breve *hab t, Abies, Seges, Teges.* ētis long. *facit Quies.* 3. ēdis long. *habet Merces.* 4. *Æs facit æris, & Ceres, Cĕreris.*

Reg. III. Eandem rationem Fœmininorum sequuntur Græca, quæ Patronymicorum formam habent: item propria composita: & ex terminatione EVS in ES, in Latinum traducta, ut Euripides, Euripidis: Hercules Herculis: Vlysses Vlyssis. Hæc antiqui in Genitivo per I formabant, ut Euripidi,

ripidi, Vlyssi, Achilli, Vide apud Popm. multa exempla lib. 1. antiq. loc. cap. 9. Possunt eadem etiam in prima declinatione flecti.]

IS.

† In Is desinentia Genitivos habent Nominativis similes, ut panis, hujus panis. Excipe 1. quę per *idis* formantur; Lapis, Capis (*vas pontificale*) cuspis, cassis, promuscis, promulsis. Sic multa Græca, præsertim Patronymica, gentilia & propria, ut aspis, jaspis, pyxis, paropsis, Thetis, Nereis, &c.

2. Per *itis* formantur hæc: Lis, Dis, & Gentilia Samnis, Quiris.

3. Quatuor habent *ěris*, Cinis, Pulvis, Cucumis, Vomis.

[*Ab antiquis Nominativis in er, ut Ciner, Pulver, Cucumer, & Vomer, quod adhuc in usu est.*]

Impubis facit impubis & impuberis: quia & impuber dicitur Nominativo.

4. Variat Sanguis, sanguinis: Glis, glīris: Simois, Simoëntis: Opois, Opoëntis & Opûntis contractè.

[*Sanguinis est ab antiquo Nominativo sanguen, qui est apud Lucret. Enn. Caton. Carisius addit pollis, pollinis, cùm potius Nominativus sit pollen. Compositum exanguis, facit exanguis, regulariter. Quidam addunt Semis, hujus semissis: Sed nos facimus cum Frischlino: Semissis enim masculinum est, paremq; Nominativo Genitivum habet: Semis autem indeclinabile est, à Græco ἡμι ortum: Magisque adverbium, quàm nomen. Strigel. p. 16. Græca, quæ hic mirè variant, à suis authoribus petantur; nos brevitati studentes falcem in alienam messem non immittimus.*]

YS.

YS.

† Peregrina ſunt & Genitivum faciunt vel per *yos*, ut Erinnys, Thetys: vel per *ydis*, ut Chlamys, Pelamys: vel per *ynis*, ut Phorcys. Quæ à Græcis petenda ſunt.

OS.

† In Os Genitivum per *ŏris*, faciunt, ut Os, oris, der Mund/ Flos floris; Glos, gloris. Sed Arbos, arbŏris.

Excipe flexa 1. per *ōtis*, Cos, Dos, Nepos, Sacerdos, Monoceros, & cætera à Græco κέρας composita. 2. per *ŏtis*, Compos, Impos. Variant Os, oſſis, ein Bein/ Cuſtos, cuſtōdis: Bos, bovis.

Græca è ſuis auctoribus petenda. Nam quædam *in ōis*, flectuntur, ut Heros, Minos: (*quæ etiam Latinè in ōnis, ut Mino, Minōnis, Salluſt. Atho, Athonis, Cic. 3. de rep.*) Neutra in Os breve, Græcam, declinationem retinent, ut Chaos. Melos, Argos: *Genit*. Chaûs, &c.

[*Hæc in Latinam prorſus terminationem quidam mutârunt, ut Melum, jucundum melum. Non. in Malevol. Abſonum melum. item ductor melorum. Terentian. Pro Monoceros quoq;, Rhinoceros, Ægoceros, &c. dixerunt Rhinoceron, Ægoceron: Rhinocerontis, Ægocerontis: item Ægocerus, Ægoceri, German. in Arat.*]

US.

† Reg. I. In US biſyllaba & polyſyllaba Genitivum faciunt per *ŏris*, ut Corpus, corpŏris, Lepus, lepŏris.

Excipe

Excipe 1. Comparativi faciunt *ōris*, ut melius, ōris.

2. Viginti faciunt *ĕris*, Acus, Funus, Fœdus, Glomus, Genus, Latus, Munus, Olus, Onus, Opus, Pondus, Rudus, Scelus, Sidus, Vlcus, Vulnus, Vellus, Viscus, Venus, Vetus.

3. Quinque habent *ūtis*: Virtus, Salus, Servitus, Iuventus, Senectus.

4. Vnum habet *ŭtis*: Intercus, intercŭtis.

5. Tria habent *ūdis*: Palus, Incus, Subscus.

6. Vnum habet *ŭdis*, Pecus, pecŭdis.

[*Quando scilicet fœmininum est, ut sincera pecus, Cæsar in Augural. Aliàs enim neutrum habet pecus, pecoris. Ligus vel Ligur, facit Liguris.*]

† Reg. II. Monosyllaba in Us faciunt *ūris*, ut Mus, muris, plus pluris. Sic & Tellus, tellūris. Sed Grus & Sus faciunt gruis, suis.

[*Græca in* ûs, *circumflexa faciunt* ûntis, *ut Trapezûs, Trapezuntis: Hierichûs, Hierichûntis. Ποῦς autem composita faciunt* Odis *in declinat. 3. ut Oedipus, Oedipodis: Tripus, tripodis.*]

† In Aus duo sunt: ut: laus, laudis: fraus, fraudis.

BS. MS. PS.

† Formant Genitivum per bis, mis, pis, ut Trabs, trabis: Hyems, hyemis: Stirps, stirpis.

[*In MS unum est Hyems, quod ineptè Monachi scripserunt hiemps.*]

† *Observ.* Cœlebs facit cœlĭbis: Auceps, aucŭpis: Sed Princeps, Municeps, Forceps, Particeps *à Capio composita* per *ĭpis* flectuntur, ut forcipis.

cipis. Quæ à *Caput* derivantur, habent, *ipitis*, ut Anceps, Præceps, Biceps, Triceps.

[*Nam antiqui Nominativi fuerunt* ancipes (*ut ancipes securicula Plaut. Rudent.*) Præcipes (*à quo tamen* præcipe *casu dixit Enn.* 17. *annal.*) *Græca Gryps & Cinyps, faciunt gryphis, Cinyphis.*]

LS. NS. RS.

† In LS, NS, RS mutant S in Tis, ut Puls, pultis: Lens, lentis, (*pro legumine*) Frons, frontis, Stirn: Sors, sortis.

[*In Ls unum est puls.*]

† Excipe quę S in Dis mutant: Lens, lendis (*pro immunditie capillorum*) Frons, frondis, Zweig: Glans, glandis: Juglans, juglandis: Libripens, libripendis: Nefrens, nefrendis: Et composita à cor, Concors, Discors, Socors, Vecors, Misericors, &c. concordis, discordis, &c.

[*Vnum Tiryns facit Tirynthis vel Tirynthos.*]

† In T unum est, ut caput, capitis, cum compositis: Synciput, syncipitis: Occiput, occipitis.

X.

† In X pleraque mutant X in Cis vel Gis, Nempe hoc modo:

I. In X monosyllaba, X in *Cis* mutant, ut Vox, vocis, Excipe quatuor in *Gis*, ut Rex, Grex, Lex, Strix. Unum in *Vis*, Nix, nivis. Unum in *ctis*, Nox, noctis.

[*Græca, Styx, Phryx, Sphinx, in Gis vel Gos.*]

II. † In

II. † In Ax polyſyllaba Latina faciunt *ācis*, ut Fornax, fornācis.

[*Græca quædam in acis longum, ut Thorax, Limax, Phaax, Ajax: Pleraq; in acis breve, ut Climax, Nycticorax. Pauca in actis, ut Hylax, Aſtyanax, Hipponax, Bibrax. Unum in axis, Briax. Unum in agis breve, Harpax.*]

III. † In Ex polyſyllaba faciunt *ĭcis*, ut Judex, judĭcis.

Excipe 1. in *īcis*, Vibex. 2. In *ēcis*, Vervex, Myrmex, Celex, Halex. 3. In *ĕcis*. Reſex. 4. In *igis*, Remex. 5. In *ĕgis*. Lelex, Aquilex. 6. In *ēgis*. Exlex. 7. Senex facit ſenis: Supellex, ſupelleĉtilis.

[*Antiqui etiam Senecis dicebant, ut Plaut. Ciſtell. Supellectilis eſt ab antiquo Nominat. Supellectilis, ut Cato apud Priſc. Feſt.*]

† IV. In IX polyſyllaba *ĭcis* faciunt, ut Calix, calĭcis.

Excipe in *īcis*, Perdix, Coturnix, Cornix, Cervix, Radix, Lodix, Struix (*Struices, Plaut. Menachm.*) Sic & Adjectiva: itemque Verbalia, ut felix, nutrix.

[*Græca à ſuis autoribus petantur, ut Phœnicis, Maſtigis. Sed maſtix pro gummi, habet máſtichis.*]

† V. In OX, Polyſyllaba faciunt *ōcis*, ut Velox, velōcis.

Excipe 1. Cappadox, & Præcox in *ŏcis*, 2. Allobrox, *ŏgis*. 3. Pernox, pernoctis.

† VI. In UX polyſyllaba faciunt *ūcis*, ut Tradux, Redux. Excipe Pollux, Pollūcis: Conjux, conjŭgis.

[YX Græ-

[*In YX Græca sunt, vel in ycis breve, ut Eryx: vel ycis anceps, ut Bebryx: vel ychis breve ut onyx: vel ygis longum, ut Coccyx: vel ygis breve, ut Iapyx.*]

† VII. In LX, NX, RX: in cis mutant X, ut Calx, calcis.

* Dativus in I desinit: ut, *Sacerdoti, felici.*

[*Antiqui tamen Dativum non formabant in I, sed I mutabant in E, ut pro minori seni, Varro libr. 1. de re rust. dixit minore, sene: pede pro pedi Virgilius: Haret pede pes, densusq; viro vir. Sic & funere, morte apud Propertiũ & in Epitaphio Plauti: Discrimine, possessione apud Vellejum Paterculum: Defensione, Exceptione, apud Iulianum Digestor. 9. Vide Ausonium Popmam libr. 1. de usu antiquæ locutionis cap. 9. Græca autem ut Athos (quòd nomen est montis altissimi inter Mauritaniam & Thraciam leporibus adundantis, juxta illud Ovidij: Quot lepores in Atho, quot apes pascuntur in Hybla.) Didûs, Eratûs, Mantûs, Sapphûs, Dativum in O vel in Oni. Cæterùm in Latinis Dativus semper in I finit, & usitato modo à Genitivo suo cadit; nec figura ulla, inquit Philippus, hanc terminationem mutat.*]

* Accusativus in Em, ut *Sacerdotem, felicem.*

¶ *Sed quorundam in* Is *Accusativi finiunt per* Im, *quæ his versibus comprehenduntur:*

IM dant vis, cucumis, burisq;, & tussis, amussis;
Et sitis, & ravis, pelvis, quibus adde Mephitis:
Et propria, ut Fabaris, Tybetis, Leucaspis & Opis,
Tigrisq; Syrtisq;, *& in is residentia Græca;*
His licet annumerare Maguderis atque securis.

Quorundam per Em *&* Im *simul, quæ continentur his versibus:*

Sæpiùs Em febris, clavisque & navis, aqualis.
Sæpiùs Im puppis, turris, sed restis utrumque.

[*Vix enim Verepao teste, securem invenias.* Cucumim *Philippus & qui eum sequuntur, in versibus istis vulgatis omittunt.*

mittunt. Nos secuti Verepaum & Despauterium inserere voluimus. Legitur etiam Athesim, aqualim. (*apud Plaut. Curc.*) Albim, *passim apud Sleidanum.* Lentim *apud Catonem & Varronem,* Avim, *apud Nævium.* Sementim *apud Caton.* Febrim. *apud Ciceron. lib.* 14. *Epistol. familiar. Sueton etiam & Horat.* Strigilim *apud Lucil. & Nonium, apud Plaut.* Strigilem, Puppem *apud Lucan. & Statium,* turrem *apud Cæsar. & Vitruvium; sed turrim est magis in usu. Est &* clavim *apud Tibullum.*

Referri huc etiam possunt in Is masculina quædam, quæ Accusativum faciũt vel in Im vel In, ut Iris, Paris, Daphnis, Alexis, Adonis, Phalaris: vel in Em aut A, ut Pallas, Hector, Herôs, Hermes, Chremes, quòd Chremetem & Chremeta facit, quando in Dativo crescit; quando non crescit, facit Chremem, Daphnis tamen rectiùs facit Daphnin & Daphnim quàm Daphnida. Contrà Lais & Thaïs, meliùs Thaida & Laida, quàm Lain & Thain, Pertinent denique huc multa Græca in Is generis Fœminini, ut Doris, Phyllis, Amaryllis, Æneis, Pyxis, Tyrannis, Chlamys. Pan verò, Pæan & Simoïs, aut nunquàm, aut rarissimè Em in Accusativo admittunt: sed Pana, Pæana; Simoenta, faciunt. Ab Iris, dicitur irim & iridem.]

* Vocativus similis est Nominativo.

[*Non tamen hoc perpetuum est in Græcis, quæ sæpè S. abjiciunt; ut Pallas ô Palla; Atlas, ô Atla; Paris ô Pari. Sic & Chreme, Lache, Achille, Amarylli, Osiri, Simoi, Melampu &c.*]

* Ablativus per E fit; ut: *Sacerdote, felice.*

¶ *Sed tamen variant à regulâ non pauca; quorum alia per I faciunt Ablativum; alia per I & E simul.*

Ablativus per I tantùm.

I. *Neutra in* E, AL, AR, *ut Mare, à mari: vectigal, à vectigali: calcar, à calcari. Præter far, jubar, nectar, hepar, sal.*

[*Plautus etiam & Ovid. à* mare *dixerunt, & à* retè *Poëticè, ut & Suet. quod tamen videtur esse à nomin. masc. Retis apud Plaut. Rud.*]

¶ II. *Adjectiva in* Is *&* Er, *quorum* Neutra *in* E *desinunt: ut, Fortis, ab hoc forti: celeber, à celebri.*

[*Poëtica sunt: Specie* cœleste, & cœleste *sagittâ: amne* perenne: *porcâ* bimestre, *apud Ovid. Apud Virg.* cognomine *terrâ* : *pro, cœlesti, perenni, bimestri, cognomini. Item* forte *Ablativ. ut annotat Carisius.*]

¶ *Sic substantiva in* IS, *adjectivis similia, in* I. *Ablativum faciunt, ut: Familiaris, à familiari: Sodalis, à sodali. Natalis, à natali: Bipennis, à bipenni.*

[*Plin. tamen* Sodale: *Lucan.* natale: *Cæsar* triremè: *Val. Max. l. 8. c.* 1. ædile, *Cic. apud Prisc.* annale, *(i. e. libro) dixerunt. Gellius verò annali, dixit.* Familiare, *annotat Carisius. Fortassis etiam* Affine *reperiatur & Affini, Vide Voss. Item,* Patruele, Juvene. Rude *dicitur à Substantivo Rudis; apud Horat. lib.* 1. *Epist.* 1. *Sed ab Adjectivo rudis est rudi tantùm. Rivalis, à* rivale & rivali : *prius est apud Ovid.* 2. *de remed. amor. Posterius apud Horat. in arte.* Bipenni *est* 2. *Æneid. ex Adjectivo bipennis & bipenne, quo usus est Plin lib.* 11. *c.* 28. *& Virgil* 11. *Æneid.*

¶ *Juvenalis, Martialis, Vitalis, & similia propria ex adjectivis orta Ablativum in* E *faciunt* : *ut: Juvenale, Martiale, Vitale* : *Sic Felix, Felice* : *Clemens, Clemente, tantùm.*

[*De nominibus patriis nondum convenit inter Grammaticos, an per* E *an per* I *rectiùs efferantur, ut: Atheniensis, Atheniense an Atheniensi* : *Parmensis, Parmense an Parmensi, dicendum sit. Vtriusq; exempla apud recentiores leguntur. Apud Plin. lib.* 8 *c.* 52. *legitur, Tarquiniensi agro.*]

¶ III. *Nomina Mensium; ut September à Septembri.*

[*Veteres enim ab Imbri dixisse Priscianus docet.*

¶ IV.

¶ *IV. Quæcunq; Accusativum per* Im *tantùm faciunt; ut sitis, sitim, à siti. Vel per* Im *&* In, *velut Græca, Genesim & Genesin, & Genesi.*

† His adde, strigilis à strigili: canalis à canali: mugilis à mugili.

[Strigili, *apud Horat. lib. 2. sat. 6.* Canali *apud Stat. 1. Sylv. & Virgil. & Quintil.* Mugili, *apud Plin. lib. 9. c. 17. Sunt & quædam in E indeclinabilia, ut Præneste, Gausape, Cepe, Præsepe, Soracte, quæ alii à Nominativis in IS deducunt. Vide Verep. l. 2.*]

Ablativus per E & I.

¶ *Per* I *&* E *promiscuè faciunt Ablativos: I. Adjectiva omnis generis: ut: vetus à vetere & veteri: felix à felice & felici: Sic tridens, vigil, locuples, hebes, teres, artifex, adjectivè usurpata.*

[*A Vigil tamen vix repericitur Vigile: Sed* Vigili *reperitur apud Iuvenal. & Stat.* Tridenti *apud Virg. 2. Æneid.* Artifici *apud Stat. 1. Achill. De cæteris non est dubium.*]

† Usitatior tamen est Ablativus in I, à par & memor: Sed sospes, hospes, pauper; à sospite, hospite, paupere, tantùm faciunt.

[*Etiam ab* Uber, Degener, *negant Ablativos dari in E & I simul, sed in E tantùm: Verùm legitur Uberi solo, apud Senec. Degeneri hoste apud Lucan. Degeneri prece apud Tac.*]

¶ *II. Comparativa in* or *&* us: *ut Maior, majus, à majore & majori.*

[*Observarunt nonnulli duplicia Adjectiva, quæ E frequentiùs recipiant: 1. Nomina & participia in* Ns. *2. Comparativa. Verep. ex Caris. & Serv.*]


F 2 ¶ *III.*

¶ III. *Verbalia in* trix, *adjectivè sumpta; ut:* *Victrix, victrice & victrici dextra.*

[*Substantivè usurpata non facilè in I Ablativos admittunt.*]

¶ IV. *Substantiva in* ctis, mnis, gnis, guis, & vis: *ut vectis, annis, ignis, unguis, civis, à vecte & vecti: amne & amni, &c.*

¶ V. *Quorum Accusativi per* Em & Im *finiunt: ut, restis à reste & resti. Sic sementis à semente & sementi.* His adde supellex, supellectile & supellectili. Imber ab imbre & imbri.

[*Rariùs tamen dicitur, à* turre, *& reperitur apud Iuvenal. Sat.* 6. Sementi *est apud Colum.* Supellectile, *Terent. Phorm. & lib.* 33. *ff.* Supellectili, *Cic. aliquoties.* Imbre *est apud Ovid* 5. *Fast.* Imbri *apud Cic.* (*teste Prisc. lib.* 7.) *& Lucretium lib.* 1.

Porrò, sicut antiqui in Dativo mutarunt I in E, ità contrà in Ablativo I usurparunt pro E. Quod itaq; posteriores per E, illi per I extulerunt, etiam in iis, quæ præcedentibus regulis nō comprehenduntur, ut Avi, ovi *apud Varronem de ling. Latin.* Affinitati, *Venulejum.* Amni, *T. Liv. & Virg.* 1. *Georg &* 9. *Æneid.* Assi, *Lucil.* Civi, *Ciceron. in Verr.* Colli; *Lucretium.* Fusti; *Plaut. Salust. Val. Max.* Labi, *Lucret. lib.* 5. Orbi *Ciceron.* 5. *de republ. & Varron.* 3. *de re rust.* Parti, *Plaut.* Posti, *Ovid.* Sordi, *Lucr. &* Sorti *Luc. Plaut. Vide Auson. Popm. lib.* 1. *antiq. Locut. c.* 9. Classi, *Virg. Æn.* 7. Occipiti *quoq; est apud Pers. metri causa. Neptis, à nepte vel* nepti. *Prisc. Finis, fine vel* fini: *ut hac fini, Gell.* Pugile *vel* Pugili, *teste Nebrissensi. De Græcis Ablativis, Chao, Melo, Sappho, &c. à Chaos, Melos, Sappho, suprà dictum est. Sic à desinentibus in ys fit Ablativus in y, ut, Erinnys, Erinny. Nonnullis tamen Erinnye placet, teste Murmellio.*

Notari potest, quod de hac varietate Accusativi im vel em, & Ablativi i vel e, Probus Grammaticus apud Gell. lib.

lib. 13. cap. 19. sentit, potissimum hic esse respiciendum ad " sonum & judicium aurium, quid quovis loco sonet concin- " nius; Veteres siquidem in multis neq; rationem verbi neque " consuetudinem, sed solam aurem secutos esse. "

PLURALIS NUMERUS.

*Nominativus Accusativus & Vocativus pluralis, in cæteris generibus desinunt in Es, Neutrorum verò, ut aliâs, in A.

† NOTA in Ia exire ea, quorum Ablativi desinunt in I tantùm, vel in I & E promiscuè; ut: Molli; mollia; Audaci, audacia. Præter Vetus, vetera: & comparativos; vt: Melius, meliora: Quanquam Plura & Pluria à plus. [*Item aplustra & aplustria ab aplustre.*] usus fecit. Sic composita à corpus; Bicorpor, à bicorpore & bicorpori, bicorpora.

[*Observabunt pueri antiquam dipthongum* ei *in Accusativis nominum; quorum Genitivi sunt Nominativo similes, Item, quorum Nominativi desinunt in duas consonantes; ut*, Omneis, parteis, *pro omnes, partes, sic* imbreis, Decembreis, Sardeis, *&c. Etiam in IS terminabant Nominativum, & Accusativum, ut* Urbîs. *Virg.* Omnîs *Sallust.* Fontîs, Montîs, Puppîs, Restîs, &c. *Varro lib. 7. ling. Vide Auson. Popm. l. 1. c. 9. Gell. lib. 6. 19. Græca, ut suprà dictum, frequentiùs terminationem nativam Accusativi in As retinent; ut herôas.*

*Genitivus desinit in UM, vel IUM.

¶ *In* IUM *desinunt* I. *omnia, quorum Ablativi finiunt* I *solùm, vel* I *&* E *simul: ut; igni, ignium; felici, felicium: sapienti, sapientium.*

Excipiuntur I. *Comparativa: ut majori, ma-*

 jorum;

jorum: 2. hac: Veterum, Memorum. Divitum, Supplicum, Vigilum, Artificum, Inopum, Locupletum. Sic Mugilum & Strigilum. Plus tamen plurium facit.

[*De Syncope suprà diximus, ut cœlestûm, Sapientûm, Rudentûm, Agrestûm, &c. Locupletûm etiam volunt per syncopen dici. Nam locupletium reperitur apud Sallust. Catil. & Ciceronem 7. Att. & in Paradox.*]

¶ II. *Quæ Nominativum duabus consonantibus finiunt: Pars partium. Excipe polysyllaba in* Bs *&* Ps; *Cœlebs, cœlibum: Princeps, principum: Item Hyems, hyemum,*

[*Sed Anceps, Triceps, & cætera à Caput composita, retinent* ium, *ut ancipitium, tricipitium. Reperitur & Principium pro principum apud Jctos. Porrò pro Parentium (quo usus est Horat.) usitatiùs per syncopen dicitur parentum, sicut & in aliis similibus, ut Serpentum, Rudentum, Bidentum, &c. Sic cohortum. Cæs. bell. Gall. 5.*]

¶ III. *Vbi pares syllabæ in Nominativo ac Genitivo sunt; ut:* Collis, collium: *Excipe Vates, Iuvenis, Canis, Panis, Soboles, Indoles, Volucris, Senex, Pater, Mater, Frater. Sed Apis, apum facit, & apium: Sedes sedum & sedium,*

[*Sedum est apud Cicer. pro Sest. Sed partum (pro partiū) apud Enn. Mensum (pro mensium) apud Ovid. & Jctos, syncope est. Sic & Cladûm, Cadûm apud Sil. Italic. lib. 4. Item: Prolûm, apud Martian Capell. De Sobolum, Indolum, dubitat Prateol. an pluraliter inveniantur. Est tamen Soboles plurale apud Columell. Volucrum à substantivo Volucris. Nam ab adjectivo, Volucrium dicendum esse volunt.*]

Caro facit carnium, [*ab antiquo nominativo carnis.*]

¶ IV. *Quæ in* Is *longum desinunt seu quæ iris vel*

vel itis Genitivo faciunt: ut, Lis, litium: Quiris, Quiritium.

[Apud Silium reperitur Samnitum: & Apul. Quiritum per syncopen.]

¶ V. Pluralia tantùm: ut: Vires, virium: Præter opes, Proceres, Luceres, Celeres, Lemures, Primores, Cœlites.

[Penates facit penatum & penatium Melanth. Penatum autem syncope est, sicut & Primatum à primates.]

¶ VI. In As Gentilia: ut, Arpinâs, atium.

¶ VII. Monosyllaba; ut: Os, Cor, Nix, Nox, Faux, Mas, As, &c.

Excipe Ren, Splen, Fur, Pes, Grus, Nux, Fax, Frux, Lex, Grex, Dux, Rex, Vox, Sus, Grus, Flos, Mos, Laus, Fraus, Bos boum facit pro bovium.

[Mus murium & murum facit. Murum est apud Cicer. 2. de nat. Deor. & Iustin. lib. 15. Suum pro Suium apud Plin. qui tamen locus nonnullis suspectus est: A Lynx reperitur Lyncum, apud Plin. lib. 7. Sed Nebrissensis tradit Lyncium; ut syncope sit Lyncum pro lyncium. Reperitur & Laudium Cic. Phil. 2. Fraudium, Cic. 3. offic A Crux quoq; rectiùs dicas Crucum, quàm Crucium, ab antiquo Erux est frugum, apud. Cic. & Virgil. Ab inusitato Prex, genitivus pluralis est Precum.

¶ Cætera faciunt um; ut alitum, capitum, consulum, &c.

[Multa ex iis, quæ ductu harum regularũ in Um formanda sunt, passim apud veteres per Ium efferebantur, ut Voluntatium, Æstatium, Civitatium, Facultatium, Hereditatium, Paludium, Servitutium. Vide Aus. Popm. antiq. lec. l. 1. c. 9. Hoc modo esset syncope, voluntatum, civitatum, &c.]

† Nomina festorum formant Genitivum per *ium* & *orum* Ut, Bacchanalia, Saturnalia,

 Mar-

Martinalia, Ancilia: sic sponsalia, vectigalia.

[*Vide Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 4. Poëtica epenthesis est, Alituum pro alitum, ab Ales.*

* Dativus & Ablativus in Bus: ut: *Sacerdotibus, felicibus.*

† Græca in Ma geminos Dativos & Ablativos habent: ut Epigramma, epigrammatis & epigrammatibus: *More Æolico*, ἐπιγραμμάτοις.]
Bobus à Bos anomalon est pro bovibus.

[*Vel Bubus, Varro lib. 1. rei rust. Colum. lib. 7. Plin. Sic & subus pro suibus, apud Varron. d. l. Bubus ac subus, ut fiant pingues. Itē lib. 2. Et Lucret. lib. 6. Setigeris subus acre venenum est A Poëma, Poëmatis dixit Plautus Asinar. scriptum in Poëtis.*]

CAPVT IX.

DE DECLINATIONE *Quarta.*

* Quarta Declinatio est, quæ format Genitivum singularem in Us, Dativum in Ui, ut: *Fructus, ûs, ui.*

* Nominativi terminatio est Us, & U; ut, *Vsus, Cornu.* Quæ posterior in singulari indeclinabilis est.

[*Plinius tamen aliquoties* Cornus *in Genitivo casu à Nominativo Cornu dixit, libro 28. cap. 11. Sic & Lucan. lib. 7. Cornus tibi cura sinistri. Et Cels. cervini cornus combusti.*]

Geni-

* Genitivus desinit in Us; ut: *Fructus.*

[*Contractè pro* Uis, *antiquâ terminatione, ut,* annuis, fructuis, senatuis, sumptuis, victuis, graduis, rituis, partuis, &c. *apud Varron. Terentius etiam* ornati *dixit, &* tumulti, questi, fructi, adventi. *Item Sallust. Liv. Plaut.* Senati, versi, victi, gemiti, *quem Donatus vocat archaismum. Veteres enim pleraq; quartæ declinationis (præsertim in* tus *desinentia, ut annotat Crodelius) in secunda efferebant, ut multis exemplis Nonius probat. Et vicissim quædam in quarta, quæ nunc in secunda efferuntur, ut Lectus, Cibus, Sonus, Humus, Succus, Susurrus:* lectus (*Genitiv. pro lecti,*) Humu, somnu, sonu, succus (*pro succi*) susurru, *&c. De Genitivo in* Uis, *& Dativo in* U, *Vide Gell. lib. 4. cap. 16. & Ausf. Popm. antiq. loc. l. 1. c. 9.*]

* Dativus in Ui; ut: *Fructui.*

[*Antiquis terminabatur per apocopen in* U, *ut,* metu, victu, *Virg.* Visu, *Lucr. &c. quod metri caussa factum Priscian. putat: sed Popma ostendit non poëtis tantùm, sed & aliis scriptoribus familiarem illam apocopen esse, ex Gellio, Cæsare (multis exemplis) Sallust. Tacit. epist. Cicer. Vide ipsummet. d. l.*]

* Accusativus in Um; ut: *fructum.*

* Ablativus in U: ut *fructu.*

* Plurales Nominativus, Accusativus & Vocativus in Us [*pro ues,*] & in neutris Ua; ut, *hi fructus, hæc cornua.*

* Genitivus in Uum; ut, *fructuum.*

* Dativus & Ablativus in Ibus: ut, *fructibus.*

[*Asinus, incommodè videtur dici, sinibus: reperitur tamen apud Hilar. l. 10. de Trin. & apud neoter. Paul. Merul. initio Cosmogr.*]

¶ *Excipe, quæ* Ubus *finiunt; disticho comprehensa:*

Arcus, acus, portus, quercus, ficus, lacus, artus,
U retinent: quib. & tribus atq; veru, & specus adde.

[*Quibus alij addunt & partus & questus, id est, querela: (ut Mancinell Brassican. Valla cap.* 111.) *Sed in talibus doctorum consuetudo observanda est. Verepaeus hoc rejicit, & dubitat etiam de* acub. quercub. ficub. verub *& monet à* portus *utrumque,* portibus & portubus *dici. Pompon. Laetus tradit: etiam* Genibus & Genubus, Cornibus & Cornubus, Specibus & specubus, *recte dici, Qua in re testimonia idoneorum autorum requirimus. Nebrissens. ait Ficubus se non legisse, neque Ficibus, sed tantùm Ficis in secunda declin. Porrò* Verubus *legitur apud Virg* 2. *Georg.* Lacubus, *Ovid.* Artubus, *Cicer.* Specubus, *Grat.* Acubus, *(de quo Verepaeus dubitat,) habet Cels.* Portibus *Caes.* Portubus, *Cic. &c.*]

Capvt X.

De Qvinta Declinatione.

* Quinta Declinatio est, cujus Genitivus & Dativus singulares desinunt in Ei.

* Nominativi terminatio una est, Es.

* Genitivi & Dativi Ei.

* E longa est in puris, id est, vocalem ante Ei habentibus; ut: *Diei:* in reliquis brevis: ut. *fidei,*

[*Genitivum antiqui similem Nominativo efferebant in* es, *vel in* ii, *vel similem Ablativo in* e: *ut hujus dies, vel dij, vel die: hujus facies, fides, rabies, vel facie, fide: vel facii. Sic luxurij, pernicij, progenij, specij, acij, &c. Autor locuples Gell. lib.* 9. *cap.* 14. *Vide & Auson. Popm. l.* 1. *antiq. loc. cap.* 9. *Quidam in loco Virgilij* 1. *Georg. legunt, Libra* diëi *somniq; pares: ut sic contractum, pro* diei, *Vide Sylb. Alphab. pag.* 36. *Melanchth.*

Dati-

Dativum quoque antiqui similem Ablativo per e efferebant, ut ætati faciēq; tua, Lucil.7. Vide Popm. d.l. & Gell.]

* Accusativi Em: Ablativi E.

* Plurales Nominativus, Accusativus & Vocativus in Es.

* Genitivus Erum.

* Dativus & Ablativus in Ebus.

[*Genitivus, Dativus & Ablativus in paucis nominibus hujus ordinis usitati sunt, quorum duo Verepaus recenset,* Res, Dies. *Apud Philosophos frequens est* species *in plurali integrè: Quamvis Cicer. in Top dicat, malle se formarum & formis dicere quàm specierum & speciebus. Aldus tradit, hec versiculo inclusa integrè declinari: Res, speciesq;, dies, facies, spes, progeniesq;. Non vult tamen Brassicanus sperum dicere, aut spebus, At spebus etiam reperimus apud Victor. & Tripart. hist. l. 3. cap. 2. Expes autem solum Nominativum & Vocativum habet, Brassicanus. Priscianus ait, legi facierum.*]


DE COMPOSITORUM DECLINATIONE,

APPENDIX.

¶ *Composita ex duobus Rectis utrinque declinantur: ut: Respublica, Reipublicæ: Usufructus, usufructûs: Iusjurandum, jurisjurandi.*

† Excipe alteruter, alterutrius. Leopardus, Leopardi: Olusatrum, olusatri. Rosmarinus, & Rosmarinum, rosmarini & rorismarini facit.

[*Tria tradunt requiri ad compositum ex duobus nominativis utrinq; declinandum: 1. Ut ambo nominativi sint declinabiles. 2. Ut ambo maneant integri. 3. Ut partium significatio retineatur: Unde non declinantur* viginti duo. *Ab* undecimus, olusatrum, *non dicitur unius decimi: oleris atri;*



atri quia non olus nigrum significat. Verep. Rosmarini & Rorismarini est apud Plin. & Horat. Alterius utrites apud Cic in Protag. & Caton.de ambitu.]

¶ *Quæ ex Obliquo & Recto componuntur, in iis tantùm rectus declinatur: ut, Iurisperitus, jurisperitum. Paterfamiliâs, patremfamiliâs.*

[*Sic Rosmaris facit in ablat. roremaris, Ovid. 11. metamorph. & 3. de arte.*]

¶ *Ex duobus Obliquis composita indeclinabilia sunt;ut: huiusmodi,hujuscemodi.*

[*Unde versus Mancinell Bini compositi Genitivi non variantur.*]

† Composita ex duobus corruptis, quoad declinationem, habentur ceu simplicia, ut:agricola,æ:particeps,ipis: æquinoctium,ii:Artifex,icis; [i. *tantùm spectatur terminatio.*]

CAPVT XI.

DE GENERE ET REGVLIS *Generalibus.*

* Genus est discretio nominis secūndùm sexum. *Scaligero* est affectus sexum notans terminatione.

[*In Generis appellatione Metaphora est desumpta à naturali generatione animalium,de qua ita Scalig.libr.4. de caus. Latin.ling. cap.79. Est & alius modus, inquit, ut generatio. Affectus enim animalis est,non propter ipsum,sed propter speciem. Nisi enim individua certa producerēt sibi simile, interiret species ipsis deficientibus. Quare generandi facultas eis data est: atq; aliis quidem alio modo: Perfectis autem per sexum: in quibus mas & fœmina distinguerentur. His de causis, qua*

sis, quâ voce sexus essent nota, qua ratione id judicarent, eam rationem genus appellarunt, à potestate earum rerum quæ significarentur: sexus enim est alterutra potestas generãdi, &c. Mavult etiam Scaliger ibid. adhibere vocem NOTANS, *quàm distinguens, quoniam non semper distinguunt ob verborum scilicet penuriam, cùm plures res sint quàm vocabula. Non solùm autem propter sexum discernendum inventa & distincta sunt in substantivis genera, sed potissimùm propter Adjectiva; ut cum iis aptè in Syntaxi conueniant. Verep.*]

* Estque Masculinum, Fœmininum, Neutrum, Commune & Omne.

[*Additur his à D. Philippo & aliis* Genus Epicœnum, (seu promiscuum,) cùm uno articulo duo genera complectimur, *ut hic passer, hæc aquila*: Et Dubium, quòd eâdem quidem significatione, diverso tamen genere, à bonis scriptoribus usurpatum reperiatur. *At sanè vera est sententia doctiss. Ludovici Vivis, & Iohannis Rivij, Grammatico nullum esse genus promiscuum, sicut nobis non est genus Dubium. Nam Epicœnum est vel verè masculinum, vel fœmininum, & ad Physicam magis, quàm ad Grammaticam pertinet: at in Dubio, neglecto ἀρχαϊσμῷ usitatius respicitur, & à nobis refertur ad artem inveniendam, non inventam. Scaliger etiam nomen Epicœni, repudiat: At illud inquit, ferendum non fuit, cùm animalia quædam suis generibus non notarent, hanc negligentiam Græci vocarunt genus ἐπίκοινον, pessimè: Nam κοινὸν, id quod duo comprehenderet genera nominabant. Hoc autem alterutrum tantùm cùm recipiat, non potuit habere præpositionem ἐπὶ: addit enim quantitatem mathematicis, ut ἐπίτριτον, &c.*]

*3. Masculinum, } *est, cujus nota est articulus* { Hic.
Fœmininum, Hæc.
Neutrum, Hoc.
Commune, Hic & Hæc.
Omne. Hic, hæc & hoc.

[*Commu-*

[*Commune genus sub se comprehendit Masculinum & Fœmininum. Omne, Masculinum, Fœmininum & Neutrum Masculinum & Fœmininum sunt genera formata & distincta. Neutrum autem est genus informe. Nam per Masculinum & Fœmininum significatur aliquid suppositum determinatum in communi natura. Sed per neutrum convenienter significatur essentia communis. Unde etiam in rebus humanis si quæratur, quis est iste, respondetur Socrates, quod est nomen suppositi. Si autem quæratur, Quid est, respōdetur, animal rationale, quod est natura: Unde sequitur, quòd nomina suppositorum sint generis masculini aut fœminini, sed nomina naturæ sint generis neutri, inquit Thomas Aquinâs part. 1. summ. quæst 3. art. 2. ad 4. Hinc Priscianus l. 5. docet, Masculinum & Fœmininum propriè genera, dici, quia generare tantùm possunt. Unde & Hebræis non est genus Neutrum. Mas (unde Masculinum genus) dictio fuit Osca, concisa à Mamerte: Mamers enim & Mavòrs, & Mars, fortem significarunt, non quòd magna verteret, ut ajunt, neque enim Latinæ voces fuêre. Fœminina autem à fœtu: Fœtus autem παρὰ τὸ φοιτᾶν: nam hoc verbo veteres rem veneream significarunt pudenter, Scalig. dict. loc. ubi etiam disquirit an dicendum sit, Mascula an Masculina, Fœminina an Fœminea genera. Festus in 12. Masculina mavult, quoniam Græci quoque ἀῤῥενικὰ καὶ θηλυκὰ non autem ἄῤῥενα καὶ θήλυα, dixerint: Idem Festus in 1. Fœmineum dicit genus, non Fœmininum. Neutrum Scalig. duplex facit: Unum, quod utrumque simul rejicit genus; ut* Scamnum: *neque enim aut mas, aut fœmina est. Alterum, quod neque rejicit, neque statuit, ut* Mancipium: *Porrò neutrum hic nobis idem non est quod nullum. Nullum enim, ut ex Logica constat, est purè negativum; Neutrum non est negativum, sed privativum, quia privat Masculinum & Fœmininum indifferenter, non*
" *prorsus negat. Unde Versor rectè disputat, Masculinum, Fœ-*
" *mininum & Neutrum esse quidem genera opposita formali-*
" *ter, hoc est) quoad rationes suas formales, non tamen mate-*
" *rialiter; quandoquidem æquivocè possint reperiri in aliqua re*

secun-

secundùm diversas proprietates, secundùm quas illa res potest attribui Masculino, Fœminino & Neutro generibus. Ad extremum, Generisné Neutrius an Neutri dicendum est? Respondet pro nobis Scaliger: Recentiores delicati malunt dicere Generis neutrius, quàm Neutri. Sed antiqui sic inflexêre: Vter, utri, utro, sicut Vnus, uni, uno, unum, una: ut est apud Catullum & Terentium, Mihi solæ. *Et ut nomen generis differat à communi illa voce negativa, prudenter, qua potuit, effectum est. Vt veteres genera diversimodè enunciaverint, fusè persequitur Ausonius Popm. de usu antiq. locut. c. 9. ubi vide.*]

* Cognoscitur Genus vel ex significatione; de qua regulæ Generales: vel ex terminatione; de qua regulæ Speciales.

[*Addit Verep. Genus cognosci etiam autoritate, id est, idoneo scriptoris exemplo. At cùm illa Grammatica sit invenienda, nolumus tyronibus negotium facessere, aut nodum in scirpo quærere.*]

REGULÆ GENERALES.

REGULA I.

* I. Virorum, officiorum virilium, Mensium, ventorum & fluviorum nomina, sunt generis Masculini: ut: *Virgilius, Carolus, Consul, Prætor, Quæstor: Ianuarius, Februarius, &c. Eurus, Zephyrus, Auster, Aquilo, Rhenus, Danubius.*

† Ex fluviis excipe fœminina; Styx, Lethe, Albula, Mosella, Allia.

[*Sub Nominibus virorum & officiorum virilium continētur ea omnia, quæ solis viris, seu verè, seu similitudine quadā tribuuntur: ut sunt* 1. Nomina Angelorum; *Gabriel, Michaël.* 2 Nomina Deorum, (*fictitiorum,*) *Mammona, Bacchus, Pluto, Saturnus, Iupiter, Mercurius, &c. ex quibus plurima*

plurima sunt nomina hominum, qui, ut ait Lactantius, ob miraculum virtutis, Dij appellare cœperunt. Observanda quoque hic est regula Hieronymi: neque sexum neq; genus in divinis spectandum esse. Et Varronis: In Deis non esse genus naturæ, sed placiti. 3 Diabolorum: *Lucifer, Leviathan, Astaroth, Beelzebub.* 4. Brutorum: *Agrus, Hylax, Pyrois, Eous.* 5. Ventorum: *Hi enim virili specie & inflatis buccis pinguntur.* 6. Fluviorum: *Nam & hi à Poëtis finguntur & in Romanis triumphis pinguntur viri specie procumbentes, à quibus tamen ex Mythologia Poëtica excipiuntur fluvij infernales, Styx & Lethe, & ex singulari ꝗou, dia Mosella, apud Ausonium, in Idyll. Albula pota Deo apud Ovid. libr. 4. Fast. Allia fluvij nomen fœmininum addunt è Lucano. Quod tamen nonnulli negant fœminino genere usurpari à Lucano, sed per Appositionem, subintellectâ voce Aqua: Et damnata diu Romanis Allia fastis.*

Frischlinus recensitis addenda putat Nomina Montiũ. *Illa autem sub nominibus virorum, ex sententia Poëtarum comprehenduntur, & pleraq; alius sunt generis. Atqui si qua apud Poëtas masculina sunt, inde est, quia mons masculinũ est, ut Thessalus Ossa Ovidio: summum Oetan Senecæ: Nemorosus Othrys Lucano. Apud eundem lib.* 3. Jader (*nomen fluvij) legitur genere Neutro. Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader. Leonicenus tamen putat id dici per modum subintellectionis, quasi Iader tepidum, scilicet flumen. Sic &* Crustumium *apud Mantinell. Plemmyrium Aphrodisium,* (*flumen Pyrrhea:*) Flatum (*flumen Arcadiæ.*) *Apud Horat. legitur &* Rhenum, *genere neutro. Hoc* Soracte (*nomen Montis*) *& hac Soractis, dicit Plinius lib.* 3. *c.* 2.]

REGVLA II.

* Mulierum, muliebrium officiorum, urbium, pagorum, regionum, insularum, & arborum nomina sunt generis Fœminini: ut *Lucretia, Carmenta, Sibylla; obstetrix, nutrix; mater: Giessa,* Norim-

Norimberga, Athenæ: Thebæ, Ægyptus, Cyprus, Delus, Lesbus; Tenedus; pyrus, prunus, quercus.

[Per Nomina mulierum non tantùm intelliguntur ea, quæ verè fœminis competunt, sed simul omnia, quæ mulierum quandam similitudinem gerunt: ut sunt 1. falsæ Ethnicorum Deæ. 2. Nouem Musæ. Calliope, Clio, Melpomene, &c. 3. Gratiæ, Aglaja, Thalia, Euphrosyne. 4. Harpyiæ; Aello, Celano, Ocypete. 5. Parcæ; Atropos, Clotho, Lachesis. 6. Furiæ; Alecto; Tisiphone, Megara. 7. Nymphæ, quarū Virgil 14. enumerat Georg. 4. 8. Sirenes, Parthenope, Ligea. Leucosia. Quædam tamen apud Poëtas Masculino genere usurpata reperiuntur; ut apud Virgilium: Descendo, ac ducente Deo, id est, Venere. Terribilesq; Deos scelerum, id est, furias, Lucan. Qui Veneris magni violavi numina verbo, Tibull. Adventum testata Dei, id est, Veneris, Claudian. Sic Pales (quod Virgil. in fœminino dixit, Te quoq; magna Pales) Varro in mascul. usurpauit. Est autem Pales dea pastorum Ethnica. Nomina Regionum & Insularum comprehendi possunt sub nominibus urbium, aut mulierum. Nam ex libro Romanarum provinciarum patet, regiones & insulas fœminæ specie pingi consuevisse.]

* Excipiuntur I. Urbium & Regionum nomina, E, UM vel UR finientia, quæ Generis neutri sunt: ut hoc Care, Teate, Ilium, Ticinum; Lugdunum, Comum, Belgium, Illyrium, Tybur.

* Et quæ in I desinunt pluralia Masculina: ut hi Gabii, Veji, Philippi, Vbii, Iliturgi, Parisii, Fundi.

† Et masculina singularia, Epidaurus, Camirus, Sulmo, Narbo, Croto, Hippo.

G [Præ

plurima sunt nomina hominum, qui, ut ait Lactantius, ob miraculum virtutis, Dij appellare cœperunt. Observanda quoque hic est regula Hieronymi: neque sexum neq; genus in divinis spectandum esse. Et Varronis: In Deis non esse genus naturæ, sed placiti. 3 Diabolorum: *Lucifer, Leviathan, Astaroth, Beelzebub.* 4. Brutorum: *Agrus, Hylax, Pyrois, Eous.* 5. Ventorum: *Hi enim virili specie & inflatis buccis pinguntur.* 6. Fluviorum: *Nam & hi à Poëtis finguntur & in Romanis triumphis pinguntur viri specie procumbentes, à quibus tamen ex Mythologia Poëtica excipiuntur fluvij infernales, Styx & Lethe, & ex singulari Divona, dia Mosella, apud Ausonium, in Idyll. Albula pota Deo apud Ovid. libr. 4. Fast. Allia fluvij nomen fœmininum addunt è Lucano. Quod tamen nonnulli negant fœminino genere usurpari à Lucano, sed per Appositionem, subintellectâ voce Aqua: Et damnata diu Romanis Allia fastis.*

Frischlinus recensitis addenda putat Nomina Montiũ. *Illa autem sub nominibus virorum, ex sententia Poëtarum comprehenduntur, & pleraq; alius sunt generis. Atqui, si qua apud Poëtas masculina sunt, inde est, quia mons masculinũ est, ut Thessalus Ossa Ovidio: summum Oetan Seneca: Nemorosus Othrys Lucano. Apud eundem lib. 3.* Jader (*nomen fluvij*) *legitur genere Neutro. Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader. Leonicenus tamen putat id dici per modum subintellectionis, quasi Iader tepidum, scilicet flumen. Sic &* Crustumium *apud Mantinell. Plemmyrium Aphrodisium,* (*flumen Pyrrhææ:*) Flatum (*flumen Arcadiæ:*) *Apud Horat. legitur &* Rhenum, *genere neutro. Hoc* Soracte (*nomen Montis*) *& hac Soractis, dicit Plinius lib. 3. c. 2.*]

REGULA II.

* Mulierum, muliebrium officiorum, urbium, pagorum, regionum, insularum, & arborum nomina sunt generis Fœminini: ut *Lucretia, Carmenta, Sibylla; obstetrix, nutrix; mater: Giessa,*

Norim-

Norimberga, Athenæ: Thebæ, Ægyptus, Cyprus, Delus, Lesbus; Tenedus; pyrus, prunus, quercus.

[*Per Nomina mulierum non tantùm intelliguntur ea, quæ verè fœminis competunt, sed simul omnia, quæ mulierum quandam similitudinem gerunt: ut sunt* 1. falsæ Ethnicorum Deæ. 2. Nouem Musæ. *Calliope, Clio, Melpomene, &c.* 3. Gratiæ, *Aglaja, Thalia, Euphrosyne.* 4. Harpyiæ; *Aello, Celano, Ocypete.* 5. Parcæ; *Atropos, Clotho, Lachesis.* 6. Furiæ; *Alecto; Tisiphone, Megara.* 7. Nymphæ, *quarũ Virgil* 14. *enumerat Georg.* 4. 8. Sirenes, *Parthenope, Ligea. Leucosia. Quædam tamen apud Poëtas Masculino genere usurpata reperiuntur; ut apud Virgilium: Descendo, ac ducente Deo, id est, Venere. Terribilesq; Deos scelerum, id est, furias, Lucan. Qui Veneris magni violavi numina verbo, Tibull. Adventum testata Dei, id est, Veneris, Claudian. Sic Pales (quod Virgil. in fœminino dixit, Te quoq; magna Pales) Varro in mascul. usurpauit. Est autem Pales dea pastorum Ethnica.* Nomina Regionum & Insularum *comprehendi possunt sub nominibus urbium, aut mulierum. Nam ex libro Romanarum provinciarum patet, regiones & insulas fœminæ specie pingi consuevisse.*]

*Excipiuntur I. Urbium & Regionum nomina, E, UM vel UR finientia, quæ Generis neutri sunt: ut *hoc Care, Teate, Ilium, Ticinum, Lugdunum, Comum, Belgium, Illyrium, Tybur.*

*Et quæ in I desinunt pluralia Masculina: ut *hi Gabii, Veji, Philippi, Vbii, Iliturgi, Parisii, Fundi.*

† Et masculina singularia, *Epidaurus, Camirus, Sulmo, Narbo, Croto, Hippo.*

G [Pro



[*Pro Ilium dicitur & Ilios genere Fœminino. Non semel Ilios vexata est, Horat. Et Ilion: Tunc cum tristis erat defensa est Ilion armis, Ovid. Dicimus etiam Sodoma, Gomorra fœminino genere, & Sodomū, Gomorrum, Neutro genere, autore Iustino. Sic hoc Præneste dicitur, & hac Prænestis: Præneste sub ipsa, apud Virgiliū lib. 8. sacrisq; dicatum Fortunæ Præneste jugis. Sic & neutra sunt: Legma (urbs Daciæ apud Lucanum lib. 8.) & Ispal, urbs Hispaniæ, quæ & Hispalis vocatur. Item Argos, civitas Græciæ. Epidaurum, urbs Achaiæ. At, hæc Hierosolyma, genere Fœminino dicitur: & hæc Hierosolyma Hierosolymorum, genere neutro, apud Sueton. in Vespas. Plinium. lib. 5. Hieron. in Epist. Gal. Et indeclinabiliter, Hæc Hierusalem.* Anxur *oppidum Campaniæ, & Masculino & Neutro genere usurpatum legitur. Candidus Anxur, Martial. impositum Anxur, Horat. Nomina verò gentis nisi moveantur, communia sunt, ut Arabs, Arpinas, Andabata, Burgundio, Æthiops, Ligur, &c.*

*II. Arborum quædam nomina, ex quibus Masculina sunt: *Oleaster, Pyraster, Cytisus, Spinus, Hebenus, Rubus & Dumus.*

[*Legitur tamen & hoc Hebenum. Libanus tam Masculino quam Fœminino genere vulgò usurpant. Cicero etiam in Orat. in Verr. dicit hac Oleaster, (nisi fortè mendum sit, quod suspicatur Lossius:) Hominem suspendi jussit in Oleastro quadam. Invenitur & Oleastrum, sicut Pinaster & Pistrum. Gazá lib. 4 Theophrast. Pinaster fœminino genere dixit. Oleaster plurimus, est apud Virg. Ob eandem igitur rationem Pinaster & Pyraster Grammatici Masculina esse tradunt. Spinus Masculinum esse Servius testatur, Cytisus Columella masculinum est lib. 13. c. 28. & fœmininum libr. 9. cap 14. Theocrito masculinum. Rubus etiam Gellio, Seneca & Columellæ fœmininum: Masculinum tamen sæpiùs legitur Pinus, Cupressus, Platanus, priscis temporibus etiam masculina fuerunt sed rectiùs fœminino usurpantur. Vide & Gell lib. 13. cap. 19. Malus pro arbore, fœm. pro ligno navis, mascul-*

masculinum est. Schinus quoq; id est, Lentiscus, masculinum facit Lossius, sed utrumq; est fœmininum, illud apud Arat. Phenom. hoc apud Cicer. 1. divinat. è quo allegat Plin. lib. 18. cap 25.]

* III. *Acer, Robur, Suber & Siler,* quæ neutra sunt.

[*Suber etiam masculino legi apud Plinium (tardissimus Suber) quidam volunt (ut Despaut.) Sed alii legunt ibi (tardissimo) scilicet germine, & mendum esse ex emendatis codicibus docent. Locus est lib. 16. c. 25. Prateol. Acer vile, apud Ovid. in Eleg. contrà Priscianum, qui fœmininum esse tradit.*]

REGULA III.

* Fructuum, metallorum ac leguminum nomina pleraq; generis neutri sunt: ut *Pomum, pyrum, prunum, cicer, papaver, piper, aurum, argentum.*

[*Neutra etiam sunt nomina quæ significant loca arborum, ut Coryletum, Dumetum, Lauretum, Myrtetū, Palmetum, Quercetum, Vinetum, Salicetum vel Salictum, Arundinetum, Buxetum, &c.*

* Excipiuntur fœminina, quæ fructum & arborem significant: *oliva, nux, glans, castanea, avellana, & (pro diversitate significationis) ficus.*

[*De* Ficus *disputat Valla lib. 1. cap. 4. ubi vide. Nos omissis aliorum perplexis distinctionibus, Ficus fœmininum esse statuimus, pro fructu & arbore. Cùm verò abusivè pro morbo usurpatur, masculinum quidem est, sed tùm non est hujus loci. Vide nostræ sententiæ rationes infrà cap. 13. in Variantibus.*]

 *Neu-

*Neutrum genus tribuitur nominibus literarum, & iis, quæ τεχνικῶς, ac materialiter efferuntur: ut, cùm dico, *Cæsar* dissyllabum est. Græci addunt articulum τὸ: ut: τὸ ἄλφα πρῶτόν ἐστι στοιχείων, id est, Alpha primum est Elementorum.

[Τεχνικῶς, *hoc est, artificialiter efferuntur, quæ juxta artem (non significationem,) vel secundùm peculiarem impositionem artificis, qui sæpe vocibus idoneis destituitur, significant; qualia sunt nomina literarum, Modi Figurarum Syllogisticarum; &c.* Materialiter *efferri nihil aliud est: quàm ipsis literis & syllabis ex quibus cōstat efferri, cum sensus est, hæc dictio, hæc oratio: ut apud Martial. Quid tam grande Sophos clarat tibi turba togata? Euge tuum, Velle tuum, apud Pers. triste Vale, apud Ovid. &c.* NOTA: *Verba & Adverbia, quando nominum loco usurpantur, itidem neutra sunt, ut apud Pers. Satyr. 1. Scire tuum nihil est, &c. & Satyr. 4. Velle suum cuiq; est, & Satyr. 8. Iam* Cras *hesternum consumpsimus, ecce aliud* cras *egerit hos annos. Et Satyr. 3. Iam clarum* mane *fenestras Intrat.*]

REGULA IV.

* Quæ viris ac mulieribus pariter conveniunt, communis generis sunt, &c.

[*Vulgò hanc regulam limitant, ut sermo hìc sit de illis nominibus, quæ sunt substantiva: 2. quæ sub diversis articulis & uno fine tribuuntur viris & fœminis, ut monet Verepæus lib. 2. pag. 102. 3. quæq; potissimùm sunt nomina officii. 4. & prædicantur de viris & fœminis in casu recto, adeò ut nō valeat sophisticatio: Tussis, risus, nasus, convenit viris pariter ac mulieribus. E. Tussis, risus, &c. sunt generis communis. Sed ut quod res est fateamur, neutra restrictio firma videtur. De tribus prioribus veritas est in aprico. Nā non omnia communia nomina officii, in utroq; genere apud autores reperiun-*

periuntur. Et sub diversis articulis atq; uno fine tribui viris & fœminis, petit principium, quia incertum per aquè incertum declarat, & nullam regulam constituit. Quarta omnium optima est, nec tamen omnia octo habet Nam Exempli causa, mancipium *substantivum est, & de fœminis & viris in casu recto prædicatur, nec tamen generis est communis. Ea propter simpliciter sic dicere malumus.*

*Communia sunt, quæ his versiculis comprehenduntur:

*I. *Quæ cum discrimine sexus in viris & mulieribus, utroq; genere usurpantur:*

Autor & *antistes, custos, civisq;, comesq;,*
Conjux atq; *parens, affinis, testis,* & *hæres,*
Dux, vates, vindex, adolescens, miles, & *hostis,*
Nemo, cliens, & *sus,* & *bos, canis,* atq; *sacerdos.*

*II. *Quæ promiscuè utroq; genere usurpantur:*

Ales, adeps, balanus, forceps, grossusq;, phaselus,
Barbitus, & *limax, natrix, serpensq;, silexq;,*
Atq; *dies, torques,* & *onyx,* & *pampinus, imbrex,*

*III. *Quæ frequentiùs & rectiùs Masculino genere usurpantur:*

Amnis, bubo, rudens, rubus, anguis, margo, canalis,
Cardo, culex, cortex, clunis, corbisq;, cinisq;,
Et *finis, funisq;, latex, sentisq;, vepresq;,*
Narcissus, varix, pumex, & pulvis, & obex.

*IV. *Quæ frequentiùs & rectiùs Fœminino genere usurpantur:*

Calx, crux, frons, grus, lynx, scobs, stirps, atomusq;, palumbes,
Damaq;, talpa, colus, linter, scrobs, carbasus, alvus.

G 3 [*Annu-*

[*Annumerant Grammatici Communibus etiam hæc sequentia:* interpres, sospes, deses, teres, superstes, eques, pedes, obses, hospes, hebes, inquies, pauper, uber, degener, augur, verna, indigena, & cætera in A Verbalia, judex, index, cœlebs, &c. *Quæ tamen partim Adjectiva sunt, & proinde generis Omnis: partim ambiguè usurpata, modò substantivè, ac tùm in Masculino genere tantùm reperiuntur apud autores; modò adjectivè, ac tùm itidem generis Omnis, aut saltem per Appositionem junguntur aliis substantivis vice Adjectivorũ. Iccircò non videntur inter Communia referri posse: quandoquidem hic substantiva considerantur: Adjectiva verò in Regula sequenti. Si quis tamen analogiam secutus, malit ea substantiva pro Communibus habere, quæ officium significant, & utriq; sexui conveniunt, poterit ad primum membrum adjicere hos Versiculos:*

Augur, & interpres, eques, & pedes, obses, & hospes,
Index, & Judex, & in A Verbalia cuncta.

Iuxta hanc sententiam talis Regula foret de Communibus: Nominà officii, quæ & viris & mulieribus competunt, sunt generis Communis. *Qua ratione nihil opus esset exemplis autorum ad singula Nomina. Nos tamen exempla collegimus è diversis autoribus, eorum quæ indubitatò Communia sunt, & in quibus opus fuit. Ac subjiciemus testimonia singulorum, ordine alphabetico.*

Autor. *Optima autor, Ovid.* Antistes, *perita antistes, Val. Max:* Affinis. *Affinis tua, Cic. Eodẽ modo &* Patruelis *dici potest in mascul. & fœmin. Nam & duorum fratrum filij & duorum fratrum filiæ patrueles vocantur.* Adeps, *lupino adipi, Plin. cocta adeps, id.* Ales, *masculinum Virg. fulvus ales: & Ovidio, Horatio: fœmininum Plinio, Lucretio, Claudian. Ovid. Virgilio.* Amnis, *masculinum Virgilio, Horat. Claudian. Lucan. Ovid. fœmininum Varroni ter, & Plauto semel in Merc. Clariss. vir Taubmannus annotat ex Nonio & Prisc. veteres promiscuè in masc. & fœm. Amnis usurpasse.* Anguis, *masculinũ Virgilio, fœmininũ Val. Max*

Atq-

Atomus, *semper fœmininum Ciceroni: masculinum Senecæ & Lactantio.* Alvus. *fœmininum frequentissimè apud Classicos: masculin.* Accio, *& in Epitaph. Hermaphrod.* Balanus, *masc. apud Plin fœmin. apud Horat.* Barbitus, *mascul. Horatio: fœm Ovidio Ausonius etiam in Neutro dicit Barbiton.* Bubo, *mascul. Lucano Ovid. Silio fœm Virg. Servius tamen dicit, Virgilium genus mutasse, subintellecto Nomine avis. Interdum enim genus, relicta specialitate, à generalitate sumitur, ut inquit Brassican.* Custos, *masc. frequentissimè. Custos janitrix, Plaut. Custos domus, (utrùq; in casu recto:) Virg &c.* Civis, *civis Attica, Terent &c.* Clies *honesta clientes Horat. Dicitur & Clienta in fœminino, Plaut* Canis, *fœta canis, Varro* Canalis, *masc Virgilio fœmin. Varroni.* Cardo, *mascul. Virgilio: fœm. Graccho.* Culex, *masc Horatio: fœmin. Plauto, de quo tamen ambigunt Turnebus, Gruterus, Vide Taubm. in Plauti Casin.* Cortex, *masc. & fœm. Virgilio.* Clunis, *mascul. Plauto Iuvenali: fœm Horatio.* Corbis, *masc. Prisciano teste: fœmininum Ciceroni (messoriâ corbe,) & Columella.* Cinis. *masc frequentissimè: fœm. veteribus, ut. furva cinis, Calv. apud Non acerba cinis, Catull* Calx *(pro calcaneo) masc. Virg. & Persio: fœmin. Virgilio, Ciceroni, Silio, & Nonio. Si verò cæmentum significat, semper est Fœmininum, Veref aeo autore Sic. Plin. l. 36. c. 23.* Crux, *fœmin Ovidio, Propert. Martiali: mascul. Graccho, teste Festo, Nestor.* Colus, *fœm. Ciceroni, Claudian. Ovid. Festo: mascul. Propert Catullo.* Carbasus, *semel Mascu. Val. Maximo, optimum carbasum: aliâs fœminino legitur* Dux, *optima dux. Cic. dux fœmina facti, Virg fœmina dux malorum, Senec. nisi hæc duo postrema per Appositionem dici malis.* Dies, *masc. Lucan. Statio fœmin. Martiali. Notetur autem Regula de Dies.*]

† Dies in singulari est commune; in Plurali Masculinum tantùm est.

[Dama, *timidi damæ, Virgil pavidæ damæ, Horat.* Forceps, *tàm masculinum, quàm fœmin juxta Priscianum. Apud*

pud Ovid. est. curva forceps. Apud Plin. denticulatæ forcipes. Apud Perf. adunca forcipe. Apud Næviũ, calida forcipe. teste Priscian. Mantuanus neotericus dixit, alieno forcipe. Finis, *masc. frequentissimè. fœmininũ apud Gell. & Cic. 2. de legib. & apud Virg. euphoniæ caussa, velut &* Funis, *apud Lucretiũ, aurea funis, teste Gell. lib 13. c. 19 quòd aliàs masc. est.* Frons, frontis, *fœmininum est frequentissimè. A Cæcilio in masculi, usurpatur, hilaro fronte Gell. lib. 15. c. 9. & apud Nonium, frons fimbriatus: fronte recto, apud Catonem* Grossus, *masculinum Celso grossi cocti: fœm. Plinio, crudi grossi* Grossulus, *fœmin. Plinio. Grus fœm. Virg. Strymoniaq; grues, & Plin. cæteræ grues; masc. Horatio, membra gruis sparsi.* Hostis, *perniciosissima studiorum hostis, Quint. frequentissimè autem mascul. est.* Imbrex *meas imbrices, Plaut.* Limax, *implicitus limax, Columella, fœm. Plinio.* Latex, *aliàs masc. semel reperitur in fœm. apud Accium.* Lynx, *masc. Horatio: fœm. Virgilio, Plinio.* Linter *fœmin. Livio, Cæsari, &c. masc. Tibullo & Prop.* Miles, *nova miles, Ovid.* Margo: *plenâ margine, Iuvenal. aliàs mascul. est.* Natrix, *natrix violator aquæ, Luc. fœmininum etiam esse, Priscian, testatur, & reperitur fœm apud Lucil.* Nemo, *neminem peperisse hic, Terent. neminem vicinam, Plaut. Casin.* Narcissus, *Latinis masculinum. Theocrito fœm.* Onyx, *masc. Plinio, Martiali fœmin. iisdem. Sic &* Sardonyx *compositum; densi Sardonyches, Iuvenal. natalitia Sardonyche, Perf.* Obex, vel Objex, *masc. Silio, Virg. Claudian. Seneca, Ovidio: fœm. Plinio, (nulla obices.) Est etiam fœmin. Virgilio, secundùm quosdam codices, lib. 10. Æneid.* Pampinus, *masculin. Pampini triti, Plin. bini pampini, Colum. supervacuos pampinos, id fœm. Plauto & Varr.* Phaselus, *Ovidio, Martiali, Statio, sæpè fœmininum: Catullo & Ausonio Masculinum.* Pulvis *fœm. aliquoties Propertio, aliâs masculinum.* Pumex, *fœm. Catullo, de qua tamen lectione ambigit Scal. Aliàs masculinum est* Palumbes, *Virg. fœmininũ: Masculinũ Quint. l. 11. c. 6.* Rubus, *vide suprà reg. 1. gen.* Rudens, *mascul. Lucano, Statio, Catull. Virgilio: fœm. Nonio, Plauto, vide Taubm.*

de Taubm. in Plaut fol. 1058. Sacerdos, *magna sacerdos, venerara sacerdos, Virg.* Sus, *setigerique sues, Virg. lutulenta sus, Horat.* Serpens. *pavendas serpentes, Plin. expugnata serpens, id. Cœruleus serpens, Ovid. &c. Fœmininum est etiam Ovidio, Lucretio, Horatio, &c.* Silex. *fœmininum Virg. acuta silex, nuda silex, dura silex: masculinum Lucretio. Validi silices: Ovidio, soluti silices, &c.* Sentis, *masculinum juxta Phocam: fœm. rarò invenitur. Utroque genere apud Colum.* Scobs, *fœm. Horatio, Phoce. Scribon Largo: masc. Priscian.* Stirps, *(pro planta) masc. Virgilio & Ennio (stirpe supremo) & fœmin. Horatio. At si progeniem significat, semper fœmininũ est.* Scrobs, *masc. Columella: Et Plautus Sexagenos scrobes dixit, Amphitr. fœm. Columella & Plinio. Sic Lucan. ait, exigua scrobe.* Torques *vel* Torquis. *Cicero modò Masc. modò Fœminino usus est. Masculinum est & Ovidio, Propertio, Statio, Plinio: torquem sanguinolentam, Gell. torquis unca, Propert.* Talpa, *masc. Virg. fœmin. Plinio.* Vepres. *Masculinum tàm in singulari quàm plurali secundùm Probum: & fœmininum secundum Priscianum: sparsi vepres, Virg. densi vepres, Plin. hirsuti vepres, Virg. vepres auctas. Lucret.* Varix, *Quintiliano & Seneca fœm. varices execandas. Aliis masculinum, ut, varice succiso, Horat.* Vindex. *Optima vindex, Val. Max.* Vates, *sanctissima vates, Virgil.*

Atq; hæc sunt, quæ hinc inde colligere potuimus; Iuniores utantur iis cum judicio, & non nisi usitatiora in styli exercitio adhibeant: inprimis videant, quid extet apud Poëtas, & Oratores sive Historicos. Nam autoritas magis petenda est ab his quàm ab illis, ut rectè monet, Quintilianus libr. 1. cap. 6. Sublevavimus autem illos hoc labore, dum distinctis versiculis notavimus, quonam genere quodvis, ex his Nomen, tutiùs & rectiùs ex auctorum classicorum tenore usurpetur.]

† Quòd si contingat, ut mulieribus tribuenda sint nomina quæ Masculino tantùm genere apud autores leguntur, observanda est regula

Verepæi lib. 2. Esse scilicet per appositionem loquendum. Exempli gratia: Non dicendum, *Duæ fures* conjectæ sunt in carcerem, sed; *Duæ fœminæ fures* conjectæ sunt in carcerem: vel alia simili loquendi formula utendum.

NB. [*De Genere τοῦ* Homo *pauca: Quoniam Donatus, Diomedes, Priscianus, & ex recentioribus Melanchth. Scaliger & Bolzanius in genus commune compromittunt. Illi autem niti videntur 1. loco Plautino: quando in Cistellaria Alisca ancilla: Hominis, inquit, misera misereri: Deinde Ciceronis in Orat. pro Cluentio; Cujus ea stultitia est, ut eam nemo hominem, ea vis, ut nemo fœminam, ea crudelitas, ut nemo matrem appellare possit. Cui consimilis est locus lib. 4. epist 5. Tullia nata fuerat homo. Veruntamen ad prius respondet Bonciarius Italus, locum Plauti esse corruptum, & legi debere: Illo sunt homines miserè miseri: id est, homines sunt miserabilem in modum miseri ob metum. Ad alterum rectè urget Frischlinus Strigil. pag. 7. copulationem substantivorum, in quâ generis ratio non habetur ut in illo Ovidiano: O mihi perpetuum nata puella malum. Uno verbo: τὸ Homo est generis communis significatione; masculini, constructione. Bonciar. Verepæus.*]

NB.

REGULA V.

✱ V. Adjectivorum trium terminationum, prima generis masculini, secunda fœminini, tertia neutrius est: Duarum terminationum prior generis communis; posterior neutrius est Unius terminationis Adjectiva sunt generis omnis.

Trium.

Trium. { *Hic doctus, hæc docta, hoc doctum. Hic nigerrimus, hæc nigerrima, hoc nigerrimum. Hic unus, hæc una, hoc unum. Hi duo, hæ duæ, hæc duo. Quadringenti, æ, a. Idem, eadem, idem.*

Duarum. { *Hic & hæc fortis & hoc forte: Hic & hæc doctior, & hoc doctius: Hi & hæ tres, & hæc tria.*

Unius. { *Hic & hæc & hoc sapiens, concors, fugax, vetus, nequam, totidem, intercus, par, concors, discors: Et numeralia: Quatuor, quinque, sex, octo, decem, viginti, triginta, centum, mille, &c.*

[*Ex hoc fundamento Frischlinus hæc Adjectiva,* sospes, dives, hebes, teres, bipes, deses, impos, compos, degener, pauper, *& similia Omnis generis esse statuit. Et sanè analogia hoc suadere videtur, licet exempla singulorum apud autores non reperiantur in Neutro genere.*]

¶ *Mille bifariam usurpant Latini, aliàs adjectivè, aliàs substantivè. Adjectivum mille indeclinabile est, plurale tantùm, generis omnis: ut* mille homines, mille hominum, &c.

[*Ei additur adverbium numerale; ut, bis mille, ter mille homines.*]

¶ *Substantivum mille, singulari numero indeclinabile est, generis neutri: ut mille passuum, mille hominum: Plurali autem sic declinatur:* Millia, millium, millibus, millia, millibus.

[*Ei additur nomen numerale: ut duo millia equitum, Gell.*

Gell.lib. 1.c.16. ex antiquis probatis ostendit, integrè substantivum Mille *fuisse olim usurpatum.*]

Caput XII.

De Regulis Specialibus.

A.

* In A desinentia fœminina sunt: ut *hæc Musa, hæc fabula, hæc procella, hæc uncia.*

[*Quoniam speciales hæ regulæ plurimas patiuntur exceptiones, notanda sunt verba P Rami libr.1 Schol. Grammat; fol. 8. Quamvis, inquit, regula Grammatica rara ad legem Catholicam reperiri possit, quin anomaliam aliquam patiatur: attamen cùm analogiâ suam anomaliam subjeceris, tum denique id totum catholicum erit. Caterùm in his regulis multa nomina occurrunt, quæ ex generalibus cognosci possunt & debent, ideoque brevitatis causâ in speciali doctrina omissa sunt.*]

* Excipiuntur I In Ta, verbalia & gentilia, quæ Græcè in της desinunt, & pleraque masculina sunt: ut: *hic Cometa: hic Poëta: hic Planeta: hic Propheta: hic Spartiata: hic Crotoniata: hic Sybarita: hic Amphipolita.* Item: *Hadria* pro sinu maris.

[*Fœminina autem Verbalium, vel in* tria *vel in* tis *exeunt, ut hæc Poëtria, hæc Prophetis, tidis. Gentilium fœminina in tis, ut hæc Spartiatis, idis: Sybaritis, idis, vel idos. Excipiendum hîc est* Catarracta, *quod Fœmininum est, in masculino verò Catarractes dicitur.* Margarita *Plin. fœminino genere dixit lib. 9. cap. 35, & ibidem, ut videtur, masculino, (sicut & Græcum masc. est) Vlpian. etiam inquit fœminino, Margaritas explicatas.* Charta *fœmininum est, quia non verbale. Hadria pro urbe fœmininum, pro sinu maris masculinum est.* Catapulta *fœmin. apud Plaut. Curcul.* Balista

lista etiam fœmin. Vide Turneb. & Taubman. Plaut. pag. 205.]

* II. Verbalia Græca in Ma tertiæ declinationis, neutra sunt: ut Poëma: hoc Noëma: hoc Drama: hoc schema. [His adde Pascha, huius Paschatis.]

[Suprà dictum pag. 70. veteres & in Fœminino Schema, hujus Schema dixisse. Sic & Pascha hodie neutro Genere in tertia declinatione usurpatur, hujus Paschatis & Paschatos, huic Paschati, ab hoc Paschate, plural. Paschata, &c. Et in prima hujus & huic Paschæ, ab hoc Pascha, juxta Georg. Vall. Cæterùm in Ma, quæ non verbalia sunt, ad hanc exceptionem non pertinent, ut hæc drachma. Nec quæ ex terminatione E in latinam terminationem transierunt, ut hæc Epitoma, pro Epitome.]

* III. Sunt & neutra, pluralia in A omnia: ut: hæc arma, Bactra, crepundia.

* IV. Verbalia, Incola, homicída, parricída, verna, indígena, ádvena, convíva, colléga, hæredípeta, pérfuga, auríga, &c. Item pincerna, scurra: vulgò communia, veriùs masculina sunt.

[Verna, quasi vere novo natus. Auriga, aureas (lora) agens. Hæc omnia cùm non nisi masculinis adjectivis apud probatos autores juncta legantur, cum Verepæo Masculina potiùs quàm Communia statuimus. Aliud verò est, quando ex ipsis nõnulla adjectivorum naturam induunt, ut indigenus, a, um (indigeno vino, Plin.) vitigenus, (vitigeni liquoris, Lucret.) Alienigenus, a, um (alienigena studia, Valer. alienigena justitia, Gell. alienigenus sanguis, Val. Max.) Caprigenus, a, um, (Caprigenum pectus, Virg licet Priscianus syncopen velit, pro caprigenarum.) Sic verba verna, Plaut. Suprà autem reg. 4 generali diximus, Verbalia hæc Communia censeri posse, si quis ad analogiam, non autem ad autoritatem velit respicere.

De Polenta etiam dicendum est aliquid. Multi Grammatici

matici statuunt, & neutrum & fœmininum esse. Neutrum ex illo Ovid. 5 Metam. Dulce dedit testâ (*vel tosta*) quod coxerat antè polenta. *Verum rectiùs sentiunt, qui polentâ illic Ablativo casu intelligunt. Sensus enim est, Dulcem potum dedit quem anteà coxerat polenta, id est, hordeaceâ farinâ seu hordeo tosto. Polenta enim non bibitur. Sic paulò post:* Cum liquido mixtâ perfudit diva polentâ, *ubi polentâ non cum liquido, sed cum mixtâ construitur, Fœmin. genere: ut rectè differunt Raph. Regius, Despauter. & amicus noster Dn. Taubm. (in Plaut. Asinar.)*

Maminona *masculinum ex 1. generali regulâ patet, licet Despaut. velit esse neutr. indeclinabile.* Manna *etiã Despaut. tradit esse neutrũ & indeclinabile, quia peregrinum. Mavult tamen Fœminino genere declinari Lossius. Nam & Plinius dixit mannam Accusativo. Henrichmannus putat dici posse hoc Manna, mannatis, vel hæc manna, huius manna.* Mandragora *Murmellius masculinum esse vult. Verùm rectiùs Lossius utriusq; generis esse statuit: Cùm & apud Græcos utroq; genere inveniatur, masculino & fœminino: apud Pliniũ masculino. De Dama & Talpa, vide suprà reg. general. pag. 104.* Patriarcha, Monarcha, Apella, Rabula, Lanista, Satrapa, Lixa, Semilixa, Pharmacopola, Bibliopola, Scriba, Papa, &c. *Masculina sunt, & ex 1. Reg. generali cognosci possunt.*]

E.

*In E neutra sunt: ut *hoc mare, cubile, monile.*

[Cæpe *vel* Cepe *neutrum indeclinabile est, apud Plin. & Pers. teste Brassicano Frequentiùs verò Capa vel cepa Fœminin. legitur.* Præsepe *neutr. in sing. indeclinabile tradit, Verep. In plurali verò declinari. Alii verò integrè declinari statuunt. Dicitur etiam Præsepis in Fœmin. apud Plaut. Rudent. & Curcul. teste Nonio, Unde Accusativus Præsepim, qui superioribus nominibus in Im desinentibus (pag. 81.) adiici potest. Vide in heteroclit. plura.*]

Græca

* Græca in E fœminina sunt: ut: *hæc Parasceve; Epitome, Psyche.* Quædam etiam neutra, sed pluralia; ut *hæc Tempe, cete, mele.*

* Pluralia in Æ fœminina sunt: ut: *nugæ, tenebræ.*

[Etesiæ, *nonnulli Fœmininis accensent, sed perperàm. Est enim à Græco Etesias primæ declin. simplicium, quod non nisi masculino genere legitur, Sic & apud Latinos, ut Gell. libr 2. cap. 22. Plin. lib. 18. c. 34. Breviter, venti nomen est & ad 1. Regulam generalem pertinet, velut &* Ornithiæ, *de quo idem prorsus est judicium.*]

I.

* In I neutra sunt: ut: *hoc gummi, sinapi.*

[*Suprà dictum est, pag. 71. in I desinentia (Nominativo casu) peregrina esse, seu ut ex Herodian. Priscianus ait Barbara, ut gummi, Stimmi, Zinziberi, &c. olimq; in IS Latinè terminata. Pleriq; hoc loco Nominibus omnium generum apponunt hos obliquos, frugi, nauci, nihili, mancipi, &c. ut* frugi vir: nauci homo: nihili bestia, *quos meritò reprehendere videtur Frisch. Strig. p. 9. ubi vide.*]

O.

* In O masculina sunt: ut *hic sermo; ardelio, mucro, ordo, cardo, ligo, mango.*

* Excipiuntur I. fœminina, quæ Do vel Go finiunt, hyperdissyllaba penultimâ longâ: ut: *hæc alcédo, arundo, testúdo, imago, arúgo, vertígo, cupído* pro *cupiditate,* (aliàs enim masculinum est Cupido nomen proprium pueri.) Item hæc *grando & virgo* dissyllaba.

[*Desspauterius tradit* Harpago, *ônis masculinum, sed nô addit exemplum.* Virgo *nonnulli (ut Brassic.) commune esse volunt, sed nullo veterum exemplo.* Cupído *pro cupiditate etiam*

etiam in masculino Horat. usus est: decepta cupidine falso, l. 1. Sat. 1.]

* II. Fœminina sunt & verbalia in Io, iisque affinia: ut: *hæc oratio, legio, regio, natio, statio, religio, ambitio, concio, factio, dictio, unio*; item *talio, & caro* dissyllabum.

* Excipe *pugio* (à pungo,) *unio* (pro gemma,) *ligurio*, *polio* (qui arma polit,) quæ masculina sunt.

[*Masculina etiam sunt sequentia*: Duernio, Ternio, Quaternio, Senio, Octernio, Ardelio, Centurio, Curculio *vel* Gurgulio, Carpio, Circumcellio, Collurio (*avis nomen apud Arist.*) Decurio, Esurio, Flagrio, *Plaut.* Homuncio, Histrio, Ludio, Lucrio, Lauio, Longurio, Mulio, Opilio, Pellio, Pusio, Pernio, Papilio, Phrygio, Restio, Rubellio, Struthio, Sturio (piscis:) Stellio, Subcenturio, Scipio, Tabellio, Vespertilio, *Quæ omnia cùm non sint Verbalia, ad regulam pertinent, non ad exceptionem. Ardelio enim est ab ardea: Flagrio à flagris: Lucrio à lucro: Pellio à pellis, & sic de cæteris. Pugio etiam nonnulli à pugnus, non à verbo pungo derivant.*

Unedo *fœmininis accensendum est; licet penultimam habeat brevem.* De Bubo, Cardo, Mango, *suprà in Reg. gener.* 4. *dictum est.* Ambo, Duo, *pluralia tantùm, masculina & neutra, vide suprà pag.* 70.]

III. Sunt & fœminina Græca in O longum: ut: *hæc echo: hæc Argo*, (nomen navis.)

IV. *Pondo* neutrum & indeclinabile est.

U & Y.

* In U & Y neutra sunt: ut *hoc cornu, genu, veru, moly.* herba.

C, D, L.

* In C, D, & L, neutra sunt: ut: *hoc lac, halec: hoc*

hoc aliud, aliquid: *hoc tribúnal, vectígal, mel, fel, nil, nihil*: *ſal*, (quod etiam maſculino genere uſurpatur.)

[*Plaut. etiam Nominativo* hoc lacte *dixit in Menachm. & Cato. Aliàs antiquus Nominativus* eſt lactis, *gen. fœm. quo uſus eſt Titin. lactis agnina apud Priſc l.6. Vnde eſt plurale lactes, lactiũ, Fœmin, id eſt partes inteſtinorum graciliũ. Legitur &* halex *Fœminino genere apud Plin. halex imperfecta nec colata; Vnde Accuſativus halecem apud Martial. Priſcianus etiam tradit halec in Nominativo fœmino genere dici.* Sal *maſculinum apud Caton. Salluſt. Terent. Lucan. Plaut. & in plurali facit ſales: in quo genere Donatus ſignificare ait facetias. Verùm etiam Sales in plurali pro Sale minerali, apud Paulum* J*Ctum legitur.*]

*Excipiuntur maſculina: *Mugil, pugil, vigil, Sol*: *conſul, exul*: & fœmininum *ſtrigil*, [pro quo tamen rectiùs *ſtrigilis* dices:]

[*Strigilis eſt apud Cicer. Plaut. Horat. Fœminini generis, quod Nonius certum eſſe dicit, licet Aldus maſculinum eſſe velit, ſicut & Iſidorus dixit, nuncupati ſtrigiles.*]

M.

*In M neutra ſunt: ut: *hoc lorum, ſpeculum, templum, ſcamnum.*

AN, IN, ON.

*In AN, IN, ON, Græca ſunt & maſculina: ut *Pæan, Titan, Delphin, Canon, Dæmon, Helicon*: Exceptis fœmininis, *ſindon, aëdon, halcyon*, & *icon*, & quæ urbium propria ſunt: ut *hac Sidon, Anthedon, Babylon.*

† Illa verò, quæ On in Um apud Latinos ver-

 tunt,

tunt, neutri generis sunt: ut: *hoc symbolon, idolon, symposion, plectron, barbiton.*

En.

*In En neutra sunt: ut: *hoc lumen, flumen, flamen, examen, fulmen.*

*Excipiuntur hæc Masculina: *Ren, splen, lien, hymen, lichen, áttagen, pecten, flamen (pro Sacerdote:)* & composita à Cano: *Fídicen, lyricen, córnicen, tibícen.*

[*Pecten ancipitis est significationis: primò notat instrumentum textorum, quo lanam condensant. Vnde Ovidius: Et rarum pectine densat opus. 2. Instrumentum dentatum quo explicantur capilli, Vnde pectere pugnis apud Plaut. in Menaech. Panul. & Rudent 3. rastellum seu occam. Verrebat raro pectine pratum, Ovid. 4. pectrum quo utimur in cithara Iam pectine pulsat eburno, Virgil 5. Est nomen piscis; aliàs solea. Nec tamen genus mutat quod aliàs multis nominibus contingit.* Siren & Trœzen, *quæ Fœminina sunt, nonnulli addunt: At enim cùm illud Nympha, hoc oppidi nomen sit, ex regulis generalibus cognoscitur.*]

Ar.

*In Ar neutra sunt: ut *láquear, calcar, far, baccar, Epar, lacúnar, lupánar, Nectar, pulúinar, súbligar, torcúlar, jubar.*

Lar Masculinum est.

[*Nonnulli ad Lar etiam addunt* Bostar, *quod locum significat ubi boves stare solent. Adjiciunt alii &* Sotular. *At hoc Latinum non est, & pro eo Hieronymus legit Sotularis.* Baccar *Brassicanus Fœmininum facit, & herbæ genus. At aliud est Baccar & Bacharis secundùm nonnullos Lexicographos: illud neutrū est, & vas vinariū notat, & à nonnullis scri-*

lis scribitur cum H. Bacharis verò est genus herbæ, quæ, ut Plinius tradit, vim habet soporiferam, & coronis olim innecti solebat. Vnde à Dioscoride appellatur coronaria. Ejus meminit Virgilius Eclog. 4. & 7. Murmellio verò Bachar sive Baccar tantum dicitur, & pro vase neutrum, pro herba Fœmininum est. Nar fluvii nomen mascul. ad reg. 1. gen. p. 57. pertinet. Id tamen neutro etiam genere usurpasse Ciceronem, Verepæus ait. Lucr. autem & Virg. masculin.]

Er.

* In Er masculina sunt: ut: *agger, vesper, carcer, cancer, alabaster.*

[Cancer (pro morbo) Priscianus & qui eum sequuntur, neutro genere dici volunt, ex illo Ovidii, Vtq; malum latè solet immedicabile Cancer serpere. Sed alii, ut Verep. &c. ajunt Cancer ibi per appositionem dici: & non minùs masculinum esse pro morbo, quàm pro animali. Sic Cato inquit, Brassica vulnera putrida cancrosq; purgabit. Alabaster masculinum est apud Cic. 2. Acad.]

* Excipiuntur I. hæc fœminina: *Mater, mulier, diámeter, perímeter.*

[Linter vide suprà. Mater etiam ex regula 2. generali cognosci potest.] p. 9.

II. Quæ Ver aut Ber finiunt, neutra sunt: ut, *Ver, cadáver, suber, tuber,* (pro tumore:) *huber.* Excepto *imber* cum compositis, *Múlciber,* & antiquum *pulver*: quæ masculina sunt.

[Tuber Neutrum est sumptum pro tumore, seu callo: sumptum pro genere arboris poma ferentis baccis quàm malis similiora, fœmininum est, Plin. lib. 16. cap. 25. Sumptum pro fructu, vel malo peregrino, masculinum est, Suet. in Domit. Pridiè quàm periret, quum oblatos tuberes servari jussisset. Falluntur autem, qui apud Martial. fœm. esse putant.]

*III. Neutra sunt, *iter, ſpinter, ſiler, laſer, piper, cicer, papaver.* Sed *Cucumer*, & *tuber*, (*pro fructu,*) maſculina ſunt: *laver* fœmininum: *Degener, pauper, & uber,* adjectivè ſumpta ex regulis generalibus manifeſta ſunt.

[*Sunt enim generis omnis; ut uber ſolum, apud Tacit lib. 21. pauper tugurium apud Virg. Ecleg 1. pauper tectum, apud Horat pauper avum, apud Luc. pauper regnum apud Stat. pauper vita, Lucan. pauper terra, Virg Sic & Puber, Puberibus foliis, Virgil &c. Apud Plautum legitur etiam* pauper, paupera; *ut Servius & Priſcianus annotaverunt: apud* Ovid. Altera pauper erat. *Pro Cucumer, uſitatius eſt Cucumis.*]

IR.

*In IR maſculinum eſt: *hic vir* cum compoſitis: *Levir, Semivir, Triumvir, Decemvir, Septemvir, &c.*

[*Adduntur à quibuſdam neutra indeclinabilia*, Hir, *quod volam manus ſignificat, &* Gadir *quod tamen Chariſius declinavit. Nonnulli volunt eſſe fœmininum, teſte Priſcian. Fœminino uſus eſt Ruf. Avienus.*]

YR.

**Martyr* Græci in maſculino, & vulgò communi genere utuntur.

OR.

* In OR maſculina ſunt: ut *amor, honor, furor.*

* Excipe 1. Fœminina: *Arbor, ſoror, uxor.*

[*Quæ è ſecunda generali regula cognoſci etiam poſſunt.*]

2. Neutra, *Æquor, cor, marmor, & ador.*

[Autor

[Autor commune est, ut suprà 4. eg. Generali dictum. Quò referunt nonnulli etiam Sponsor, sed desideramus exemplum probati autoris.]

UR.

* In UR neutra sunt; ut hoc ebur, sulphur, jecur.

* Excipiuntur hæc masculina: Fur, vultur, turtur, furfur.

As.

* In As fœminina sunt, ut hæc bónitas, píetas, cástitas. Sic Græca per adis flexa: ut hæc lampas, olympias.

* Excipiuntur I. hæc Masculina, Mas, maris: as, assis: vas vadis, (pro sponsore;) & Græca primæ declinationis: aut tertiæ per Ntis flexa: ut Satanas, Boreas, Adamas, Elephas, Gigas.

[Huc referunt & Abbas Abbatis, quod tamen Valla Placentinus ridiculè putat commune esse, & primæ declinationis, eò quòd habeat Vocativum Abba: ut Abba pater: Quæ ineptia indigna sunt refutatione.]

* II. Hæc neutra, vas, vasis, Ein Geschirr: Item fas & nefas, indeclinabilia.

Es,

* I. In Es tertiæ declinationis, quæ crescunt genitivis, masculina sunt: ut Gurges, gúrgitis: fomes, fómitis: aries, aríetis: paries, paríetis: pes, pedis: sonipes, sonípedis: magnes, magnétis: lebes, lebétis, Bes, bessis.

[Pro quo est & Bessis in Nominativo apud Festum]

 * Exci-

*Excipiuntur hæc fœminina: *Seges ſégetis: teges: tégetis: compes, cómpedis:* & quæ in obliquis E producunt Latina: ut *merces, mercédis: quies, quiétis.*

Præs, prædis maſculinum eſt.

Æs, æris neutrum.

[*Hæres, edis, commune eſt. Locuples, quod Grammatici his addunt, Adjectivum eſt. Faciunt & communia, quæ vulgaribus hiſce verſiculis comprehenduntur:*

Dives, hebes, præpes, miles, pedes, obſes & hoſpes:
Inquies, Antiſtes, perpes, comes, ales, equesq;:
Interpres, ſoſpes, deſes, teres, atq; ſuperſtes;
Et quæcunq; parit de ſe Pes nomina junctus.

[*Sed de his ſuprà diximus in reg. 4. & 5. generali.*]

*II. In Es, quæ non creſcunt genitivis, fœminina ſunt: ut *hæc fames, lues, tabes.*

*Excipiuntur, *Verres, Acínaces*, maſculina: *Hippómanes, cacoéthes*, neutra.

[*De communibus, vates, torques, vepres, dies, ſuprà dictum eſt.*]

* Sunt & fœminina quintæ declinationis omnia: *hæc fides, res, ſpecies. Meridies* maſculinum tantùm eſt & ſingulare.

Is.

*In Is fœminina ſunt tàm Græca quàm Latina; ut *hæc vis, avis, cutis, ſitis, amuſſis, aſpis, pyxis, jaſpis, paropſis, caſſis.*

[*Avis unus aut alter Grammaticus inter communia refert; At nos idoneum exemplum probati alicujus autoris invenire non potuimus. Caſſis, (pro galea) fœmininum eſt, & Genitivum format caſſidis.*]

*Exci-

* Excipiuntur Masculina, quæ his versibus continentur:

Mascula sunt, panis, penis, crinis, cinis, ignis,
Nec non & vectis, piscis, fascisq; lapisq;,
Hinc fustis, postis, *hinc* axis, vermis *&* unguis,
Et collis, follis, callis, glis, sanguis *&* ensis,
Et mensis, torris, vomisq;, sodalis, & orbis.
Et majalis, natalis, rivalis, aqualis,
Et casses, caulis, *cumq;* assis *prole* jugalis,
Hinc cucumis: *& quæ sexu inveniuntur utroq;*,
Vt clunis, torquis, tùm pulvis, finis & anguis,
Et corbis, funis, sentisq;, canalis, & amnis.

[*Communibus in is, quæ rectiùs Masculino genere usurpantur, sup. à latiùs diximus, in reg. 4. Generali. Ad quæ referri potest & antiquum* Retis. *Nam Retis in masc. Plaut. usurpavit, albo rete piscari, Persa: ubi rete Ablativus procul dubio est à Nominat. retis. Sic idem in Rud. uvidũ retẽ, dixit, Prisciano teste; licèt hodiernæ editiones habeant, uvidum rete. Sosipater autem testatur etiam fœmininum esse. Cassi, (pro reti) masculinum est, & à recentioribus nonnullis in singulari ponitur. Nos tamen exemplum probati au. oris non reperire potuimus. Igitur infrà retulimus* Casses *plurale, ad masculina pluralia.*]

Ys.

* Fœminina sunt, & Græca pleraq;, quæ in ys per y desinunt: ut *hæc chlamys*, *pelamys*, *chelys*, *Erinnys.*

Os.

* In Os masculina sunt; ut *hic honos*, *flos*, *lepos*: & Græca *Tros*, *Eros*, *heros*, *Gelos*, *Monóceros*, *Ægóceros*, *Rhinóceros.*

[*Ex his Poetæ quædam in Or, verterunt in Os, nonnunquam metri necessitate coacti, nonnunquam liberè; ut apud Vergil. Hic pietatis honos, sic nos in castra reponis. Salustius*

etiam metri necessitate non compulsus, ubiq; posuit labos pro labor. At Servius monet, potius regulæ parendum esse]

* Excipiuntur I. fœminina hæc. *Arbos, cos, dos & glos*; & Græca in Os longum; ut, Eως, [*à quo Eous, a, um.*]

II. Hæc neutra; *os oris: os ossis.*

[*Discrimen inter os oris, & os ossis, est in hoc versiculo; Os oris loquitur, sed os ossis roditur ore. Hinc apud Plautum est Adjectivum Exos, exossis.*]

† Et Græca in Os breve, quæ in obliquis o in e mutant, ut *hoc Telos, melos, chaos.*

[*Hæc communia: Bos, custos sacerdos, vide suprà, regul. 4. generali.*]

Us.

* In Us secundæ & quartæ declinationis pleraq; masculina sunt; ut *hic ventus, annus, fructus, arcus, visus, amáracus, hyacinthus* (pro flore) *intybus.*

Sic & Græca, quæ ος in Us Latinè vertunt, ut *hic Tomus, typus, catálogus, paradísus.*

[Hyacinthus *pro flore, masculinum, Virg. Georg. 4. Græcis verò modò mascul. modò fœmininum est. Sed pro gemma & lana colorata, fœmininũ est.* Amaracus *masculinum Plinio lib. 21. c. 11.* Paradisus *Gellio, Ambrosio, Augustino, & Græcis autoribus, masculinum est. Recentiores nonnulli fœminino genere utuntur.* Sexus *genere masculino & neutro legitur. Neutro apud veteres, ut Plautum Rudent. Varron. Sallust. Sed masculino usitatius.*]

* Excipiuntur 1. hæc fœminina: *Vannus, humus, acus, manus, tribus, pórticus, domus,* & plurale *idus.*

[Anus,

[Anus, Socrus, Nurus, *& arborum nomina, ut cérasus, prunus, árbutus, &c. ex regula generali 2. fœminina sunt. Sicut &* Pontus *fæm. nomen regionis (utroque Pontus, Virg.) licet Verepaeus dicat esse masculinum.* Colus *suprà vide in reg. general. 4.*]

* 2. Excipiuntur hæc fœminina Græca: *Arctus, erémus, byssus, abyssus, diphthongus, antidotus.* Item gemmarum nomina: ut *Amethystus, Crystallus, Hyacinthus, Sapphírus, Chrysólithus.*

¶ *Smaragdus tamen, Beryllus, Opalus, in masculino genere reperies.*

* Et hæc fruticum nomina fœminina: Hæc *Nardus, biblus, papyrus, crocus, hyssópus, costus.* Et ab ὁδὸς composita: ut *méthodus, Synodus, exodus, periódus.*

* 3. Hæc neutra: *pélagus, virus*, quod indeclinabile est. *Vulgus* & neutro & masculino genere legitur.

[*Ut vulgum errori similem cunctum, Horat. Vulgum effusum, Sallust. Item apud Virgil. spargere voces in vulgum. Malignum spernere vulgus, Horat. Veteres etiam dixerunt hic vulgus, hujus vulgus. Unde Ablativus à vulgu apud Varron. Oppium.* Crocus *Apulejus fœminino utitur, licèt Græcis masculinum sit.* Nardus *fœmin. esse è Græco, & Horatio patet.* Costus *autore Prisc. est fœm. licèt ipsum quoque à Græcis masculino usurpetur. De* Carbasus, balanus, cytisus, narcissus, *Vide supr. reg. general.* Smaragdus *masculinum est. Apud Suidam tamen cum articulo Græco fœminino legitur. De* Virus *vide infrà indeclinabilia.*

De his NOTA, *si fortè videantur quædam masculino genere usurpata (ut nardo puro, Tibull. ipso papyro, Plin.) illud non esse ex terminatione* US, *sed* UM. *Dicitur enim & nar-*

dum, papyrum, hyssopum, crocum, costum, &c. neutro genere.]

* II. In Us tertiæ declinationis, quæ U in obliquis retinent, fœminina sunt: ut *hæc salús, salútis: palus, údis: incus incúdis: subscus, údis: tellus, tellúris: pecus pécudis.*

[*Pecus Carisius negat reperiri in Nominativo Fœm Vide suprà pag. 79.*]

* Excipe monosyllaba neutra: *jus, crus, rus, pus, thus, plus.* Sed *Mus* masculinum est.

[*Grus & sus communia sunt, de quibus suprà. Mus etiam in fœminino genere P. inius usurpat*]

* III. In Us tertiæ Declinationis, quæ U in obliquis mutant, neutra sunt: ut *Acus, áceris: corpus, córporis.* Excipe *lepus léporis:* quod masculinum est.

[*In sylvis lepores, in verbis quære lepóres.*]

Aus & S. impurum.

* In Aus & S impurum fœminina sunt: ut *Laus, fraus, frons, ars, mors, puls, hyems, cohors, bidens* (pro ove.)

[S purum *est, quod præcedit vocalis*; impurum, *quod consona.*]

* Excipiuntur I. masculina: ut *Mons, pons, fons, dens, seps,* (serpentis nomen) *bidens,* (pro bipalio, sive sarculo) *manceps, princeps, cyclops, hydrops, chalybs, oriens, occidens* (substantiva,) *Æthiops, torrens, nefrens, libripens.*

[*Cicero princeps in Fœmin. & Neutr. adjectivè usurpat, ut principes Qualitates, in quæst. Academ. 1. Princeps exordium, 1 de invent. princeps ara, in Orat. de Arusp. respons.*]

* II.

* II. Partes assis, ut: *dextans, dodrans, triens, quadrans, sextans.*

T.

* In T neutra sunt: ut *caput* cum compositis.

X.

* In X desinentia Fœminina sunt: ut sunt 1. in Ax: ut *fax, pax, fornax, climax.*

[*Climax nonnulli pro masculino habent, sed apud Græcos semper in fœminino legitur.*]

2. In Ex, ut *fæx, lex, supellex, carex, vibex, forfex, halex, tomex, atriplex.*

[*Discrimen inter forfex, forpex & forceps, hoc versu notatur,* Forfice fila, pilos cape forpice, forcipe ferrum. *Sed forpex non est satis Latinum. Forfex etiam masculino Vitruv. usus est, sed paulò aliâ significatione. Ilex, ex general. reg. notum est.*]

3. In Ix, ut *cornix, cervix, lodix, radix, filix, fulix, perdix, mastix, nix, pix, strix, pistrix, helix, cicatrix, coxendix, appendix.*

[*Perdix semel masculinum legitur. Potest igitur inter communia referri. De Victrix, Vltrix, vide Heteroclita.*]

4. In Ox, ut *nox, vox, celox.*

5. In Ux, ut *nux, lux, faux.*

6. In Yx, ut *styx.*

7. In X impurum, ut *falx, lanx, arx, sphinx, phalanx, meninx.*

[*Pellex, ilex, smilax, vitex, salix, larix, matrix, fœminina; Ceryx, Iapyx, masculina, è regulis generalibus cognoscentur.*]

* Excipiuntur masculina, his versiculis comprehensa.

AX.



AX, Thorax, Arctophylax: cordax, harpaxq; colaxq;,
At q; styrax, anthrax, *&* dropax, nycticoraxq;.

[*Abax etiam inter masculina Grammatici referunt. Et sane Græcis masculinum est. Sed Iabolen. ICtus fœminino utitur non semel.*]

EX, Grex, frutex, vertex, vervex, caudexq;, rumexq;,
Et remex, ramex, codex, *cum* murice, sorex.
Pulex *&* pollex, & apex, *cum* cimice, podex,
Index & judex, *si substantiva leguntur:*
Atq; senex: & quæ generalis regula prodit.

[*Nam rex, aquilex, artifex, opifex, aruspex, auspex, fœnisex, substantivè usurpata, è reg. generali cognoscuntur. Quia sunt officiorum virilium Nomina, ac proinde masculina. De* Senex *monendum, nonnullos habere id pro communi, quia apud Tibull. lib. 6. Fœminino legitur, Tot mala ferre senem* (de meretricula) *& apud Varron. lib. 6. Tua amica Senex: sed responderi potest, adjectivè illic sumi pro* decrepita. *Durum enim valdè fuerit, si quis dicat, Hæc senex, avara senex: Potiùs, hæc vetula, avara vetula. Iudex sæva, etiam apud Lucan. legitur, ut videatur ad Communia referendum esse. Sic apud Ovid. 2. metam. Virgo dicis, me judice.*]

IX, *Mascula sunt* fornix, phœnix, spadixq; calixq;.
YX. *Et* coccyx *&* Eryx, & oryx, sandyxq; dioryx,
OX, UX, Bombyx, *atque* calyx, tradux, volvox, *ut &* esox.

[*Phœnix, pro arbore fœmininum, pro gentis nomine masculinum, ex reg. generalibus cognoscitur. Hic consideratur tantùm quatenus avem significat.*]

NX. *Et partes assis:* Quincunx, septunxq;, deunxq;.

[*Sunt & alia in X terminata, quæ tamen certo genere insignita vix apud Latinos reperias, ut* Box, cyix, morfex, (*avis apud Albert.*) Rupex (*avis.*) Ibex vel ibix, (*capreæ sylvestris*) Latax (*animal aquaticum apud Arist.*) Urax (*avis apud eund.*) Panax, (*herba*) Solox (*genus lanæ & pecudis.*) Elix: coix, (*genus stirpis, item vas farinarium.*) julix (*sulcus*)

(sulcus) Vernix *(gummi juniperi)* Tetrix *(avis, &c.) in quibus non est opera precium immorari.*

Adjectiva & Communia: ut, illex, exlex, limax, vindex, culex, latex, cortex imbrex, obex, pumex, silex, natrix, varix; onyx, sardonyx: item dux & conjux. vide supra, in regulis Generalibus. Illex tamen à Plauto substantivè usurpari videtur nonnullis, in Perf. sed verius ibi est adjectivum, ac proinde generis Omnis.]

CAPUT XIII.

DE ANOMALIS SEU HEteroclitis.

Hactenus analogian proposuimus, superest, ut de anomalis dicamus, quæ ad regulam non quadrant, id est, quæ non sequuntur communem & consuetam declinandi formam.

Ἀνάλογα dicuntur, in quibus similitudo deprehenditur ad regulam quadrans, contrà ἀνώμαλα, quæ ab illa discedunt, ab ὁμαλὸς, æqualis & α privativo: Anomala autem hic à Grammaticis κατ' ἐξοχὴν intelliguntur, quæ præcipuam & notabilem anomaliam obtinent. Cætera enim, tanquam exceptiones, suis quæque regulis addita sunt. Nisi hic illud repetendum fuerit, quòd Græca pleraque præter Latinam declinandi rationem, suam nativam retinent, quæ in re nihil certi præscribi potest, sed in singulis observandum, qu dubius dictet.]

¶ *Anomala sunt quadruplicia: Deficientia, Variantia, Redundantia, Indeclinabilia.*

I. DEFICIENTIA.

¶ *Deficientia sunt, quæ alterutro numero, aut certis tantùm casibus deficiunt.*

NV-

NVMERO DEFICIENTIA.

† Singularia tantùm, seu plurali numero deficientia, aut saltem rariùs pluralia, apud Poëtas potissimùm in plurali obvia, sunt:

I. Metallorum nomina, ut *aurum, argentum æs, orichalcum, ferrum, plumbum, stannum*: Item Mineralia: ut *sal, sulphur, nitrum*.

[*Invenias tamen* æra, electra, orichalca *apud Poëtas. Nota. Non abs re rarò* pluralia *addimus, non enim accipienda sunt, quasi absq; discrimine prorsus omnia, vel tantùm singularia, vel tantum sint pluralia, sed quòd frequentiùs.*]

† II. Pleraque, quæ semina, vel alia terrâ nascentia significant, velut frumenta; ut: *far, ador, hordeum, triticum, avena*, Legumina; ut *Ervum, cicer, oryza, pisum, milium*, Herbas; ut *ruta, salvia, crocus, hyssopus*. Herbarum fructus; ut, *crocum, piper, macis*, & reliqua aromata; item *anisum; anethum, &c. Pisa, fabas, lupinos, balsama, cinama, lentes, &c.* usus admittit.

[*Poëta etiam hordea, farra, avenas dicunt. Cave autem, hic flores & arborum fructus intelligas.*]

† Liquidorum nomina, aliarumque rerum, quæ vel ad mensuram, vel ad pensum pertinent: ut: *oleum, lac, butyrum, nectar, mulsum, garum, acetum, viscum, resina, pix, nitrum, piper, vinum, mel* & similia.

[*At Poëta* vina, mella, musta, defruta, *non respuunt*; olea *etiā Medici admittūt. Sic* pices & ceras *Virg. 3. Georg. dixit.*]

† IV. Quæ unius rei propria ac sola sunt; ut *Orcus, Rhenus, Corinthus, Socrates.*

[*Huc pertinet disputatio de propriis, an careant plurali numero, de quo suprà c. 3. & 4.*]

† V,

† V. Virtutum & vitiorum nomina: ut *amicitia, eloquentia, pax, veritas, pietas justitia.*

[*Quanquam multa pluraliter etiam leguntur, amicitia, inimicitia, injuria, ira, charitates.*]

¶ *VI. Præterea hæc peculiaria, versibus comprehensa: in quibus, veluti & sequentibus, sciendum multa sub diversa significatione utroque numero integrè declinari.*

[*Multa etiam regulariter integra inveniri: quæ diverso charactere cursivo, ut vocant, notata sunt.*]

Masculina singularia tantùm.

Aër sol, mundus, cum vespere, pontus & æther,
Sanguis, *ros* nemo, viscus, cum *carcere pulvis*.
Et sopor & cestus, limus, fimus & penus adde.

[*Aëres & aëribus dixerunt Vitruvius & Lucret. Soles pro æstu & diebus, usitatum est. Item quando plures esse videtur. Mundos ex sententiâ Democriti usurpat Cicero: Rores Virg. & Horat. Colum. & Plin. roribus. Carceres pro septis usitatiũ est: Grammatici quidam addunt etiã Almus, sed almas Musas, Horat. almas vites, Virg. dixit usitato more & regulariter, ut mirum sit, inter anomala esse recensitum: ideò è versiculos expunximus. Pulveres dixit Horat.*]

¶ *Fœminina singularia tantùm.*

Vita, salus, *soboles*, proles, *mors*, *gloria*, tellus,
Lux, fuga, fama, lues, pubes, humus, atq; juventus.
Paupertas, plebs, gaza, fames, *contagio labes*.
Talio, cum *tussi*, cumque indole, *culpa*, senectus,
Et bilis, *pestis*, tabes, sitis atque *supellex*.
Hinc bona pars quintæ, ut rabies, requiesque, fidesque.

Vitas est apud Terent. & Virg. Mortes Cic. & Iustin. Gloriæ, Cicer. gloriarum, glorias, Gell. Luces & lucibus Ovid. & Gell. pro diebus. Contagiones, Cic. Tusses Terent. Culpæ, Cic. quas Labes Cic. Soboles, Colum. Pestes Metaphoricè, id est pestiferi homines & exitiales. Supellex in plurali habet supellectilia,

ctilia, ab antiquo singulari supellectile. De 5. declinatione vide suprà.] p. 123.

¶ *Neutra singularia tantùm.*

Ver, pelagus, senium, solium, nihilumq; *pedumq;*,
Lethum, iustitium, fel, cœnum, *vulgus*, & *ævum*,
Et jubar ac halec, & *vitrum*, fascinum & album,
Adde gelu, atque *salum*, *penus*, atque lutum, atque macellum.
Gluten, ebur, viscum, fœnumque, & manna, barathrum.
Quæq; carent casu: Virus, pus, fasque, nefasque.

[*Peda Frischl. censet commode dici posse. Vulgi apud Cic. pluraliter exstat. Ævus Ovid. dixit. Vitra Poëtæ passim Sala Virg. Penora, Colum. Pascha & Aldus & Verepæus addunt. Sed cur non dicere possim Paschata? Vide Chronologos.*]

† Pluralia tantùm, aut rarò singularia, sunt:

I. Numeralia, cardinalia & distributiva: ut, *duo, tres, quatuor, viginti, singuli, bini, terni, &c.* Excipe *unus, a, um*, quod singulare est, pluraliter tamen substantivis pluralibus tantùm, adjungitur; ut *una literæ*. Reperias etiam *singulus, singula, singulum.*

[*Quæ sint cardinalia & distributiva, vide infrà cap.14. in append. Poëtæ singularem numerum in distributivis frequenter usurpant. Singulum, Plaut & Varro dixêre.*]

† II. Nomina ludorum & festorum; ut: *Isthmia, Pythia, Quinquatria, Bacchanalia, Martinalia, Regalia, Circenses.*

¶ III. *Præterea hæc nomina, versibus inclusa, rarò singularia sunt*: [nempe in eadem significatione.]

¶ *Masculina pluralia tantùm.*

Liberi, & *annales*, *natales* atque penates,


Cancel-

Cancelli, cani, fasti, superi, inferi, & *artus*,
Manes & lemures, cum *cælitibus*, primores,
Et cum carceribus, *gemini*, *proceresq;*, *laresq;*,
Et pugillares, *fasces*, *vepresq;*, *salesq;*,
Et triplices, casses, antesq;, foriq;, lociq;,
Posteri, item loculi, maiores atque minores,
Et propria, ut Gabii, Locri, Veji, atque Philippi.
Et Ramnes, Luceres, Tatienses; codi-que-cilli.

[Not. *Quamvis pleraq; singularem numerum vel adiectivè, vel sub alia significatione obtinent, tamen ea tantùm diverso charactere notata sunt, quæ in eâdem significatione substantivè in singulari leguntur: ut Annale, Cicer. annals, Gell. natale, Lucanus. Artus, idem. Cælite, Ovi. Procerem Iuvenal. & Apuleius, lar & geminus, Plaut. Fasce, Virg. Vepre, Ovid. Salem Terent. & Cicero.*]

¶ *Fœminina pluralia tantùm.*

Antiæ, & *ambages*, *ades*, arguriæ, & *Alpes*,
Blanditia, *biga*, tricæ, clitellæ, apinæq;,
Copia & excubiæ, grates, diræque, *genæq;*,
Et cum *compedibus* *Ceremonia*, itemq; *salebra*,
Divitiæ, *sordes*, *inimicitia*, insidiæque,
Cratesq;, grossiq; *facetia*, *opesq;*, *foresq;*,
Feriæ, & exequiæ, *fauces*, *valvaq;* minæque,
Litera, & *illecebra*, lactes, nugæ, atq; tenebræ.
Exuviæ, scopæq; manubiæ *quisquiliaq;*,
Nundinæ, & idus, fortunæ, nonæ atque calendæ,
Nuptiæ, & inferiæ, cunæ, thermæ atque secundæ,
Vires, suppetiæq; vigiliæ, primitiæq;,
Relliquia, *phalera*, *palea*, antę, præstigiæque,
Sortesque, *scalaq;*, *offutia*, & oppida Thebæ,
Et Cumæ, & similes, quarū pars maxima Græca est.
Et gerræ, decimæ, primæque induciæ, *habena*,
Virgiliæ, trigæ, quadrigæ, vindiciæque.
Aureæ, itemq; plagæ, Parcæ, ăcĭdŭlæque,
salinæ,



Branchiæ,item cantes, & Grātĭæ,fĭdĭcŭlæq;.

[*Ambage Plin.dixit. Ædes, quamvis in sing. templum ordinariè significet, tamen æde (ablativo) Cicero & Plautus pro domo etiam usurpant, Alpem apud Poëtas: Blanditia, ceremonia, inimicitia, salebra, palea, vigilia, illecebra, sordem, apud Ciceronem exstant: Palea etiam apud Virg. & vigilia apud Cæsarem. Biga & quadriga apud Suetonium & Plinium. Foris nominat. Terent. forem Ovid. Accusativo: fore Horat. Ablativo dixit. Litera apud Poëtas pro Epistola. Compes apud Poëtas. Copia itidem pro exercitu, Virg. & Pomp. in Epist. Cic. & ad Attic. Facetia, Gellius. Relliquia & relliquia genitivo Plaut. & Gellius phalera, Plin. Quisquilia, Nævius apud Fest. Ope pro divitiis Cic. Offucia, Plaut. Cratem etiam, faucem, valvam, Frischlinus Strig. tract. 1. cap. 1. dicit usurpari. Et scalam Poëta singulariter dicunt, & JCtus Cajus. Habenam Virg. Genam, Plinius. Cantes sunt fistulæ in Organo Musico, autore Sulpit.*]

¶ *Neutra pluralia tantùm.*

Ilia cum rostris, bellaria, *pascua*, & arma,
Exta, pārentālĭă, sponsalia, munia, justa,
Mœnia cum flabris, æstiva, crepundia, *castra*,
Et vinacea, compita & incunabula, Tempe,
Et juga cum lustris, hyberna, repotia, tesqua,
Hinc præcordia cum *genitalibus* atq; stativis,
Atq; mapalia cum *Palearibus*, atque Cytheris,
Et propriis aliis, velut Orgia, Gargara, Susa.
Librorum tituli, Dialectica, & Ethica, itemque
Biblia cum natalitiis, multitia, deinde
Adde cibaria, item subsellia, cum Paraphernis.
Lautia, præbenda, & nutricia, præbia, scruta,
Et cum comitiis, rapacia, licia, cete,
Postremò adversaria cum magalibus adde.

[*Pascuum Colum. dixit & Varro: Paleare Seneca. Castrum Virg. & alii usitatè pro arce. Ile Plin. & genitale.*]

CASI-

CASIBUS DEFICIENTIA.

† Sunt quintuplicia: Monoptota, diptota, triptota, tetraptota, pentaptota.

† Monoptota sunt, quæ vno tantùm casu usurpantur: [ἀ μόνος, & πτώσις,] ut: Ablativi singulares, *noctu, diu, natu, promptu, injussu, impete. Inficias* accusativus pluralis: Speciatim ἄπτωτα propriè vocantur, quæ tantùm nominativum habent; ut *satias*, id est, *satietas*.

[*Sic antiquius ablativus Inconsultu, ut, inconsultu meo, Plaut.*]

† Diptota, quæ duobus casibus usurpantur, terminatione diversis; Vel in singulari, ut: *fors, forte: spontis, sponte: tantídem, tantundem: plus; pluris: verberis, verbere.*

[*Pluraliter verò integrè plura vel pluria, verbera. Veteres tamen ablativo plure & pluri, usi sunt: Et composito, tantusdem, tántadem, tantundem.*]

† Vel in plurali: *Suppetiæ, as: repetundarum, undis*: Vel vtroq;: ut, *macte, macti*: quod tamen à multis & ipsum integrè usurpatur.

[*Si accuratè loqui velimus, diptota dicenda erunt, quæ duobus casibus usurpantur, sive diversa terminatione sive minùs, Vide Scal. cap. 84. l.l. Maluimus tamen hic retinere usitatos Grammaticorum terminos, sicut & in Triptotis, Tetraptotis, &c.*]

† Triptota sunt, quæ tribus casibus variata leguntur: ut: *situs, situm, situ: vis, vim, vi.*

[*Est tamen vis genitivus apud JCtos in usu, & Verepaus prorsus perfectum esse censet. Annumerant vulgò* & lues, luem; lue, astus, um, u: *Sed Frischlinus plures casus ex authoribus ostendit.*]

† Tetraptota, quæ quatuor casibus diversis usurpantur: ut *daps, dapis, dapem, dape.*

[Daps *nominativus est apud Catonẽ*: precis, preci, precem, prece: preci *Dativus est apud Terent.* Frugis, frugi, frugem, fruge: frux *est apud Varronẽ & Vitruvium*: opis, opi, opem, ope. *Hæc in plurali veniunt integrè: ut*: dapes, preces, fruges, opes. *Verepæus inter triptota sing. recenset.*]

† Pentaptota sunt, quæ quinque casibus usurpantur, seu quæ vocativo tantùm carent: ut, *interrogativa & relativa.*

[*His addere solent* univer alia, particularia, infinita, & pronomina, (*præter* tu, meus, noster, nostrâs:) *Quæ tamẽ usus docet vocativo non destitui: ut*: Quilibet huc dixit, confuge, tutus eris. *Ovid.* Diique deæque omnes. *Plura vide c.15.*]

II. VARIANTIA.

¶ VARIANTIA *anomala appellantur, quæ genus, declinationem, aut utrumq; simul, variant.*

GENUS.

† Masculina in plurali neutra: *Tartarus, Avernus. Et montes: Mænalus, Ismarus, Massicus, Dindymus, Gargánus, Taygetus, Pangæus, Tænarus.* Quatuor utrumque genus in plurali admittunt: *Locus jocus, sibilus, cetus,* pluraliter, loci & loca, joci & joca, sibili & sibila, ceti, & cete.

[*Suppara, balthei, jussa, eventa. pilea, sunt regularia à Nominativis abundantibus. Infernus etiam, inferna facit.*]

† Fœminina in plurali neutra: *Carbasus, Pergamus.*

[*Pergamus urbs Phrygiæ, arx Trojana. Pergamum autem est civitas Asiæ, Galeni patria.* Intyba, supellectilia, zizania, amygdala. *sunt regularia ex Nominativis abundantibus, seu diversis.*]

† Neutra

† Neutra in pluralia Masculina, hoc versu inclusa, *Cœlum, Argos, frænum, porrum, rastrum, atque capistrum.*

[*Invenies tamen frena apud Ovid. & Virg. Rastra apud Cels. Porra apud Virg. moret. Capistrum Verepæus prorsus regulare censet. Cœli autem & porri fortè sunt ab antiquis Nominativis cœlus apud Enn. & Varron. Porrus apud Cels. & Plin. At cælum per Æ pro scalpro, in plur. regulariter facit cæla. Raster nominat. sing. est apud Phocam.*]

DECLINATIONEM.

† Primæ & tertiæ: Orestes, æ, & is: Orontes, æ & is: Plaltes, æ & is, &c.

† Secundæ & tertiæ: Vas, vasis: *plural.* Vasa, vasorum, vasis, vasa. Jugerum, jugeri: *plural.* jugera, jugerum, jugeribus.

[*Ab antiquis Nominativis, Vasum (apud Catonem, Lucret. Gell.) & iuger, unde Ablativo jugere apud Plin. & Tibull. jugeris Genitiv sing. apud Melam. Et in plurali Dativo jugeris apud Varron.*]

† Et à πȣ̃ς quædam composita, Oedipus, Oedipi & Oedipodis: Polypus, pi, & podis. Huc pertinent festorum nomina, quæ duplicem Genitivum habent, ut Saturnalia, liorum & lium: Sponsalia, liorum & lium.

[*De quibus supra pag. 98 Solus autem Genitivus ita variatur, non item Dativus vel Ablativus, ut è Macrob. & Verepæo videre est. Ut hinc pateat, non dicendum esse, sponsaliis, Saturnaliis, Bacchanaliis, &c.*]

† Secundæ & quartæ: arborum nomina: *Laurus, quercus, cornus, pinus, ficus*: Item *colus*, & *domus*, secundo & quarto ordine declinantur.

[*In quibus observandum, quos casus frequentior usus magis ap-*

gis approbet: ut colus hujus coli & colus, ab hac colo & colu. Laurus, hujus lauri & laurus, ab hac lauro & lauru, has lauros & laurus Cæteri casus sunt secundæ declinationis, Quercus, hujus querci & quercus, harum quercorum & quercuum. Cæteri casus sunt quartæ declinationis: Verep. Lauri plurale apud Virg. Pinos loquentes, Virg. Actas pinus, id. Pinu sacra, idem Quercu adversa, Virg. Quercorum, Cic. citante Prisc. Ex corno; Seren. Cornu Achiva, Stat. Colo tolerare vitam, Virg. cum tua colu, Cic. Lydo colo. Ablat. Propert. Sic & Laci (Senec.) à lacus: Arci (Lucret. & Cicer.) ab arcus: Acos (Martial.) ab acus Fasti & fastus, plural. tantùm, pro annalibus. Fastibus, Lucan. Fastus, accusat. plural. Varro. Sed fastus singulare superbiam significat. Verùm ex his quædam videntur resipere archaismum, de quo suprà pag 91. De Ficus suprà pag. 110. 20. aliquid diximus. Comprehendemus rem totam duobus versiculis:]

*Hic ficus, fici, malus est in corpore morbus.
Hæc ficus, fici vel ficûs, fructus & arbor.

[Nam pro fructu & arbore Testimonia, quæ masculino genere ex Varrone & Plin. à nonnullis afferuntur, hodiè in codicibus aliter leguntur. Affertur & Macrobius pro masculino genere. Sed & ille locus in hodiernis codicibus contrarium ostendit. Vnus locus restat ex Lucil. qui & ipse variè legitur: Vt cum primitiis ficos propola recentes: Vel: sicuti cùm primos ficos propala recentes protulit, precio ingenti dat primitùs primos. Scal. ita habet: sicuti cùm ficus primus propola recentes Attulit & precio ingenti dat primitùs paucos. Quicquid sit, præstat uti genere fœminino in posteriori significatione (sc. pro fructu & arbore.) quæ etiam sententia Verepæi est. Ficus verò in quarta declinatione pro arbore, Cic. de Orat usurpavit.]

† Domus autem non pariter recipit omnes casus utriusq; declinationis, Decliuatur sic: *Domus. domus.* [*domi* enim locale est:] *domui, domum, domus, domo,* Plural. *Domus, domorum, & domuum, domibus, domos & domus, domus, domibus.*

Hinc

[Hinc versus: *Tolle me, mi, mu, mis, si declinare domus vis*; id est, nullos casus in *me, mi, mu,* & *mis* termines. *Domo tamen in Dativo casu Horat. usus est lib. 1. Epist. 10. & Domu Ablativo Plaut. Trinummo, & Milite, itemq; Livius, teste Popma lib. 1 c. 9 antiq. loc.*]

† Huc referri possunt variantia casus in eadem declinatione; ut: *Chremes, Chremis, & Chremetis, &c. Laches, Lachis & Lachetis, Dares, Daretis, Dareti, Daretem & Daren.*

¶ Penus & specus *trium declinationum & generum sunt. Hic & hæc penus, hujus peni & penus: vel hoc penus, penoris: vel hoc penum peni: vel hoc penu. Vsitatius tamen est in quarta. Hic & hæc specus, huius specus & speci: vel hoc specus, specoris: vel hoc specu. Vsitatius tamen est in declin. quarta & quidem genere masculino.*

UTRUMQUE SIMUL GENUS ET DECLINATIONEM VARIANTIA

† *Epulum, delicium, exuvium* : in plural. *epulæ, deliciæ, exuviæ: Balneum*, pluraliter *balnea & balneæ.*

[*Deliciæ tamen regulare videri possit à delicia, quo Plaut. in Truc. utitur, & Plin. Solin. Zizania æ, & zizanium, ii. dicitur regulariter: Pluraliter zizania, orum.*]

† Nomina Artium in sing. fœminina declin. 1. in plurali neutra sunt secundæ: ut: *Rhetorica, cæ, & Rhetorica, orum. Sic Grammatica, Physica, Ethica, &c.*

[*Nota. Significatio etiam sæpè Genus variat, sæpè Genus & Declinationem simul, ut, Hæc tuber, pro arbore: Hic tuber, pro fructu: Hoc tuber, pro tumore. Hic palus, pali, pro trunco: hæc palus, paludis, pro aqua non fluente seu lacu. Hic actus,*

actus, masc. quarta. pro distinctis & completis actionibus. Hæc acta, actorum, neutr plurale, pro rebus gestis indistinctè. Hic tribulus, tribuli, pro carduo: hæc tribula, tribulæ, vel hoc tribulum, li, pro instrumento rustico. Quò etiam pertinent versiculi: Lens, lentis, vermem, Lens, lentis, dico legumē, Et in facie frontem, sed in arbore quærito frondem. Sed talia non sunt hujus loci. Hîc enim de iis agitur, quæ una significatione genus, vel declinationem, vel utrumq; simul, variant.]

† Huc pertinent Verbalia nonnulla in Trix, quæ interdum adjectivi naturam induunt, & tùm geminum Pluralem de se formant, vnum regulariter in ES fœmininum, alterum Poëticè in A, ut, *Victrix, victrices, & victricia. Vltrix, ultrices, & ultricia.*

[*Victricia arma, Virg. Sed in Masculino genere non usurpantur. Non enim dicitur, ramo victrice, sed (per appositionem) ramo victore. Nec in Neutro singulari Numero, sed tantùm in plurali.*]

III. ABVNDANTIA.

¶ *Abundantia sunt, quæ plures & diversas Nominativi habent terminationes (sub eadem scilicet significatione.)*

[*Sunt ex his multa propriè species heteroclitorum, genus simul & declinationem variantium. A superioribus tamen perspicuitatis causâ sejunguntur. Nam illic potissimùm considerantur, quæ ex una declinatione, & genere in alterum transeunt. Hic verò quæ pro diversa Nominativi terminatione integrè, in suo quodq; genere & declinatione, flectuntur. Exhibebimus eorum qualemcunq; Catalogum, quamvis ad Lexicographum potiùs, quàm Grammaticum spectare videantur.*

Primæ A & Es, *Cometa, Planeta, Ecclesiasta, Israelita, Ninivita, Spartiata, Anchisa.*

A & E primæ, *Epitome, syncopa, Musica, Grammatica, &c.*

A &

A & Es primæ & quintæ: *duritia, materia; maceria, mollitia, munditia, nequitia pigritia, segnitia.*

A & Um primæ & secundæ: *buccina, ganea, margarita menda, mulctra postica, rapa, stragula, zizania, pisa, sutrina, alimenia, symbola, amygdala, tribula.*

Us & Um secundæ, *Acinus, baculus, antidotus, balteus, buxus, chirographus, crocus, commentarius, papyrus, pileus, punctus, supparus, tignus, viscus, helleborus, nardus, taxus, hyssopus, culeus, intybus, &c.*

Us & Um secundæ & quartæ, *Effectus, eventus, angiportus, jussus, sensus.*

Us & O secundæ & tertiæ, *capus, lanius, ludius, scorpius, carpius, gobius, pavus.*

Us & O quintæ & tertiæ, *multa verbalia, ut, Accubitus, abusus, concessus, discessus, permissus, tactus, conjectus, consensus, &c.*

As & Udo tertiæ, *Necessitas, claritas, sanctitas, celeritas.*

As & Um tertiæ & secundæ, *infortunium & infortunitas, Gell.*

Us & Or secundæ & tertiæ, *sonus & sonor.*

Os & On Græca, *Ilios & Ilion & Ilium, Abydos & Abydon.*

O & Um tertiæ & secundæ, *Consortium, & apud Cic. Livium, Vellej. Papinian consortio.*

Es, O, & Um quintæ, tertiæ & secundæ, *Alluvies, colluvies, diluvies, contages.*

Sunt & alia, ut, *Præsepe & præsepium, & præsepes, vel præsepis, vel præsepia, æ. Gausape neutr. & gausapa, pæ. Hic cetus ceti, & hæc cete plural. Hæc cepa, pæ, & hoc cepe. Trabs vel trabes, Tonitrus vel tonitru. Vomis vel vomer. Stater vel statera, Panther vel panthera, Vesper vel vespera. Delphin vel Delphinus, Elephas vel Elephantus, Baptisma vel baptismus Abax vel Abacus. Occiput vel occipitium, Hebdomas vel hebdomada, Tapes vel tapetum vel tapetium, Cavilla vel cavillus (aut ut alii cavillum) vel cavillatio, Testa, testum & testis*

& testu. Et alia plurima apud Non. Marcellum, Auson. Papmam, Despauterium, Verepaum, ubi discretio tamen adhibenda, quæ usus frequentiora reddiderit. Optimè enim *Phaverinus apud Gell. admonet, loquendum esse verbis præsentibus, non autem cum matre Evandri.*]

IV. INDECLINABILIA.

¶*Indeclinabilia, ἄκλιτα sunt, quæ una terminatione in omnibus casibus usurpantur, ut sunt:*

1. Substantiva, *gith, frit, ir, gummi, sinapi, cepe, gausape, præsepe, instar, pondo, Sophos: Et cete, Tempe pluralia.*

2. Adjectiva, *nequam, tot, quot, totidē, aliquot, quotquot, quotcunq; Opus (adjectivè sumptum.)*

3. Voces τεχνικῶς & materialiter sumptæ, *ut Alpha beta. A, B, C, &c. dictio Fagus, Limus, Barbara. Celarent, &c.*

4. Numeralia à Quatuor ad Centum, (*inclusivè*) *& Mille adjectivum.*

5. Peregrina ut plurimùm, nisi assumant terminationem Latinam, *ut Ioseph, Iudith, Iacob, Hierusalem.*

[*Adjiciunt Grammatici &* Fas, Nefas, Necessum, & necesse, Nil. *Sed Meliùs hæc ad Triptota referri videntur, ut Nominativo, Accusativo & Vocativo tantùm dici intelligantur. Vix enim Genitivo, Dativo, aut Ablativo reperies. Addunt &* Virus. *Sed apud Lucret. legitur & Genitivus viri. & Dativus viro. Tempe Græcum nihil prohibet Græcis casibus inflecti, ut horum Tempon, his Tempesi. Interpres Æliani lib. 3. cap. 1. usus est Dativo Tempibus. Adjectivis indeclinabilibus etiam accensent,* nauci, frugi, mancipi, nihili, ejusmodi, hujusmodi, cujusmodi, *qui obliqui veriùs sunt, quàm Adjectiva. De* præsto, opus, mane, *dubitari adhuc potest, an ad indeclinabilia nomina debeant referri. Ab*

instar

instar *Probus Grammaticus facit Genitivum instaris. Nonnulli ad indeclinabilia referunt etiam adjectivum antiquum* Damnâs *pro damnatus.*]

CAPVT XVI.

DE NOMINIS SPECIE ET *Figura.*

*Ex specie, Nominum alia sunt primitiva;ut *equus,aper:*alia Derivativa,ut *equuleus,aprugnus.*


¶ *Derivativorum alia Patronymica, alia Possessiva, alia Diminutiva, alia Denominativa, alia Verbalia appellantur.*

[*Potest & sic instituidistributio,Derivata vel sunt Denominativa, Verbalia, Participialia, Adverbialia. Vt denominativa intelligantur derivata à nomine: Et quidē vel à Substantivis & Adjectivis promiscuè,ut Diminutiva:Vel à Substantivis solùm,ut Possessiva:in specie verò à propriis tantùm, ut Patronymica, Patria, & Gentilia. Quæ methodus utpote concinnior,& facilior,si cui magis arriserit, non repugnamus. Vsitatam Philippi nos retinemus. De his autem Nominum speciebus latissimè Scaliger ca. 95.l.l. & seqq.disputat, & in singularum terminationum significationem ac proprietatem inquirit, quæ apud ipsummet legantur. Nos brevitati studemus.Vide & Prisc.l.3.*]

I. PATRONYMICA.

¶ *Patronymica sunt, quæ originem significant, & utplurimùm à nominibus parentum, unde etiam nomen habent,deducuntur, id est, quæ significant filios vel nepotes,filias vel neptes primitivi:ut* Priamides à Priamo.[*Et sunt pleraq; Græca.*]

† Impro-



† Impropriè autem etiam aliunde derivantur: ut *Ilias, ab Ilio.*

† Terminationes ſunt DES, AS, IS, NE, ut *Priamides, Theſtias, Nereis, Nerine:* ex quibus *Des* maſculinorum eſt: Cæteræ fœmininorum omnes, ita quidem, ut *Des* & *Ne* ſint primæ declinationis, *As* & *Is* tertiæ.

† Formatio. Patronymica in DES formantur à primo caſu primitivi exeunte in I, ut *Priamus, i, iamides: Theſtor, is, i, ides.* Sed à primitivis in As & Es primæ declinatiouis *as* mutatur in *ades, es,* in *iades*: ut *Æneas, ades: Anchiſes, Anchiſiades.* A primitivis in ius eodem modo in Iades, ab Eu in Ides: ut *Menetius, iades: Peleus, Pelides.*

[*Græcè per Diphthongum Peleides. Peliades autem fit per epenthesin Poëticam.*]

† Patronymica in As & Is pleraque fiunt ex maſculinis in Des, abjecta De ſyllaba; ut: *Iliades, Ilias: Dardanides, Dardanis.*

[*Quorum maſculina à propriis in* Eus *veniunt, diſſolvunt* ei *diphthongum, & e producunt, ut Nereus, Nerides, vel Nereides, Nereis: ſic Theſeis. Thebais autem, Perſis, Libyſtis, Chryſeis, Æneis, Briſeis, Achilleis, à Theba, Perſa Libya, Chryſes, Æneas, Briſes, Achilles; anomala ſunt, & uſu obſervanda Ptolomais eſt à Ptolomæus.*]

† Patronymica in Ne fiunt ex Genitivo ſingulari, addita ſyllaba Ne, ut *Adraſti, Adraſtine:* & Ei, ſi adſit, in I contracto: ut *Nerei, Nerine:* Sed ab Ius, Us mutatur in One; ut *Acriſius, Acriſione.*

II. POS-

II. POSSESSIVA, PATRIA ET GENTILIA.

¶ *Possessiva sunt, quæ possessionem aut proprietatem significant : ut* Evandrius ab Evandro, *Sub his Patria & Gentilia continentur , ut* Romanus, Italus.


[*Terminationes ferè sunt hæ* : Icus, ut *rusticus*, *Gallicus*, Anus, ut *Romanus* : Inus, *Alexandrinus* : Ivus, *Argivus*: Eus, *Achilleus* : Eus, *Cæsáreus* : Itius. *Natalitius*. Ensis, *Parmensis*, *forensis*. As, *Arpinás* [*per concisionem dicta pro atis*] Ns & Rs antiqua, *Laurens*, *Tyburs*. Ta, *Spartiata*, *Sybarita*: Ius præcedente consonâ primitivi, *Ægyptius*, *prætorius*, *regius* : O, *Teuto*, *Macedo*, *Burgundio* : X, ut: *Thrax*, *Phryx*, Lis, *herilis*, &c. *Plura vide in denominativis*.]

III. DIMINUTIVA.

¶ *Diminutiva sunt, quæ diminutionem sui primitivi significant, ut* catellus à canis.

† Adhibentur etiam blandiendi gratiâ, aut festivitatis causâ, aut etiam modestiæ, aut contemptûs.

[*Terminationes horum sunt*: Olus, a, um, *Vrceolus*, &c. Ulus, a, um, *regulus*, &c. Culus, a, um, *igniculus*, &c. Ellus, a, um, *agellus*, Illus, a, um, *lapillus*, *in quibus sæpè consona primitivi in X mutatur*, *ut*, velum, vexillum. Unculus, a, *terminationis* O : ut homo, unculus : Uleus, *aculeus*. Aster, *Calvaster*. Cio, *homuncio*. *In* Aster *imitativa à nonnullis appellantur*, *ut* Philosophaster, Poëtaster, surdaster, *quos refellit Scalig. capit. 95. lib. Possunt autem ab uno primitivo multa diminutiva formari, usque ad 3. & 4. etiam gradum*; ut parùm, paulum, paululum, pauxillulum. Puer, puerulus, puellus, puellulus. *Notari etiam potest, diminutivum non semper cum primitivo in Genere conve-*



convenire, ut rana, ranunculus: canis, canicula: acus, aculeus: ſcutum, ſcutella: Majus, majuſculus; *& ſimiles comparativi.*]

IV. DENOMINATIVA.

¶ *Denominativa dicuntur, quæcunque ab altero denominationem habent: ut* ferreus à ferro: *id eſt, quæ à nominibus derivantur, nec tamen ad ſuperiores claſſes pertinent.*

[*Terminationes ſubſtantivorum ſunt:* Al, *ut Cervical.* Ar, *Lacunar.* Abulum, *acetabulum.* Ibulum, *veſtibulum.* Edo, *dulcedo;* Udo, *teſtudo:* Etum, *dumetum:* Ago, *farrago.* Ugo, *ferrugo.* Ia *præcedente primitivi conſona, ſuperbia.* Monia, *ſanctimonia* Itia, *juſtitia.* Monium, *matrimonium.* Ela *clientela* Ile, *ovile.* Ina, Æna, Ona, Una, *officina, leæna, caupona, lacuna.* O *cum conſona primitivi, capito;* Are, *luminare.* Rium, *pomarium.* Etas, Itas, *ſatietas, probitas.*

Adjectivorum Aris, *familiaris.* Ber, *ſaluber,* Eus, Aceus, *ferreus, chartaceus,* Icus, *hoſticus.* Idus, *herbidus,* Lentus, *violentus,* Alis, Elis, Ilis, Ulis, *fluvialis, fidelis, ſenilis, tribulis.* Nus, *quernus,* Orus, *odorus,* Oſus, *vinoſus.* Ster, *campeſter,* Stis, *cæleſtis.* Eſtus, Uſtus, *honeſtus, vetuſtus,* Itimus, *legitimus,* Atus, Itus, Utus, *cordatus, avitus, naſutus,* Uus, *annuus.* Ivus, *furtivus. His adde numeralia, ordinalia, multiplicativa & diſtributiva. Ex illis quædam dicuntur materialia, ut terminata in* Eus, Aceus, Nus; *quædam comprehenſiva & localia,* περιεκτικά, *ut terminata in* Rium, Etum, *& multa in* Ina. *Quædam abundantia quæ ſignificant copiam, ut* Oſus, Lentus, *& verbalia in* Bundus.]

V. VERBALIA.

¶ *Verbalia dicuntur, quæ à verbis aut eorum participiis ſive ſupinis deducuntur: ut:* lectio à lectu.

[*Subſtantivorum terminationes ſunt:* A *cum conſona præ-*

ſentis

fintistus, *scriba*; Ar.*calcar*, Bulum, *pabulum*, Culum, *oraculum*, Cen, *tibicen*, Ido, Igo, *libido*, *vertigo*, Io, *cum consonâ præsentis vel supini*, *legio*, *flexio*, *actio*, Il, Ul, *vigil*, *consul*. Ela, *querela*, Ile, *cubile*, Men, *flumen*, Mentum, *testamentum*, Monia, *querimonia*, Na, *lucerna*, O, Or. *cum præsentis consona*, *bibo*, *amor*, *vel supini*, *ut tonsor*, *victor*, Tium, *solatium*, Trix, *victrix*, Um *cum consona præsentis vel supini*, *regnum*, *sensum*, Us *cum consona supini*, *visus*.

Adjectivorum terminationes sunt: Ax *cum præsentis consona*, *loquax*; Abilis, Ebilis, Ibilis, Obilis, Ubulis, *amabilis*, *flebilis*, *visibilis*, *mobilis*, *volubilis*. Bundus, *moribundus*, Cundus, *verecundus*, Idus, *vividus*, Er *cum consonante præsentis*, *ruber*, Ilis, *cum consonante præsentis vel supini*, *utilis*, *docilis*, *flexilis*, Ulus, *cum consonante præsentis*, *bibulus*, Itius, *suppositititius*, Ivus, *sativus*. *Ex his frequentiores sunt*. Io, Us, Or, Ar, Bilis, Ilis, *Duæ hæ Bilis*, & *Ilis*, & *passivè* & *interdum activè significant*, *Activè rariùs*, *ut Penetrabile*, *frigus*; *sol genitabilis*, *homo futilis*, &c. *Non itaque rectè Boëthium reprehenderunt*, *quòd risibile dicit pro risivo*, *cùm similia exempla extent*. *Vide Scal.c.98. de c.l.L.* & *Ioseph.Scal. in Auson.*

¶ *His addenda sunt* 1. Participialia, *quæ ex participiis in nomina degenerarunt* : *ut* ſapiens, doctus, ſcitus, reverendus: 2. Adverbialia *ab Adverbiis orta*: *ut ab hodie*, hodiernus : *à cras*, craſtinus. 3. *Item è* Præpoſitionibus *orta*: *ut* contrarius, propinquus.

[*Monet autem Scaliger*, *Nomina primitiva esse non tantùm ratione alterius Nominis*, *sed* & *aliarum partium orationis*, *ut à Sylla*, *syllaturis*: *à Doctus*, *docti*, *à verus*, *verùm*, *à circus*, *circum*, &c.]

* Figura Nominum eſt ſimplex, ut *maturus*, vel compoſita, ut *præmaturus*.

[*Componitur Nomen 1. vel cum Nomine*, *ut*, *magnani-*

mus

mus 1. vel cum Pronomine, ut hujusmodi. 3. vel cum Participio, ut senatusconsultū. 4. vel cum Verbo, ut fidejubeo, manumitto. 5. vel cum Adverbio, ut sempiternus. 6. vel cum præpositione, ut Pomeridianus, suburbium, 7. vel cum Conjunctione, ut siquis, uterq;. 8. vel cum Interjectione, ut Vejovis. Quærit Scalig. cap. 87 l.l. Cùm nomen sit nota rei, an nomen compositum sit nota rei compositæ? Et respondet, in compositione verâ Nomen compositum res duas conjunctas tanquam unum significare, ut magnitudo & animus: magnanimus: In compositione non-verâ (secundùm quid) significari compositionem habitus & privationis, quæ in re non sunt: intellectus autem eas non potest apprehendere, nisi aliquo componat modo, ut indoctus, De Declinatione compositorum, suprà pag. 99 dictum est.]

APPENDIX DE NOMINVM DISTINCTIONIBVS ALIIS.

Grammatici prætereà nomina quædam vocant Collectiva & Distributiva: Absoluta & respectiva. Interrogativa & redditiva: Synonyma & homonyma: Ambigua: Nova & fictitia: Numeralia. De his vide Scal c. 93. l.l.

1. Collectiva, quæ numero singulari significant multitudinem, ut, turba, populus, gens, plebs, pars: Partitiva, seu distributiva, quæ significant vel multa sigillatim; ut Universalia, omnis, quisque, nemo, nullus, vel unum è multis, ut particularia, aliquis, quidam, ullus, alter, alius, quæ etiam infinita vocantur.

2. Absoluta, quæ per se intelliguntur; ut homo. Respectiva, quæ ad aliud referuntur; ut pater, filius, amicus, vicinus.

3. Interrogativa, quæ vel de substantiâ quærunt; ut quis, vel de accidente, ut qualis, quantus, quot, quotus, cujusmodi, quotuplex, & quotuplus, quoteni, quotennis, quæ etiam Relativa sunt alicubi, eaq; vel substantiæ, vel accidentis; quando nempè ad præcedentia referuntur. Redditiva, quæ relativum vel præcedunt, vel sequitur; ut, talis,

tantus

tantus, tot, totus, ejusmodi, *quorum tamen quædam ad Pronomen referuntur. Vide Scal. c. 127. l.l.*

4. *Synonyma (rectiùs Polyonyma) sunt diversæ dictiones, quæ rem eandem significant; ut* terra, tellus, humus. *Homonyma, quæ eodem nomine res diversas significant; ut,* populus pro turba & arbore, *Vide Scal. c l. l. c. 91.*

5. *Ambigua, quæ modò substantivi, modò adjectivi naturam obtinent, ut*, rex, consul, princeps, comes, dives, senex, artifex, familiaris, natalis, amicus, socius, vicinus, affinis, cognatus, *& verbalia in* Or, Trix, *ut*, scriptor, victrix. *De his vide Scal. c. 89. l.l.*

6. *Nova, quæ à recentioribus inventa sunt, quòd res ipsa non fuerit veteribus nota, ut,* Typographus, bombarda. *Fictitia, quæ à rei sono facta sunt, ut* murmur, turtur, glocitare, hinnire, grunnire.

7. *Numeralia, quæ numerum exprimunt: Suntq; multiplicia. 1. Cardinalia, quæ numerum absolutè significant, ut,* unum, duo, tria, quatuor, &c. 2. *Ordinalia, quæ numerum ordine digestum significant, ut,* primus, secundus, tertius: *Item* primanus, secundanus, tertianus, primarius, secundarius tertiarius. 3. *Distributiva, quæ distributionem significant, ut,* singuli, bini, terni. 4. *Multiplicativa, quæ respiciunt multiplicationem, ut* simplex, duplex, triplex. 5. *Proportionalia, ut* simplus, duplus, triplus. *His 6. addi possent Indicativa numerorum, ut,* unitas, binarius ternarius: ternio, quaternio, senio. 7. *Temporalia, ut,* bimus, trimus, triennis, quadriennis.

CAPUT XV.

DE PRONOMINE.

*Pronomen est pars orationis variabilis, quâ utimur in demonstrandâ aut repetendâ re, ubi Nominis repetitio ingrata erat futura.

Vel: Pronomen est nomen vicarium: *(id est, vox variabilis per casum, significans rem secundariò sine tempore.)*

[Pronomen Scal. c. 127. l. l. disputat Verbo postponendum esse, quia sit vicarium. Nullum autē vicarium necessarium. Non necessarium autem jure postponi necessariò. Verùm hac ratione Pronomen unà cum Participio, omnibus invariabilibus orationis partibus postponendū erit, quia & illa magis necessaria. Nam quod Scal. cap. 151 l. l. ad hoc respondet, ideò invariabilibus partibus nobilioribus præponi, quia faciliùs cognosci possit pronomen cum Nomine, quàm si tanto intervallo disjungatur vel differatur, id confirmat potiùs vulgatam methodum quàm convellit. Concinnius enim est, Vicarium suo principali conjungi, præsertim cùm ipsemet Scaliger dicat, Pronomen penè totum esse Nomen; & propterea non desint inter Grammaticos, qui pronomina sub Nominibus comprehendant, eademq; appellent adjectiva Pronominalia, & ad Heteroclita referant. Definitio è Scal. talis erui potest, 1. *Nominalis.* Pronomen est pars orationis variabilis, quæ pro Nomine ponitur. *Nam quædam sunt notæ rerum, ut Nomina: quædam notæ nominum, ut Pronomina. Pro enim inter alia significat* vice, loco. *Hanc definitionem ipsemet acutè impugnat, quia multæ res carent nomine, & per pronomen demonstrativum intelliguntur, itaq; illud pro Nomine non ponitur, quod nondum extat. Et pronomen demonstrativum etiā ignorāti nomen rei demonstratæ, aliquid significat, eodem scilicet modo sicut* Ens, Res, *ut communis quædam nota sit: licet interim alio modo diversa sint, pronomen demonstrativum, & Res atq; Ens; quoniam hæc simpliciter significant, pronomen autem* Hoc *per demonstrationem* 2 *Quamobrem aliter ipse posteà progreditur. Nomina, inquit, inventa sunt, quia res nobiscum ferre nequimus, itaq; semper significant sine adminiculo. At pronomina aut referunt Nomina jam posita, aut egent præsentiâ loquentium, & per se nihil statuunt, nisi vel Nominibus adjuta, aut præ-*

scripta

scripta demonstratione. Pronomen autem à Nomine, nō differt significatione, sed modo significandi. Quæ differentia triplex est. Primus modus, quòd rem præsentē indicant loquenti, id quod non facit Nomen, ut Ego: aut etiam ei, quo cum loquitur, ut Tu. Atq; hæc rem ipsam statim per speciem intellectui repræsentant, non per Nomen. Alter est, quòd pro Nomine ponuntur, ut Relativa Tertius, quòd cum Nomine ponuntur, ut ipsum repræsentent, ut Ego Cæsar. Hæc subtiliter sanè Scal. è quibus ipsam definitionē colligi posse ait. Veruntamen non ineptè quispiā tueri queat communē sententiam, si respondeat, Pronomina esse etiā in rebus nomine carentibus vicaria, quia tametsi nomina non sint, tamē esse possunt, aut debent. Defectus enim iste non tollit naturā pronominis, sicut & ipse Scal. in fine cap. hujus fatetur, inopiam sermonis non immutare naturam rerum. Et tritum est, verba in definitionibus potentiam significare. Deinde, etsi quispiam ignoret nomen rei demonstratæ: tamen id fit per accidēs, & propterea pronominis officium & naturam non evertit. Posteà, quòd ait, Ego & Tu *rem ipsam statim per speciem intellectui repræsentare, negari potest. Subintelligitur enim Nomen, cujus loco pronomen ponitur: Ego, scilicet Cæsar. Tu scil. Socrates. Deniq; quòd cum Nomine ponuntur, ut Ego Cæsar, Tu Romane; ad id quoq; respōderi potest, fieri illud κατ' ἐπεξήγησιν, illustrationis ergò, & perspicuitatis caussa, nec propterea negandum, quòd pronomen retineat officium suum vicarium.*

Pronomen itaq; secundariò & mediatè rem significat, scilicet per Nomen. Est enim nota seu signum Nominis, sicut Nomen nota seu signum rei. Quo differt à Nomine; quod significat rem, sed sine medio, & primò seu sine adminiculo. Si quis cum Frischlino loqui velit, (pronomen significare primò personam, secundariò rem, Nomen verò contrà primò rem, secundariò personam,) accipere poterit vocem (primò) pro eo quod est principaliter, ne videatur sibi cōtradicere personam à nomine oriri & tamen primò competere pronomini. Significat autem pronomen rem sine tempore (seu quod idem est,

permanentem) quæ vox sicut Nomen, ita etiam Pronomen distinguit à Verbo & Participio. Posset etiam uno verbo definiri, Pronomen est Nomen vicarium, *Quomodo igitur Nomen à cæteris differt, ita & Pronomen. Usus itaq; pronominis hinc elicitur; videlicet, orationem elegantem & perspicuam reddere. Alias definitiones Pronominis refutatas vide apud Scal. d. l.]*

* Sunt autem pronomina hæc: *Ego, tu, sui, ille, iste, ipse, hic, is, quis, qui, meus, tuus, suus, noster, vester, nostrâs, vestrâs, cujus & cujâs.*

[Numerum Pronominum Scaliger lib. 6 c. 127 auget, & Neuter, alter, uter, alius, omnis, pronomina esse contendit, quoniam sint signa vel notæ Nominum, vel quia exponantur per Nomina Verùm ratio hæc aut nulla, aut insufficiens est. quia etiam. Nullus nota est nominis, ut cum dico: Quis homo disputat? & respondes; nullus. Nullus autem Nomen est, non pronomen, ut Scalig. fatetur. Deinde ipsum Pronomē nonnunquam est signum Pronominis, ut si quæram: Quis fecit? Et respondeas, Ego. Si igitur ex signandi illa ratione concludi debeat; signatum Pronomen, Nomen fiet, quod absurdum est, vel ex Scaligeri sententia. Quare, Alter, Neuter, maneant nobis Nomina Partitiva; Omnis Nomen distributivum; ex communi sententia.

¶ *Omnia Pronomina sunt Adjectiva, excepto neutro Quid.*

[Itaq; à nonnullis adjectiva pronominalia vocantur. Scaliger sicut in Nomine, ita & Pronomine agnoscit divisionem in Substantivum & Adjectivum. Substantiva, non quæ substantiam tantùm significent, (ut ego, tu) sed non accidens, ita tamen ut non modum repræsentent accidentis, veluti sint omnia primitiva, ut, Is, color. Adjectiva, quæ statuant ipsum modũ accidentis, ut Meus, Tuus, & cætera derivata. Verùm cùm hæc parũ congruant definitioni Substantivi & Adjectivi suprà tradita, & in Syntaxi non parũ confusionis

sionis afferant, si Is, Ipse, Ille, &c. pro Substantivis habeantur, relicta hac distinctione, quæ Logica potiùs est aut Metaphysica, retinemus communem Grammaticorum sententiam, omnia pronomina esse adjectiva, excepto Quid. Meliùs autem sentire videntur, qui censent, hæc tria, Ego, Tu, Sui, *Substantivi magis quàm Adjectivi naturam habere. Hic interim non dissimulandum, quædam in naturam substantivorum degenerare, si in Neutro genere absolutè ponantur, ut, id ætatis.*]

* Accidunt pronomini octo: *Significatio, Numerus, Persona, Casus, Declinatio, Genus, Species & Figura.*

[*Affectiones pronominis eadem sunt, quæ & in Nomine. Genera in quibusdam distincta sunt, Meus, mea, meum. In quibusdam conveniunt, Ego, bonus, bona, bonum. In numero Nominis & Pronominis hæc differentia est, quòd Nomen nonnunquam aliquo numero caret, Pronomen autem nullo. Fuit autem necessarius numerus, propterea quòd rem referrent pro eo nomine, quo illa res significatur. A numero autem uno, numeri duo deducti sunt, propter relationem. Nam Vos pluralis est, deducitur autem ab eo singularis, Vester, quia significat rem singularem ad multos relatam. Scalig lib. 6. de c. l. l. cap. 132. Idem in enumeratione harum affectionum omittit Declinationem: at rationē non adfert, capite tamen 127. fatetur Declinationem accidere Pronomini: & sanè cū in illis admittat casus, Declinationem quoque agnoscat, necesse est. Cùm persona Nomini competat, ut suprà dictum, pag. 36. omninò sequitur. Pronomini non esse denegandā. Est qui personam definiat, persona est specialis Verbi terminatio. Verùm jam dictum, non soli Verbo competere. Thomas ita: Est proprietas, qua pronomen significat suo modo loquendi de se, ut de se, ad alium, ut ad aliū, de alio, ut de alio. Quæ definitio eodem defectu laborat, cùm soli pronomini ascribat, quod cum verbo commune est, ac prætereà potiùs distributio videtur quàm definitio.*

* Significatio Pronominum est, qua vis & natura eorum declaratur.

¶ *Estq; sextuplex: Demonstrativa, Relativa, Reciproca, Interrogativa, Possessiva & Gentilis.*

[*Reciprocum comprehendit Scal. sub Relativo. Non male. Majores tamen distinctionis ergò, nos ex usitata methodo illa separavimus. Frischlinus ex his distinctionibus extruit Pronominis divisionem in species. Non satis commodè. Nam Interrogativa, Possessiva & Gentilia quædam coincidunt, ut cujus, cujâs. Item Reciprocum & Possessivum, suus.*]

¶ *I. Demonstrativa sunt, quæ monstrant personam aut rem præsententem: ut:* Ego, Tu, *Hic & iste.*

[*Scaliger mavult vocabulum* Repræsentationis, *quàm* Demonstrationis: *quia, verbi gratiâ, in literis me absentè demonstrare non possum. Sed denominatio hæc à priori facta est, itaq; terminum Grammaticum retinemus. Scaliger ipse cap.*128. *Demonstrativa vocat laxâ voce, præsentem aut sensibus, aut intellectui personam monstrantia. Demonstrativa à Relativis ita discernit idem, quòd illa statuant primã cognitionem. Relativa autem eandem iterent: ut, Iste animus Cæsar te perdidit: Is te reddet immortalem. De differentia,* Hic. Iste, & Ille, *Frischlin in Paralip. ita: Hic & Ille non differunt significatu in referendo, Sed in demonstrando differunt Hic, Iste, & Ille. Nam Hic primam respicit personam: Iste secundam: Ille tertiam, ubi is est qui tamen non monstratur, neque in sensum, sed tantùm in intellectum venit. Vt de me & meis dico: Hoc caput, hæc civitas. De te verò & tuis: Istud caput, ista civitas. De tertia verò persona: Illud caput, illa civitas. Vide apud ipsummet plurima exempla. Hinc versus: Personam notat Hic primam, notat Iste secundam. Ille notat ternam, sic inde adverbia distant. Verep. Pronomen Iste interdũ contemptũ significat & indignationẽ, ut, Quod iste profert, facilè solvitur. Iste furcifer, Iste nequã.*]

¶ *II. Relativa sunt, quæ referunt dictionem antecedentem: Is, Ipse, Qui.*

Ille

Ille aliâs demonstrativum est, aliâs relativum.

Interdum relativa fiunt, & Hic, Iste, Idem.

[*Hic & Ille si relativa sint, ita differunt, quemadmodum versiculus docet,* Respicit Hic propius, sed respicit Ille remotum, *ut, Densus Thucydides, dulcis Herodotus, ille (Thucydides) cauticatus, hic (Herodotus) remissus. Non tamen est perpetuum, ut: Melior est certa pax, quàm sperata victoria, hac (pax) est in tua, illa (victoria) in Deorum manu est. Liv. lib. 30. Ille, interdum eminentiã & emphasin significat, ut Alexander ille Macedo, Valer. Max Valla lib. 2. Notandum etiam Grammaticos appellare pronomen Hic, hac, hoc, articulum, non quòd revera articulus sit, sed quòd vice articuli ipsi utantur, Vide suprà pag. 41.*

Quis & Qui sic differunt : Quis *est interrogativum, vel infinitum, ut, Quis dixit?* Qui *est relativum, ut, Ditissimus est, qui suâ sorte contentus est. Aliquando tamen interrogat, ut, Qui finis erit dissidiorum ? Liv. Qui tum inde reditus ? Cicer. Nescio, qui senex modò venit. Terent.* Quod *verò adjectivum & relativum est, ut: Donum, quod hostis dat, insidiosum est.* Quid *substantivũ, & nunquã relativũ est.*]

§ III. *Reciproca sunt, quæ ad eandem personam, quæ proximè præcessit, redeunt : seu, quæ ad tertiam personam proximè præcedentem reflectuntur: ut sunt Sui & Suus.*

[*Atq; hinc est, ut Reciproca nunquam Verbo primæ aut secundæ personæ jungantur, & nunquam incipere possint sententiam. Quis enim ita loquentem ferret ? Suus pater mihi dixit, pro ipsius pater? Tu fecisti secum pro, cum ipso ? Cæterùm usus Reciprocrorũ paulò altiùs repetendus est, ne frequẽtiùs cum Monachis hic impingamus. Reciprocis igitur utendũ est, quoties in tertiã personam fit regressio præcedentem, nunquã autem in primam & secundam. Ut, Inservio Deo propter mandatum suũ. Quisq; sibi bene esse mavult, quàm alteri, Paulus confessus est Christum & fidem suam. Sed hîc occurrunt exceptiones duæ. Nam 1. si verbo tertiæ Personæ*

rectus & obliquus juncti sint, & pronomẽ respiciat obliquũ, tùm vitandæ ambiguitatis gratiâ rectiùs pro reciprocis utemur genitivis ejus *vel* ipsius, *ut : Petrus inservit Deo propter bonitatem ejus. Paulus diligit Petrum & fratrem ejus. 2. Cùm inter obliquos intercedit conjunctio, reciproco locus non est, ut; Vide præceptorem & discipulos ejus. Cepi columbam, & pullos ejus. Fusior tractatus videatur apud Verepæum in Syntaxi, Melanchthonem, Vallam, libr. ult. & alios.*]

† Reciprocum alterum est substantiæ, nempe Sui, alterum accidentis, nempe Suus. *Vel potiùs, alterum est essentiæ, ut Sui, alterum modi, ut Suus.*

[*Vtriusque reciprocatio est simplex vel composita.*]

Reciprocatio SVI simplex cùm pronomen Sui actionem verbi simpliciter reflectit à patiente in agentem, ut Chremes se furti alligat.

Reciprocatio SUI *composita fit, 1. cùm Pronomen Sui reflectit actionem Verbi posterioris in personam Verbi prioris, ita, ut persona illa respectu prioris Verbi agat, respectu posterioris patiatur, ut.* Hera orare jussit, ad se ut venias. *Resolve sic : Hera orare jussit ut venias. Ad quem? ad se herã. 2. Cùm pronomen Sui reflectit actionem Verbi posterioris nõ in personam primi Verbi, sed in aliam personam quasi accersitã, ita ut persona primi verbi ab actione personæ tertiæ patiatur, ut,* Jube huc transire, se ut videant domi familiares, *Plaut. Actio posterioris verbi, videre, non reflectitur in eũ qui jubetur transire, sed in aliam personam tertiam, scilicet servos. Sic: Venit ad me, ut se videant liberi mei.*

) *Reciprocatio* SUUS *simplex fit. 1. cùm pronomen suus tanquam res possessa reflectit actionem verbi in personam agentem tanquam possidentem, ut :* Glycerium suos parentes reperit, *Terent 2. Cùm pronomen suus reflectit actionem verbi in personam, tanquam in rem possessam, ut quæ agat in possessorem, ut:* Sua quenq; fraus vexat. *Cic.*

Reci-

Reciprocatio SUUS *composita fit* 1. *Cùm pronomen Suus actionem posterioris quæ fit in rem possessam, reflectit in personam verbi prioris, tanquàm in possidentem, ita ut possessor respectu prioris verbi agat, respectu posterioris patiatur, ut* Pythius Piscatores rogavit, ut ante suos hortos piscarentur. *Cic.*2. *Cùm pronomen Suus reflectit actionem posterioris Verbi in personam tertiam quasi adventitiam, quæ tanquàm res possessa respicit personam prioris verbi, tãquam possidentem, ut:* Puer repetit eam, quam ego patri suo spoponderam dignitatem, *Cic. Resolve ita: Puer repetit dignitatem, quam ego spoponderam patri. Cuinam patri? Patri suo, nempe hujus pueri. Hæc è Frischlin.*]

¶ IV. *Interrogativa sunt, Quis, Cujus & Cujâs.*

[*Quis, cujus & cujâs interdum Relativi naturam induunt, & quodammodo occultè ad præcedens referuntur, ut, nescio, cujâs sit. Vide Scal. cap.* 127. *l.l.p.*332.]

¶ V. *Possessiva, quæ possessionem significant, sunt: Meus, Tuus, Suus, Noster, Vester.*

[*Significant & possessionem, Genitivi pronominum Hic, Ille, Ipse, Iste, Is, Quis, Qui. Possunt etiam huc referri Nostrâs, vestrâs: quamvis non simpliciter possessionem significent, sed cum adjectione.*]

¶ VI. *Gentilia sunt, quæ patriam, nationem, familiam, vel etiam sectam significant, ut Cujâs, Nostrâs & Vestrâs.*

[*De his eleganter disserit Scalig. cap.* 130. *Vbi etiam quærit, cur à tertia persona Suus non formarint Gentile Suâs. Concinnè enim id potuisse fieri & necessariò, ut, Romani suates captivos Annibali dedendos censuêre Respondet, omissum id esse partim incuriâ gentis, partim libidine imperandi. Invitos enim agnovisse pronomen Suus. De secta usurpari Gentilia; Valla docet lib.* 2. *Cicero nostrates facetias, nostratia verba, & vestratia verba, dixit.*]

* Numerus, ut in Nomine est: Singularis, ut *Ego:* Pluralis, ut *nos.*

* Personæ in Pronomine sunt: Prima, ut *Ego:* Secunda, ut *Tu:* Tertia, ut *Ille.*

[*Is, Ipse, Ille, Meus, Tuus, Hic, Qui, &c. sicut & omnia Derivata Pronomina, indifferentia sunt ad omnes personas, ut; Is ego sum: Ille ego qui quondam. Ego ipse, Tu ipse, Meus sum, Noster sum (apud Plaut.) Tua es, &c. ut eleganter ostēdit Scalig. cap 127. & 128, 124. l. l. Quòd autem Brassicanus ait, figuratè dici, Ille ego, Ipsum, id est me, apud Virg. id verò probandum est.*]

* Casus iidem sunt, qui in nomine, excepto Vocativo, cujus usus tantùm est in his pronominibus: *Tu, meus, noster & nostrâs.*

[*Exstant tamen exempla apud classicos authores, qui aliis nonnullis pronominibus vocativum attribuerunt: ut, Ipse meas æther suscipe summe preces. Ovid Tu mihi libertas illa paterna vale. Tibull. O nox illa, quæ tenebras attulisti,* Cic. *Quintum casum non solùm habere aliqua Pronomina verùm etiam quædam constituere, ut Tu, vos, vester, asserit Scaliger cap. 134. At in possessivis dubitat: & causam dubitationis habet illam, quia sicuti Ego caret quinto casu singulari, quia nemo seipsum vocat, ita Meus, quod ab eo dicitur, carere quoq; debuit: è contrariò Tuus, casum illum habebit, quia, Tu, ipsum habet, & Sui, quia caret, Suus, quoque defici debuerat. Hoc autem dubium doctè solvit: Omnis Vocativus casus, inquit, duas personas designat necessariò, significat enim rem in secunda Persona, & consignificat primam loquētem, atque tanta facultate est, ut videatur solus constituere orationem. Si enim voces: D A V E: Davus respondeat. Igitur res vocata nisi distinguatur ab re vocante, ejus casus nulli usui erit. Meum servum igitur cùm appello, eū alloquor, qui alius est à me substantiâ. Accidente autem refertur ad me, idcirco potest à me vocari, quia est alius, & vocatur per pro-*


nomen

nomen deductum à me, quia est quodam certoq; modo quasi unum mecum. Est enim unum relatione: ideo relativum alterum sine altero nullum esse quis. At in Tuus, non idem esse potest. Nam etsi est diversa persona vocata à vocante, tamen significatam rem appello, & terminum relationis ad alteram personam dirigo. Ita distractus sermo, ad servum tuum vocatum, & ad te, ad quem refertur ille, non potest cohærere. Videamus verò subtilius, an huic quoq; casus ille attribui possit, ut sic dicamus: Possessio excludit aliam possessionẽ, jure enim meo jus alienum tollitur. Meus enim ego sum, non alterius. Quare ancillam manumissam sic vocabo, ô Tua. Quia etiam sic possim, quum eam libero, Abi, jam tua es. Usus tamen infrequens non posuit legem hanc loquendi sic. De Suus, autem sic statuamus. Contradicere sibiipsis, qui hæc duo dicant, Suus, semper reciprocum esse debet: Suus habet Vocativum. Quæ enim reciprocatio possit intervenire inter vocantem & vocatum relatum ad aliam personam ab utroque? Itaq; nos & affirmamus habere Vocativum, & negamus, semper esse reciprocum: Sed rectè dici, sui servi eum sustulere, & sui servi eum sustollite: Hucusq; Scal. Plura de Suus ejusq; Vocativo, vide apud Vallam lib. ultim. cap. 13. Meus, Noster & Nostrâs, Trapezuntius dicit Vocativum habere ratione possessionis, non autem ratione possessoris.]

§ *Declinantur Pronomina variè. I. Alia prorsus irregulariter; ut* Ego, tu, sui. *II. Alia certis tantum casibus anomalian patiuntur; ut* ille, ipse, iste, hic, is, quis *vel* qui. *III. Alia prorsus ad exemplum adjectivorum in* us, a, um: er, a, um, *in primâ & secundâ declinatione variantur: ut* cujus, meus, tuus, suus, noster, vester, *IV. Alia denique tertiæ declinationis sunt: ut* nostrâs, vestrâs, cujâs, *generis omnis, sicut Arpinâs.*

[Veteres dixerunt Cujatis, Cujate, ut è Plauto & Accio pates.]

Scholia



Scholia ad Declinationem Pronominum Ego, Tu.

[*Genit. sing. Mis, Tis, pro mei, tui, Mehe Accusativus pro Me antiquati sunt. Mis apud Poëtas usurpatur, pro Mihi, & apud Varron. Auson. Pop. lib. 1. c. 10. antiq loc.*]

Scholia ad pronomina Ille, Ipse, Iste, Is.

[*Ipsius pro ipse. Comicum est. Antiqui etiam dixerunt Ips pro Is (unde deductum videtur Ipse) & Quips pro Quis. Accusativo Im vel Em, pro Eum, notante Festo & Macrob. & exempla extant apud Enn. Terent. Ulpian. Dativo fœminino Ea, Genitivo, Ea, ista, illa, pro illius, illi, ejus, ei, istius, isti. Pluraliter Hic, hac, isthac pro Hi, ha. ista, apud Plaut. & Terent. Item Hisce pro Hi. Plaut. & Licin. Macer. item, Hibus & ibus pro His & iis, Plaut. teste Carisio. Item Ollus pro Ille antiquè, apud Comicos & Virgil. Vide Auson. Popm. libr. 1. cap. 10. antiq. locut. Etiam Eabus in fœm. Dativo & Ablativo apud Varron. Valla lib. 1. c. 1.*]

Scholia ad pronomina Meus, Tuus, Suus.

[*Accusativo plurali antiquè dicebant Sos, Sas. Dativo & Ablativo Sis, pro Suos, Suas, Suis, Enn. Lucr. Vide Popm. lib. 1. c. 10 antiq. loc. Item Mi in Vocativo plurali pro Mei. Et pro neutro Vocativo, ut ò mi fidus, pro ò meum fidus. Vide Taubman. in Cistellar. Plaut.*]

De Declinatione Compositorum.

[*Declinantur etiam pronomina composita, sed pleraq; defectivè.* Isthic *per eos tantùm casus, qui in C exeunt, præter dativum hoc modo, Nom.* Isthic, isthæc, isthoc vel isthuc. *Accus.* Isthunc, anc, oc vel uc, *Alb.* Isthoc, ac, oc, *Nom. & accus. plur.* Isthæc. *Cæteri casus desiderantur. Eodem modo declinatur.* Illhic. Eccum & Eccam *in Accusativo sing.* eccos & eccas *in plur. Sic &* Ellum & ellam: ellos: & ellas. *Cæteri casus desunt. Neutrum etiam prorsus deficit.* Hiccine, hæccine, hoccine *in Nom.* hunccine, hanccine, hoc-

hoccine, *in Accus.* Hoccine, haccine, hoccine *in Ablat. Pluraliter* Hæccine *in neutro tantùm. Terent. etiam Hoscine dixit.* Quisquis *facit in Accus.* quêquem, *Dat* Cuicui. *Abl* quoquo. *In fœminino solus Ablativus est in usu,* Quaqua. *In neutro in Nom & Accus.* Quicquid. *Abl.* quoquo *facit.* Ecquis, ecqua, vel ecquæ, ecquod, vel ecquid. Ecujus & eccui, &c. *integrè declinatur.*]

* Genus est in Pronominibus, perinde ut in Adjectivis Nominum: Nam per tria genera vagantur Pronomina: alia una terminatione: ut: *Ego, tu, sui, cujâs, nostrás, vestras.* Alia tribus; ut: *Ille, a, ud: Iste, a, ud: Ipse, a, um: Hic, hæc, hoc: Is, ea, id: Quis, vel Qui, quæ vel qua, quod vel quid: Meus, a, um: Tuus, a, um: Suus, a, um, Vester, a, um: Cujus, a, um.*

[*Quis & Quisquam veteres & in masculino & in fœminino genere dixerunt, ut Plautus & Terentius. Hinc in ff. de verb. significat. Quis, tàm masculos quàm fœminas complectitur. Terent. Eunuch. illarum neque quisquam te novit, neque scit qui sies. Ibid. hunc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit, inquit ancilla Pythia. Plaut. Aulul. Quis ea est? Virg. II. Æneid. Qui cum partiri curas, id est, cum qua, &c.*]

* Species pronominum sunt: Primitiva: ut *Ego, tu, sui, ille, iste, ipse, hic is, quis, qui.* Et Derivativa: ut reliqua omnia: Nam à Genitivo mei fit *meus*, à nostrûm, vel nostri fit *noster & nostrâs:* à tui fit *tuus:* à vestri, *vester & vestras:* à sui, *suus:* à cujus, *fit cujus, cuja, cujum, & cujás.*

* Figuræ pronominum sunt: Simplex, ut *ego:* Composita, ut *egomet.*

† Variè autem componuntur Pronomina: I. Cum Nomine: ut; Cujusmodi, Hujusmodi, Hujus-



Hujuſcemodi, Illiuſmodi, Iſtiuſmodi, Ejuſmodi.

[*Hæc nonnullis ſunt nomina adjectiva & indeclinabilia potiùs, quàm pronomina.*]

† II. Inter ſe: ut Egoipſe: Tuipſe: Suiipſius, Iſthic, Iſipſe.

[*Pro Isipſe antiqui dicebant Ipſiptus & Ipſipte, plur. Ipſipti, Popm. l. 1 c. 10. aut l. Occurrit etiam apud Authores,* Ille ego. *Item:* Tu is hic Mœris, *verùm hæc appoſitio magis, quàm compoſitio eſt.*]

† III. Cum Verbis, ut Quiſputas, Quilibet.

† IV. Cum adverbiis: ut Eccum, eccam, id eſt, ecce, eum, eam. Ellum, ellam: Ellos, ellas, id eſt, ecce illum, illam: illos, illas: quæ Comicis uſitata ſunt. *Idem* componitur ex Is & demum, pro is iterum. *Identidem* ex idem geminato, T euphoniæ ſeu jucundioris ſoni gratia interpoſita.

† V. Cum præpoſitione per Anaſtrophen, ut, Mecum, Tecum, Secum, Nobiſcum, Vobiſcum.

[*Hoc eſt; cùm præpoſitio Pronomini poſtponitur. Donato hæc ſunt adverbia perſonalia, cui reclamant Diomedes & Priſcianus, qui inter Pronomina conſtituerunt.*]

† VI. Cum ſyllabicis adjectionibus, *ce, cine, met, te, pte: ut* Hicce, Hiccine, Egomet, Tute, Meopte, Tuopte, Suopte, Meapte, Tuapte, Suapte, Noſtrapte.

[*Syllabicæ adjectiones nihil ſunt aliud, quàm, ut loqq. extenſiones quædam in fine, & extra compoſitionem nihil prorſus ſignificant.* Ce, *adjicitur pronomini* Hic, *& genitivis aliorum quorundam, Hicce, Hujuſce, Hiſce, Hoſce, Ejuſce, Iſtiuſce, Illiuſce, propter euphoniam, eoq; potiſſimùm Comici utuntur.* Cine *adjicitur pronomini* Hic; *in iis tantùm caſibus, qui in C finiunt.* Met *apponitur caſibus Pronominum*

prima

prima & secunda persona, & Te, *tantummodò pronomini* Tu, *in singulari* Pte *solummodò Ablativis pronominalibus, ut videre est in exemplis allatis. Apud Plaut. est Mepte, pro memet, Menachm. Popm. lib. 1. ant. loc. c. 10. Item Eapse, pro ea ipsa, apud Enn. Sapse, pro Ipsa.*]

Quis & *Qui* variè componuntur, *Quis* in compositione aliàs præponitur: ut, Quisnam, quispiam, quisquis, quisquam; aliàs postponitur: ut, aliquis, siquis, nequis, ecquis, *Qui* verò semper in compositione præpo[illegible]ur: ut, quidam, quivis, quilibet.

[*Quidam & Aliquis sic differunt: Quidam rem nobis aliquo modo certam significat: Aliquis, cum synonymis, Quisquam, Quispiam, Vllus, rem nobis incertã significat, Linac. lib. 1. ut, Quidam homines in capite meo laborarunt, Cic. ad Lent. Nolò herclè aliquid: Certum quàm aliquid mavolo. Plaut. Non tamen perpetuum est hoc discrimen: ut, Ambulant aves aliquæ, ut cornices, saliunt aliquæ, ut passeres, Plin. lib. 9. Vires quibusdam dextra parte majores, quibusdam æquas utraque, aliquibus læva parte præcipuas, id. lib. 7.*

CAPVT XVI.

DE VERBO, EIVSQVE FORMA, Numero, Pers. Tempore, & Modis.

* Verbum est vox variabilis, significans agere aliquid aut pati; ut, *verberare*, actionem significat, *verberari* passionem. *Vel: est vox variabilis per modos, rem significans sub tempore.*

[*Quod suprà de Verbo pronunciavimus, esse partem Orationis necessariã ad perfectionem quoad esse, id Diomedes etiam confirmat, cùm ait: Hæc pars Orationis dicitur præcipua inter alias, quia universæ Orationi uberes præbet ad facultatem vires. Porrò aliam etiam verbi definitionem subjunximus* p. 32.



mus propter Scaligerum, qui nostram, quæ est & veterum, definitionem falsitatis accusat, lib 5. de caus. Latin. ling. c. 110. Ipse autem definit notam rei sub tempore, quæ tamẽ definitio latior esse videtur definito: cùm Participio quoq; conveniat. Illam verò explicationem rei sub tempore, quòd scilicet vel Esse, vel Fieri intelligatur, approbamus, & nostra quoq; definitioni applicamus. Esse enim, ad verba substantiva refertur, Fieri, ad cætera. Pulchrè autem Scaliger inquit, & actionem & passionem ad ESSE reduci. Quamobrem universum verborum ambitum in duo div[illegible], quæ Actionem & Passionem significant, & horum utrumq; ad unum, nempè ipsum Est. Quare jam non est causa, cur veterum definitio omninò sit rejicienda. Neutra autem verba & ipse Scalig. & Philippus, actionem aut passionem aliquam, quamvis obscuriùs significare, fatentur, ut cano, algeo, &c. Nostra igitur posterior definitio non dissentit ab illa Prisciani. Verbum est pars Orationis quæ cum modis & formis & temporibus sine casu, agendi vel patiendi significativa est. Iuniores notent etiam homonymiam vocis: 1. Verbum enim accipitur sensu divino, pro secunda persona Trinitatis, ut: In principio erat Verbum, Itẽ, Verbum Caro factum est, Iohan. 1. 2. denotat fallaciam sive deceptionem, unde dare verba, apud Persium Satyr. 4. id est, decipere. 3. Significat loquelam sive sermonem; ut in illo Poëtæ: Verba puellarum foliis leviora caducis. 4. Hoc autem locò accipitur τεχνικῶς, & non pro notione prima, sed secunda. Vulgò derivant à verberando; non prorsus malè, ut nonnulli autumant, quoniam in prolatione verbi aër verberatur. Differentia inter nomen & verbum propter pueros communiter illa assignantur. 1. Nomen est ea vox cui addi possint Germanica verba, Ein/ *vel* der/ die/ das/ *Verbum verò cui præponi possit,* Ich/ du/ der/ ꝛc. *2. Nomen est, quod respondetur ad interrogationem Quid, qualis, quantus, ut: Quid est hoc? est liber, &c. Verbum quod redditur ad interrogationem, Quid facis? Scribo, &c. 3. In nominibus est materia, in verbis forma, Scal. Quia alterum est quod loquimur, alterum de quo loquimur, Fabius l. 1. c. 7.]*

Verbo

* Verbo accidunt octo: *Forma* (*seu genus, sive significatio*) *Numerus, Persona, Tempus, Modus, Conjugatio, Species & Figura.*

[Dictum est paulò antè, ex Scalig. Omnia verba reduci posse ad duplicem significationem, activam & passivã. Quare si ex significatione per se & solùm consideratâ, verbum distribuendum sit, Activũ tantùm & Passivum erit, ad quæ reducenda essent verba Substantiva dicta, tanquàm finis actionis & passionis, itemq; cætera omnia. Neutra & Deponentia. Quoniam verò Grammaticum etiam ad terminationem respicere oportet, ut rectè Frischlinus quoq; advertit, distributio ita est instituenda, ut Neutrum quoq; & Deponens suam distinctam classem obtineat: id quod optimè hoc modo fit; si ex Forma, id est, terminatione, distributio arcessatur, & significatio activa atq; passiva per omnia vagari dicatur. Atq; hinc est, quòd Despauterius discernit inter Verbum Activum, & Verbum Activi generis. Verbum Activi generis appellat, quod in O desinens facit ex se passivũ in OR. Verbum Activum, quod agere vel quasi agere significat, sive in O sive in OR terminetur. Hoc scilicet vult, Verbũ activum dici ex significatione tantùm, Verbũ activi generis verò ex significatione & terminatione simul, aut saltem ex terminatione potissimùm.]

[Unde non malè nostro judicio duo distincta accidentia constituerentur in Verbo, Significatio & Forma. Ex significatione Verbum esset vel Activi vel Passivi generis. Ex Forma esset vel Activum vel Passivum, vel Neutrum, vel Deponens.]

FORMA.

*Ex Forma verbum est vel biforme, quod utraque formâ variatur, ut Activum & Passivum: Vel uniforme, quod alterutrâ tantùm

formâ variatur : ut Neutrum & Deponens.

* Activa ſunt, quæ deſinunt in O, & aſſumere poſſunt literam R : ut *Amo*, *amor* : *Moneo*, *moneor.*

[*Hæc ab aliis vocantur Tranſitiva, Actionem ſignificantia, quæ ſine caſu accuſativo patientis perſonæ, ſenſum perfectum non reddunt, ut*, Verbero Davum.]

* Paſſiva ſunt, quæ in Or deſinunt, & poſſunt abjicere literam R, ut *Amor, amo* : *Moneor, moneo.*

[*Quod inde deprehenditur, ſi paſſionem ſignificent, ipſiſq; ablativus agentis rectè addi poſſit, ut*, Amor à Phædria: Verberor ab hero.]

* Neutra ſunt, quæ in O deſinunt, nec aſſumunt literam R : ut, *Sto*, *curro*, *aro*, *frigeo*, *caleo.*

[*Hæc ab aliis dicuntur verba Intranſitiva, & Abſoluta: eò quòd actionem & paſſionem propemodùm ſignificent, veruntamen abſolutè, id eſt, ut caſum activorum & paſſivorum non requirant. Diſcrimen tamen quoddam ſtatuunt inter Intranſitiva & Abſoluta. Illa vocantur αὐτοενεργητικὰ vel ὁλοενεργητικὰ, quæ ſignificant actionem in agente terminatam, ut*, Curro. *& Accuſativum ſuæ ſignificationis cognatum ac proprium admittunt, ut* vivo vitam, *Et formant etiam de ſe paſſiva : ut*, Vita vivitur miſera: *non tantùm in tertiis, verùm etiam in primis & ſecundis perſonis, teſte Scalig. præſertim in Proſopopœiis. Alioquin enim res ipſa potiùs, quàm Verborum natura defecêre, nec deeſt paſſivum verbis his, ſed res quæ ipſis ſint applicanda. Fac enim terram loqui de ſe, & invenies illicò primam paſ-*

ſivi

*sivi personam, ut aror. Scal. c.*110. *l.l. Hæc (Absoluta) vocantur αὐτοπαθητικὰ, vel ἰδιοπαθητικὰ, quæ passionem absolutè significant, & intus seu in patiente manentem, eaq; more passivorum ablativum, sed suæ significationis tantùm, recipiunt, ut,* caleo ab igne *Quomodo autem utraq; classis ad Activa & Passiva reduci debeat, vide prolixè disputantem Scalig cap.* 110. *l.l. ubi hos terminos prorsus rejiciendos esse contendit: Qui tamen suum usum habere possunt.*]

¶ *Neutris subjiciuntur* 1. *Neutro-passiva.* 2. *Neutralia passiva.* 3. *& verba Substantiva.*

¶ I. *Neutro-passiva, quæ caterâ quidem neutra sunt, præterita autem modo passivorum faciunt, ut, Audeo, Gaudeo, Mœreo, Soleo, Fido: Ausus sum, gravisus sum, mœstus sum, solitus sum, fisus sum.* p. 195. Et quæ utroq; modo præteritum faciunt; *Juro, juravi, & juratus sum: Prandeo, prandi & pransus sum:* Cœno, *cœnavi & cœnatus sum.*

[*A Soleo apud antiquos etiam Solui in præterito legitur, ut Festus annotat. Et Soluerat plusquamperfectum apud Sallust. l.* 2. *hist.*]

¶ II. *Neutralia passiva, quæ in* O *desinentia prorsus significationem & casum passivorum habent: ut hæc* 4. *Fio, Veneo, Vapulo, Liceo.*

[*His Linacer addidit* Exulo, *quod prorsus neutralem significationem habet. Alii addunt* Nubo, *quod veriùs activum est. Fio Frischlin inter Defectiva anomala refert carêria præteritis, & censet nō Passivum esse, sed merè Neutrum, idem significans, quod* Orior *vel Existo: Quod ut natura hujus Verbi congruum, non improbamus. Quia tamē passivum Facior inusitatū est, in præsentibus & imperfectis atq; futu-*

ris, atq; ejus loco verbum Fio usurpari consuevit (quod enim efficitur, id eo ipso oritur & existit) fortasse satius fuerit dicere, quòd sit Verbum anomalon varians, quòd præteritum ab inusitato Facior mutuetur. Ubi notandum: Facior quidem non dici, sed composita nihilominus in usu esse, Conficior, Perficior, Efficior, &c. in omnibus temporibus. Similiter & à Fio compositum usurpatur, confio. Sed Desit, Infit, prorsus defectiva sunt. Sunt tamen Grammatici, qui statuunt Fio esse verum passivum verbi Facio, quod in medio relinquimus.]

¶ III. *Substantiva sunt, quæ essentiam rei significant, sine expressâ actione & passione: ut:* Sum, Forem, Existo.

[*De Substantivi verbi necessitate pulchrè differit Scal. c. 112. l. I. ubi etiam ostendit, non bene substantivū à Grammaticis esse appellatum, cùm non solùm substantiis, verùm & accidentibus competat, ut: est albus est color. Ac fluxus quidem rerum quæ in tempore fiunt, cæteris verbis significatur, consistentia autem sive terminus formæ non ampliùs fluentis solo verbo substantivo, tàm in accidentalibus, quàm substantialibus. Nihilominus tamen retinendum esse terminum hunc Grammaticum adeò tritum, nemo negaverit. Accedit huc, quòd Frischlinus hanc appellationem à substando deducit, non à substantia: Eò quòd omnibus verbis substet, & in illud omnia verba resolvi possint. Cæterùm antiqui usurpârunt etiam verbum Fuo, unde adhuc præteritum Fui in usu est. De Existo dubitari possit, utrum ad substantiva, an potiùs ad Neutralia passiva referendum sit.*]

* Deponentia sunt, quæ in Or desinunt, nec abjicere possunt literam R, ut, *precor, sequor.*

[*Et significant modò adjectivè tantùm, ut* precor: *modò neutraliter tantùm, ut* mentior: *modò passivè, ut nascor: modò promiscuè: ut,* frustror, *quæ verba promiscuè significantia*]

stantia) Cõmunia *vulgò nominãtur, apud veteres quidẽ frequentia nunc autẽ admodùm rara, ideoq́; Deponentia vocãtur, quòd passivam significationem deposuerint. Manserunt tamen aliqua præterita, promiscuè activè & passivè usurpata. Sic interpretatus. Cic oblitus, Cic. & Virg. comitatus, veneratus, dignatus, Virg. meditatus, Teren. metatus, detestatus. Horat. dilargitus, Sall. velificatus, Iuven. passivè dixerunt, in quibus videndum quid usus receperit. Duriùs verò talia in cæteris temporibus sonant, ideoq́; abstinendum iis potiùs fuerit, licet fortè apud autores non contemnendos reperiantur, ut interpretari, in præsenti frequens apud Augustin. & Paul. Ctum. & Hieron &c. Sic profitentur, sectari, tuebantur, passivè extãt apud Varr. l. 2. & 3. de re rust. & Tueri passivè apud Iul. l. 21 ff. Comitari passivè. Lucret. Conspicari passivè Plaut. Epid. Fateatur pass. Cic. 2. Agrar. Loqui, pass. Cal. ad Cicer. Sic apud Prisc. observanda potiùs quàm imitanda. Vide etiam Gell. lib. 18. c. 13. Vide & infrà c. 21.*]

NVMERVS.

* Numeri Verborum sunt: Singularis; ut, *lego*, Pluralis: ut, *legimus*.

PERSONA.

* Personæ sunt tres: Prima, ut *lego*. Secunda, ut *legis*. Tertia, ut *legit*.

* Ex persona Verbum 1. est Personale, aut impersonale. 2. Finitum, aut infinitum.

* I. Personale Verbum est, cui Nominativus certæ personæ vel rei præponi potest: ut, *Ego lego, tu legis.*

* Impersonale, quod in tertiis duntaxat personis singularibus variatur, id est, quod certam

 perso-

personam, remvé Nominativo casu non recipit: ut *legitur, decet.*

[*Ne quis argutetur, monendum est, Impersonalia dici secundùm quid; quia nominativus certa persona non praecedit. Quando enim nominativus additur, jam transeunt, vel potiùs redeunt ad naturam personalium: ut: Forma viros neglecta decet: Probitas & modestia omnes decent: Non omnes arbusta juvant humilesq; myricæ Quod tamen in his*: Pœnitet, tædet, miseret, oportet, piget, *non rectè fit.*]

¶ *Activa impersonalia hæc ferè sunt: Accidit, Conducit, Constat, Contingit, Decet, Delectat, Est, Evenit, Expedit, Interest, Juvat, Libet, Licet, Liquet, Miseret, Oportet, Piget, Pœnitet, Pudet, Placet, Præstat, Potest, Refert, Restat, Solet, Sufficit, Tædet, Vacat.*

¶ *Passiva impersonalia ab omnibus activis & neutris fiunt, ut: legitur,* man liset / *statur,* man stehet.

¶ II. *Finitum verbum est, quod desinit in numeros & personas, habens à fronte Nominativum, ut: Luscinia canit.*

¶ *Infinitum est, quod personis & numero caret, habens à fronte Accusativum, ut: Lusciniam canere.*

[*Etsi ad Syntaxin potiùs hæ notæ pertineant, quàm ad Etymologiam, perspicuitatis tamen gratiâ voluimus illas retinere.*]

TEM-

TEMPUS.

¶ *Tempus est differentia verbi, secundùm præsens, præteritum & futurum.*

[*De ordine Temporum pulcherrimè Scalig. Ordo, inquit, eorum aliter est, quàm N ttura. Quod enim præteriit, prius fuit, quàm quod est. Itaq; præteritum primo loco poni debere videbatur. Verùm quod primo quoque tempore offertur nobis, id creat primas species in animo. Quamobrem Præsens tempus primum locum occupavit. Est enim maximè communE omnibus animalibus: Præteritum autem iis tantùm, quæ memoria prædita sunt. Futurum verò etiam paucioribus, quippe quibus datum est prudentiæ officium. Quare tùm, quia nondum erat, tùm quia obscurum & paucis objectum, postremo loco positum fuit. Hæc Scal. c. 113. l. l.*]

¶ Præsens, *quod præsentis temporis actionem vel passionem significat: ut, Amo, amor; amem, amer, amare, amari.*

[*Præsens cùm individuum sit, uniusmodi est apud Latinos & Græcos. Censet autem Scaliger, incommodè dici Præsens, quia conjungat & Præteritum & Futurum, non potiùs debuisse accipere appellationem ex eo quòd Futuro præesset, quàm quòd præteritum sequeretur. Respondet tamen sibiipse, Præsens dictum à præ, id est, ante oculos, non autem ante Futurum. Instans autem ab aliis dici non quasi instabile & momentaneum abeat, sed quod instet cedenti Præterito. Definitionem Præsentis, (cujus pars præteriit, pars futura est) rejicit, quia hoc modo unum tantùm esset Tēpus, & præteritum ac futurum præsentis partes. Falli autem, qui putent, si dicam, scribo versum, præsentem scriptionem habere partē in parte versus perscripta, & partem in scribēda, quas partes conjungam scribendo & continuem, quia hic non est unum præsens, sed multa præsentia, ut cùm dico, Flumen fluit, præsens annus, præsens dies, ut multa præsentia complectar animo. Ita Scribo, non significat partem præscriptam, neq; scribendam,*

bendam, sed hoc quod scribo. Dicimur autē scribere versum, quoniam ejus partes scribimus, cap. 113. l. l. Monet etiam ibidem, quædam tempora in nonnullis Verbis à natura excludi, quorum scilicet significatio iisdem adversetur, ut propriè non posse dici Morior, Expugno urbem, Perficio, Reum perago. Quòd si igitur talia inveniantur, usus potiùs quàm rationi ascribenda.]

Præteritum, *quod actionem passionemvé præteritam significat, Estq; triplex:*

¶ I. Imperfectum, *quod actionem vel passionem cœptam, sed incompletam significat: ut: Amabam, amabar; amarem, amarer.*

[Imperfectum & Plusquamperfectum Scal. non rectè dictum censet, sed Plusquamperfectum appellandum potiùs Transperfectum, eò quod quovis tempore aliud perfectium nō sit. Defendi tamen posse, quia non ab ipso tēpore, sed ab actionibus appellationem desumpserint Grammatici, in quas scilicet cadat imperfectio. Plusquamperfectum autē indicet & ipsum perfectum & tractum interponat inter ipsum & aliam non cohærentem actionem, ut scripseram, cum cœnabam, ubi non cohæret cœna scriptioni, quæ scriptio diu præcessisse & absoluta esse potuit. Esse igitur idem cum Perfecto tanquàm species cum genere, non distinctum tanquàm species à specie, ubicunq; enim ponitur Plusquamperfectum, poni etiam simul perfectum.]

¶ II. Perfectum, *quod actionem vel passionem completam significat: ut, Amavi, amatus sum, vel fui: amaverim, amatus sim vel fuerim, amavisse, amatum esse vel fuisse.*

† Ab hoc tanquam fonte descendunt omnia tempora, quæ desinunt in *Ram, Sem, Rim, Ro, Se*: ut: amaveram, amaverim; amavissem, amavero, amavisse.


[Quæ

[Quæ igitur præterito accidunt, eadem temporibus illis quoque accidunt, ut Syncope quæ accidit præterito, etiam in cæteris illis temporibus reperitur. Pro Audivi igitur, Audiveram, Audiverim, Audivero, Audivisse. per Syncopen dicitur Audij, audieram, audierim, audiero, audiisse. De Syncope illa in singulis conjugationibus agemus, hic sufficiat in genere attigisse.]

† Observandum autem hoc loco, 24. verba reperiri, quæ primam syllabam præteriti perfecti geminant: Conjugationis primæ, *Sto, do:* Secundæ, *pendeo, spondeo, tondeo, mordeo.* Tertiæ, *disco, parco, posco, cado, cædo, pedo, pendo, tendo, tundo, pango, tango, pungo, fallo, pello, cello (inusitat.) cano, curro, pario.*

Sed Composita horum verborum à reduplicatione cessant, ut occído, occidi, à cædo, cecídi. Exceptis iis, quæ à *Do, Sto, Disco, Posco*, oriuntur, quæ reduplicationem semper servant: & nonnullis à *Pungo* & *Curro*: nempe repungo, præcurro, percurro, procurro, excurro: quæ reduplicationem modò servant, modò non servant.

[Repupugi *de talione*, & repunxi *de rationibus*, *Prisc.* præcucurri, *Plaut. Terent.* procucurri, *Liv.* excucurri, *Cæs. Item* percucurri, *apud Cic. & Suet. Sic Addo addidi, Asto, astiti, Addisco, addidici, Reposco, repoposci. Addunt plerique Grammatici Decurro, quod faciat Decurri & decucurri, sed non afferunt reduplicationis exemplum. Compungo facit compunxi. Expungo, expunxi, Dispungo, dispunxi. A Curro composita, Grammatici plerique volunt rectius usurpari absque reduplicatione, quantumvis reduplicationis exempla apud probatissimos autores legantur.* Gell. *lib. 7. c. 9. tradit veteres dixisse peposci, memordi, pepugi, spepondi, cecurri: idque multis testimoniis ex Ennio, Laberio, P. Nigidio, Valerio, Accio, Cæ-*



sare, Plauta, &c. probat. Etiam à Scindo dixisse Sescidi vel Stescidi. A Præmordeo, præmorsi imperfecto: Ab Occurro, occecurri.]

† Perfectum passivum cum suis derivatis circumscribitur per Participium passivum & verbum Substantivum: ut amatus sum vel fui, amatus eram vel fueram.

¶ III. Plusquam perfectum est, *quod actionem passionemvé tempore jam olim præterito completam fuisse significat, ut: amaveram, amatus eram vel fueram, amavissem, amatus essem vel fuissem.*

¶ Futurum, *quo velle nos agere pativé, vel in futuro tempore acturos passurosvé esse significamus: ut: amabo, amabor, amaturum esse vel fuisse, amatum iri.*

[Futurum Græci peculiare constituerunt, Paulò pòst futurum. Latini, quoniam incerto ferretur eventu, omiserunt, & Futurum non diviserunt. Nisi quòd in Subjunctivo extant vestigia divisæ significationis. Nam futurum subjunctivi, partim præteritum, partim futurum esse videtur, ut amavero, amatus ero vel fuero.

Vnde fortassis non malè Futuro-præteritum vel Futurum perfectum appellaretur. Pro eo autem substitui posset verè Futurum, exempl. gr. Amaturus sim, moriturus sim, &c. Ac si quis accuratiùs perpendat, deprehendet, esse Latinis plura tempora, quæ per periphrasin Participii Futuri cum verbo Substantivo exprimuntur, & in Germanica lingua distinctiùs efferri possunt, ut: amaturus fuerim, amaturus fuissem, amandus fuissem, amandus sim, amaturus essem, amaturus erã, &c.

Sic igitur ex Participio cum Verbo Substãtivo, nova quadam Tempora constitui possunt in singulis Conjugationibus:

Indicat. *Amaturus sum,* ich werde lieben.
Amaturus eram, ich wolte lieben.

Ama-

Amaturus fueram, ich wolte geliebet haben / ich hette wöllen lieben.

Subjunct. *Amaturus sim*, ich wölt lieben.

Amaturus essem, ich würde lieben.

Amaturus fuerim, ich hett wöllen lieben.

Amaturus fuissem, ich hett wöllen geliebet haben/ꝛc.

Futuro infinitivi, amaturum esse, *addunt* amatum ire, *quod tamẽ quidam pro præsente habent, velut, Eo amatum, &c. Vix enim futuro significatu reperitur, nisi semel apud Plaut. in Milite: herclè credo ego te facilè impetratum ire.*

De Formatione Temporum dari quidem regulæ possunt; sed præstat ex paradigmatibus haurire pueros usum tempora formandi. De præteriti verò formatione in singulis conjugationibus seorsim agitur.]

MODVS.

* Modi verborum sunt, qui variam in actione & passione voluntatem seu affectum indicant, ut: Indicativus, Imperativus, [*Optativus,*] Subjunctivus, & Infinitivus. *Scalig. modum definit, quo quid certis temporibus statuitur.*

[*Modi vox tria potissimùm significat, 1. dispositionem rei, 2. Metaphys. 2. determinationem rei, apud Petrum Hispanũ in Logic. 3. proprietatem verbi, ut hoc loco, qua, ut Scaliger loquitur, declaramus animi temperationes. Græci modos vocarunt ἐγκλίσεις, sive inclinationes animi, voce fusè & laxè accipiendâ, quia modi etiam ad res animo carentes transferuntur, ut Ignis urit. Originem eorum, caussas, rationes, usus, fusè proponit Scal. lib. 5. cc. l. l. c. 114. Sufficientia eorum sic ostenditur à nonnullis: Omnis Modus rem significat aut determinatè aut indeterminatè. Si indeterminatè, existit infinitivus. Determinatè significat dupliciter, 1. Aut sub ratione conceptus absolutè, & sic est Indicativus. Aut sub ratione conceptus dubitativè, & sic est Cõjunctivus. 2. Aut sub ratione affectus: idq; rursum dupliciter: vel in ordine ad superiores*

periores; unde Optativus, vel in ordine ad inferiores, Unde Imperativus. Verùm dissimuladum his non est, Optativum Modum apud Latinos esse supervacaneum, cùm reverâ non sit in eo ulla nova formatio Temporum, verùm omnia è Subjunctivo sint petita, additâ solùm particulâ optandi. Nulla enim alia sunt, nisi Imperfectum, Plusquamperfectum & Præsens Subjunctivi: Quare ad probationem sufficientiæ Modorum jam allatam, duo respondere possunt. 1 Grammaticum non tantùm Metaphysicè & Physicè cõtemplari adsignificationes vocum, sed inprimis Grammaticè, id est, respiciẽdo terminationem. Cùm igitur distincta à Subjunctivo terminationes in Optativo non sint, idcircò propriè etiam Modum à Subjunctivo distinctum constituere nequit. 2 Imperativum non habere tantùm ordinẽ ad inferiores, sed & ad superiores, ut patet in precibus, & supplicationibus. Quare etiam sic non opus est peculiari Optativo. Porrò sicut non est opus novo Modo Optativo, ita nec Dubitativo, aut Concessivo, aut Potentiali, aut Iurativo: Quia scilicet in cæteris hi ipsi continentur. Nam cùm Modus affectum significet, & affectus porrò infiniti sint, Grammatici illos omnes ad Modos propositos voluerunt revocare, ut in Subjunctivo latiùs dicetur.

Cùm autem hi modi adsignificationes vocum, quas Grãmatica tantùm spectat, ex sententia Rami, non denotent, Ramei illos ex Grammatica prorsus exterminant, flexionemq; verbi secundùm tempora & personas instituunt hoc modo: Præsens Indicativi ipsis est præsens primum, præsens subjunctivi, præsens secundum: imperfectum Indicativi perfectum primum, subjunctivi perfectum secundum: plusquam perfectum Indicativi ipsis est plusquam perfectum primum, Optativi seu Conjunctivi plusquamperfectum secundum. Futurum Indicativi, futurum infectum primum. Imperativus ipsis est futurum infectum secundum. Futurum subjunctivi, futurum perfectum. seu futurum quasi præteritum.]

¶ Indicativus est, qui simpliciter fieri aliquid aut non fieri definit.

[Usus

[Uſus Indicativi. *Indicativus etiam vocatur Definitivus à Priſciano: Finitivus à Diomede, Pronunciativus à Probo & Donato, à nonnullis Promiſſivus, & Interrogativus: modus fatendi à Quintiliano, ſpecies rogandi & pronunciandi à Varrone: ideò quia hoc Modo etiam definimus, pronunciamus, fatemur, rogamus, & reſpondemus. Nomen igitur Indicativi eſt ab officio potiori & magis principali, cùm Modorum uſus ſint diverſi, ut & ſuprà d. Caſib. docuimus. Nam multa dicimus ſine indicatione: Res enim abſentes frequentius narramus. Unde Scaliger dicit eos optimè ſenſiſſe qui Definitivum nominârint, modò accipiamus definiendi vim, non illam exactam Metaphyſicorum: ſed conſtitutionem. Iccirco Poſitivum rectius diceres. Θέμα dixere Græci primam vocem Indicativi, quoniam prima poſita ſit, &c. Præcedit autem Indicativus modos reliquos propter nobilitatem. Solus enim eſt aptus ſcientiis, ſolus pater veritatis, inquit Sca. c.116. cc. l. l. omnium eſt perfectiſſimus, & omnia tempora complexus eſt, cap. 115. Apud Logicos ſola indicativa verba, propriè verba dicuntur, quia, ut rectè ait Ægidius, Logica conſiderat conceptus rerum.*]

¶ *Imperativus eſt, quo in imperando & rogando utimur.*

[Uſus Imperativi. *Imperativo non tantùm imperamus, prohibemus, ſed etiam deprecamur, hortamur, opem & operam imploramus. Imperativus, inquit Scalig. Præſens obtinuit meritò, nihil enim præſentius imperio, nihil inflammatius imperante, omnia ei in mora ſunt. Græci præteritum attribuêre peſſimè; Nemò enim poteſt abſolviſſe, quod nondum cœpit agere: nondum cœperit, qui nondum accepit imperium: quomodo ſimul imperium accipiat, & jam fecerit? &c. Qui negant futurum attribui poſſe Imperativo, Scal. judice, cauſam apponunt ſatis ridiculum: Imperatio, ajunt, ſemper præſens eſt: Non animadvertebant, aliam eſſe perſonam loquentem, aliud de quo loquatur. Alioqui non eſſet in verbis niſi una perſona Prima. Igitur qui loquitur atque imperat,*

præſens



mags anderst gewesen seyn. *Cic. Emerserit ex peculatus judicio*, Es mag seyn/ laß so seyn/ daß er sich herauß gewickelt habe/ &c. *Id.* Futuri. *Age restitero Peripateticis, sustinuero Epicureos*, Wolan/ laß es seyn/ daß ich das thun würde/ oder gethan würde haben/ *Cic. Tu videris*, du magst zusehen. *Cic. Ipse viderit*, da mag er nach dencken/ *Cic. vos videritis*, da mögt ihr mit zusehen/ *Liv. Viderint sapientes*, da mögen die Gelehrten nach dencken/ *Cic. Egeris, quod volueris, vixeris ut libet*, du magst jmmerhin thun/ was du wilt/ magst leben/ wie dich gelüstet/ *Cic. vel Quintil. in Sallust. Ejusmodi locutiones insignam elegantiam habent, & fortassis non malè hi ambo Modi integri Subjunctivo, ut specialia Exempla, adjungerentur, Verepao judice: quandoquidem Optativus, (qui tamen adeò frequens non est,) peculiarem locum obtinuit, cùm potiùs ad subjunctivũ, eadem ratione ut illi, pertineat. Sed hoc discretioni Praeceptorum relinquimus. Ii enim monebunt pueros, unum esse Modum, qui varios usus sustineat. Vnde vel vocetur* Subjunctivus, *(Si particula quaepiam praecedat)* vel Optativus. *(Si praecedat adverbium optandi,)* vel Potentialis, *(Si absolutè ponitur & per Possum, Debeo, Volo, exponi potest,)* vel Concessivus, *(Si per Verbum Licet exponi potest.)*

Imò teste Verepao, nonnulla verba sunt, in quibus vix atque ne vix quidem modus agnoscitur, ut apud Ciceronem: Ego quidem tibi non sim auctor. Virg. At tu dictis Albane maneres, &c.]

[*Observet etiam praeceptor pronunciationem penultimae syllabae in praeterito & futuro, amaverimus, amaveritis, & similibus. Qui Diomedem sequuntur, praeteritum semper corripi, futurum produci docent: quae sententia vel eo nomine nõ videtur reprehendenda, quia aliquod discrimen Temporum monstrat. Sed alij aliter statuunt; ac tradunt, utranque penultimam in Praeterito & Futuro corripi, ut Anton. Bonciarius: qui probat suam sententiam 1. Ab Analogia, quia Tempora quae habent* Is *breve in Singulari, ea habeant* Imus & Itis *breve in plurali. ut* Lego, Legis, legimus, legitis. *Contrà quae*

trà quæ Is *longum in Singulari ea habeant* Imus, & Itis *longum in plurali, ut,* audis, audimus, auditis. *Iam inquit, In futuro* Legeris, *habet* Is *breve, Ergò & in plurali* Legerimus, Legeritis, *brevia erunt. At enim in subiunctivo Singulari* Is *tàm longùm quàm breve legitur. Vid. Poëticam, lib. 1. 2. probat ab Authoritate, quia Ovidius & Virgilius penultimam corripiant: Et quamvis etiam legatur producta apud Ovid. & Ennium & Catullum; tamen id vel fieri per diastolen; vel per Poëticam consuetudinem; quæ prosæ in loquendo nihil præscribat. Nos in hac re cuiq; suum judicium relinquimus, quando non est spes, ut tot capita ad unam sententiam redigantur.*]

§ *Infinitivus per se neque personam certam; neque numerum certum definit, (unde etiam nomen accepit:) sed aliis modis additur, ut perfectum & plenum aliquid significet, ut* amare, *quod omnes personas & numeros complectitur.*

[*Infinitivum Scaliger modum esse negat; quia nullam animi inclinationem ostendit; neque personas neque numeros finiat, unde Græci eum appellaverint ἀπαρέμφατον. Quanquam autem eà ratione modus non sit, quo cæteri, vulgatam tamen sententiam sequi maluimus, quàm de nomine litigiosè contendere; quandoquidem Infinitivus omnes alios modos sequitur, & cum ipsis, Scaligero non infitiente, ad significandum coalescit, & reliqui in ipsum tanquàm in suam formam & quasi animam resolvuntur. Unde Stoici solum Infinitivum verbum esse professi sunt, cætera autem κατηγορήματα, id est; appellationes, ἢ συμβάματα, id est; accidentia Habet autem Infinitivus quædam singularia, quæ observatu non sunt indigna. I. Nonnunquam vicem sustinet nominis & est Generis Neutri; ut scire tuum nihil est, &c. Vide supra pag. 160. II. Nonnunquam usum subit pro participio & Gerundio: ut apud Poëtam, dederatq; comam diffundere ventis. Et Cic 3. de nat. Deor. Magnam molestiam suscepit Chrysippus reddere rationem vocabulorum. III. Infinitivus receptus in futuro suo*

 parti-

ris, atq; ejus loco verbum Fio usurpari consuevit (quod enim efficitur, id eo ipso oritur & existit) fortasse satius fuerit dicere, quòd sit Verbum anomalon varians, quòd præteritum ab inusitato Facior mutuetur. Vbi notandum: Facior quidem non dici, sed composita nihilominus in usu esse, Conficior, Perficior, Efficior, &c. in omnibus temporibus. Similiter & à Fio compositum usurpatur, confio. Sed Desit, Infit, prorsus defectiva sunt. Sunt tamen Grammatici, qui statuunt Fio esse verum passivum verbi Facio, quod in medio relinquimus.]

¶ III. *Substantiva sunt, quæ essentiam rei significant, sine expressâ actione & passione: ut:* Sum, Forem, Existo.

[*De Substantivi verbi necessitate pulchrè disserit Scal. c. 112. l. l. ubi etiam ostendit, non bene substantivū à Grammaticis esse appellatum, cùm non solùm substantiis, verùm & accidentibus competat, ut: est albus est color. At fluxus quidem rerum quæ in tempore fiunt, cæteris verbis significatur, consistentia autem sive terminus formæ non ampliùs fluentis solo verbo substantivo, tàm in accidentalibus, quàm substantialibus. Nihilominus tamen retinendum esse terminum hunc Grammaticum adeò tritum, nemo negaverit. Accedit huc, quòd Frischlinus hanc appellationem à substando deducit, non à substantia: Eò quòd omnibus verbis subsistet, & in illud omnia verba resolvi possint. Cæterùm antiqui usurpârunt etiam verbum Fuo, unde adhuc præteritum Fui in usu est. De Existo dubitari possit, num ad substantiva, an potiùs ad Neutralia passiva referendum sit.*]

* Deponentia sunt, quæ in Or desinunt, nec abjicere possunt literam R, ut, *precor, sequor.*

{*Et significant modò adjectivè tantùm, ut* precor: *modò neutraliter tantùm, ut* mentior: *modò passivè, ut nascor: modò promiscuè: ut,* frustror, *quæ verba promiscuè significantia*)

tantia) Cõmunia *vulgò nominãtur. apud veteres quidẽ frequentia nunc autẽ admodùm rara, ideoq; Deponentia vocãtur, quòd passivam significationem deposuerunt. Manserunt tamen aliqua præterita, promiscuè activè & passivè usurpata. Sic interpretatus. Cic oblitus, Cic. & Virg. comitatus, vetatus, dignatus, Virg. meditatus, Teren. metatus, detestatus. Horat. dilargitus, Sall. velificatus, Iuven. passivè dixerunt, in quibus videdum quid usus receperit. Duriùs verò talia in cæteris temporibus sonant, ideoq; abstinendum iis potiùs fuerit, licet fortè apud autores non contemnendos reperiantur, ut interpretari, in præsenti. frequens apud Augustin. & Paul. I Ctum. & Hieron &c. Sic profitentur, sectari, tuebantur, passivè extãt apud Varr. l. 2. & 3. de re rust. & Tueri passivè apud Iul. l 21 ff Comitari passivè. Lucret. Conspicari passivè Plaut. Epid. Fateatur pass. Cic. 2. Agrar. Loqui, pass. Cel. ad Cicer Sic apud Prisc. observanda potiùs quàm imitanda. Vide etiam Gell. lib. 18. c. 13. Vide & infrà c. 21.]*

NUMERUS.

*Numeri Verborum sunt: Singularis; ut, *lego*, Pluralis: ut, *legimus.*

PERSONA.

*Personæ sunt tres: Prima, ut *lego.* Secunda, ut *legis.* Tertia, ut *legit.*

*Ex persona Verbum 1. est Personale, aut impersonale. 2. Finitum, aut infinitum.

*I. Personale Verbum est, cui Nominativus certæ personæ vel rei præponi potest: ut, *Ego lego, tu legis.*

*Impersonale, quod in tertiis duntaxat personis singularibus variatur, id est, quod certam

personam, remvé Nominativo casu non recipit: ut *legitur, decet.*

[Ne quis argutetur, monendum est, Impersonalia dici secundùm quid; quia nominativus certæ personæ non præcedit. Quando enim nominativus additur, jam transeunt, vel potiùs redeunt ad naturam personalium: ut: Forma viros neglecta decet: Probitas & modestia omnes decent: Non omnes arbusta juvant humilesq; myricæ. Quod tamen in his: Pœnitet, tædet, miseret, oportet, piget, *non rectè fit.]*

¶ *Activa impersonalia hæc ferè sunt: Accidit, Conducit, Constat, Contingit, Decet, Delectat, Est, Evenit, Expedit, Interest, Juvat, Libet, Licet, Liquet, Miseret, Oportet, Piget, Pœnitet, Pudet, Placet, Præstat, Potest, Refert, Restat, Solet, Sufficit, Tædet, Vacat.*

¶ *Passiva impersonalia ab omnibus activis & neutris fiunt, ut: legitur,* man liset / *statur,* man stehet.

¶ *II. Finitum verbum est, quod desinit in numeros & personas, habens à fronte* Nominativum, *ut: Luscinia canit.*

¶ *Infinitum est, quod personis & numero caret, habens à fronte Accusativum, ut: Lusciniam canere.*

[Etsi ad Syntaxin potiùs hæ notæ pertineant, quàm ad Etymologiam, perspicuitatis tamen gratiâ voluimus illas retinere.]

TEM-

TEMPVS.

¶ *Tempus est differentia verbi, secundùm præsens, præteritum & futurum.*

[De ordine Temporum pulcherrimè Scalig. Ordo, inquit, rerum aliter est, quàm Natura. Quod enim præteriit, prius fuit, quàm quod est. Itaq; præteritum primo loco poni debere vidibatur. Verùm quod primo quoque tempore offertur nobis, id creat primas species in animo. Quamobrem Præsens tempus primum locum occupavit. Est enim maximè communè omnibus animalibus: Præteritum autem iis tantùm, quæ memoria prædita sunt. Futurum verò etiam paucioribus, quippe quibus datum est prudentiæ officium. Quare tùm, quia nondum erat, tùm quia obscurum & paucis objectum, postremo loco positum fuit. Hæc Scal. c. 113. l. l.]

¶ Præsens, *quod præsentis temporis actionem vel passionem significat:* ut, Amo, *amor; amem, amer, amare, amari.*

[Præsens cùm individuum sit, uniusmodi est apud Latinos & Græcos. Censet autem Scaliger, incommodè dici Præsens, quia conjungat & Præteritum & Futurum, non potiùs debuisse accipere appellationem ex eo quòd Futuro præesset, quàm quòd præteritum sequeretur. Respondet tamen sibiipse, Præsens dictum à præ, id est, ante oculos, non autem ante Futurum. Instans autem ab aliis dici non quasi instabile & momentaneum abeat, sed quod instet cedenti Præterito. Definitionem Præsentis, (cujus pars præteriit, pars futura est) rejicit, quia hoc modo unum tantùm esset Tẽpus, & præteritum ac futurum præsentis partes. Falli autem, qui putent, si dicam, scribo versum, præsentem scriptionem habere partẽ in parte versus perscripta, & partem in scribẽda, quas partes conjungam scribendo & continuum, quia hic non est unum præsens, sed multa præsentia, ut cùm dico, Flumen fluit, præsens annus, præsens dies, ut multa præsentia complectar animo. Ita Scribo, non significat partem præscriptam, neq; scribendam,

bendam, sed hoc quod scribo. Dicimur autē scribere versum, quoniam ejus partes scribimus, cap. 113. l. l. Monet etiam ibidem, quædam tempora in nonnullis Verbis à natura excludi, quorum scilicet significatio iisdem adversetur, ut propriè non posse dici Morior, Expugno urbem, Perficio, Reum perago. Quòd si igitur talia inveniantur, usui potiùs quàm rationi ascribenda.]

Præteritum, *quod actionem passionemvé præteritam significat, Estq; triplex:*

¶ I. Imperfectum, *quod actionem vel passionem cœptam, sed incompletam significat; ut: Amabam, amabar; amarem, amarer,*

[Imperfectum & Plusquamperfectum Scal. non rectè dictum censet, sed Plusquamperfectum appellandum potiùs Transperfectum, eò quòd quovis tempore aliud perfectum nō sit. Defendi tamen posse, quia non ab ipso tēpore, sed ab actionibus appellationem desumpserint Grammatici, in quas scilicet cadat imperfectio. Plusquamperfectum autē indicet & ipsum perfectum & tractum interponat inter ipsum & aliam non cohærentem actionem, ut scripseram, cùm cœnabam, ubi non cohæret cœna scriptioni, quæ scriptio diu præcessisse & absoluta esse potuit. Esse igitur idem cum Perfecto tanquàm species cum genere, non distinctum tanquàm species à specie, ubicunq; enim ponitur Plusquamperfectum, poni etiam simul perfectum.]

¶ II. Perfectum, *quod actionem vel passionem completam significat: ut, Amavi, amatus sum, vel fui: amaverim, amatus sim vel fuerim, amavisse, amatum esse vel fuisse.*

† Ab hoc tanquam fonte descendunt omnia tempora, quæ desinunt in *Ram, Sem, Rim, Ro, Se:* ut: amaveram, amaverim; amavissem, amavero, amavisse,

[Quæ

[Quæ igitur præterito accidunt, eadem temporibus illis
quoque accidunt, ut Syncope quæ accidit præterito, etiam in
cæteris illis temporibus reperitur. Pro Audivi igitur, Audi-
veram, Audiverim, Audivero, Audivisse. per Syncopen dici-
tur Audij, audieram, audierim, audiero, audisse. De Syncope
illa in singulis conjugationibus agemus, hic sufficiat in gene-
re attigisse.]

† Observandum autem hoc loco, 24. verba
reperiri, quæ primam syllabam præteriti perfecti
geminant: Conjugationis primæ, *Sto, do:* Secun-
dæ, *pendeo, spondeo, tondeo, mordeo.* Tertiæ, *disco,*
parco, posco, cado, cædo, pedo, pendo, tendo, tundo, pan-
go, tango, pungo, fallo, pello, cello (inusitat.) cano, cur-
ro, pario.

Sed Composita horum verborum à reduplicatione cessant, ut occído, occidi, à cædo, cecìdi.
Exceptis iis, quæ à *Do, Sto, Disco, Posco*, oriuntur,
quæ reduplicationem semper servant: & non-
nullis à *Pungo* & *Curro*: nempe repungo, præcur-
ro, percurro, procurro, excurro: quæ reduplica-
tionem modò servant, modò non servant.

[Repupugi *de talione*, & repùnxi *de rationibus*, *Prisc.*
præcucurri, *Plaut. Terent.* procucurri, *Liv.* excucurri,
Cæs. Item percucurri, *apud Cic. & Suet. Sic Addo addidi,*
Asto, astiti, Addisco, addidici, Reposco, repoposci. Addunt ple-
riq; Grammatici Decurro, quod faciat Decurri & decucurri,
sed non afferunt reduplicationis exemplum. Compungo facit
compunxi. Expungo, expunxi, Dispungo, dispunxi. A Curro
composita, Grammatici pleriq; volunt rectius usurpari absq;
reduplicatione, quantumvis reduplicationis exempla apud
probatissimos autores legantur. Gell. lib. 7, c. 9. tradit veteres
dixisse peposci, memordi, pepugi, spepondi, cecurri: idq; multis
testimoniis ex Ennio, Laberio, P. Nigidio, Valerio, Accio, Cæ-

fare, Plauto, &c. probat. Etiam à Scindo dixisse Sescidi vel Sciscidi. A Præmordeo, præmorsi in perfecto: Ab Occurro, occecurri.]

† Perfectum passivum cum suis derivatis circumscribitur per Participium passivum & verbum Substantivum: ut amatus sum vel fui, amatus eram vel fueram.

¶ III. Plusquam perfectum est, *quod actionem passionemvè tempore jam olim præterito completam fuisse significat, ut: amaveram, amatus eram vel fueram, amavissem, amatus essem vel fuissem.*

¶ Futurum, *quo velle nos agere pati vè, vel in futuro tempore acturos passurosvè esse significamus: ut: amabo, amabor, amaturum esse vel fuisse, amatum iri.*

[*Futurum Græci peculiare constituerunt, Paulò pòst futurum. Latini, quoniam incerto ferretur eventu, omiserunt, & Futurum non diviserunt. Nisi quòd in Subjunctivo extant vestigia divisæ significationis. Nam futurum subjunctivi, partim præteritum, partim futurum esse videtur, ut* amavero, amatus ero vel fuero.

Vnde fortassis non malè Futuro-præteritum vel Futurum perfectum appellaretur. Pro eo autem substitui posset verè Futurum, exempl. gr. Amaturus sim, moriturus sim, &c. Ac si quis accuratiùs perpendat, deprehendet, esse Latinis plura tempora, quæ per periphrasin Participii Futuri cum verbo Substantivo exprimuntur, & in Germanica lingua distinctiùs efferri possunt, ut: amaturus fuerim, amaturus fuissem, amandus fuissem, amandus sim, amaturus essem, amaturus erã, &c.

Sic igitur ex Participio cum Verbo Substãtivo, nova quædam Tempora constitui possunt in singulis Conjugationibus:

Indicat. *Amaturus sum*, ich werde lieben.

Amaturus eram, ich wolte lieben.

Ama-

Amaturus fueram, ich wolte geliebet haben / ich hette wöllen lieben.

Subjunct. *Amaturus sim*, ich wölt lieben.

Amaturus essem, ich würde lieben.

Amaturus fuerim, ich hett wöllen lieben.

Amaturus fuissem, ich hett wöllen geliebet haben/*c*.

Futuro infinitivi, amaturum esse, *addunt* amatum ire, *quod tamẽ quidam pro præsente habent, velut, Eo amatum, &c. Vix enim futuro significatu reperitur, nisi semel apud Plaut. in Milite: herclè credo ego te facilè impetratum ire.*

De Formatione Temporum dari quidem regulæ possunt; sed præstat ex paradigmatibus haurire pueros usum tempora formandi. De præteriti verò formatione in singulis conjugationibus seorsim agitur.]

MODVS.

* Modi verborum sunt, qui variam in actione & passione voluntatem seu affectum indicant, ut: Indicativus, Imperativus, [*Optativus,*] Subjunctivus, & Infinitivus. *Scalig. modum definit, quo quid certis temporibus statuitur.*

[*Modi vox tria potissimùm significat, 1. dispositionem rei, 2. Metaphys. 2. determinationem rei, apud Petrum Hispanũ in Logic. 3. proprietatem verbi, ut hoc loco, qua, ut Scaliger loquitur, declaramus animi temperationes. Græci modos vocarunt ἐγκλίσεις, sive inclinationes animi, voce fusè & laxè accipiendâ, quia modi etiam ad res animo carentes transferuntur, ut Ignis urit. Originem eorum, caussas, rationes, usus fusè proponit Scal. lib. 5. de c. l. l. c. 114. Sufficientia eorum sic ostenditur à nonnullis: Omnis Modus rem significat aut determinatè aut indeterminatè. Si indeterminatè, existit infinitivus. Determinatè significat dupliciter. 1. Aut sub ratione conceptus absolutè, & sic est Indicativus. Aut sub ratione conceptus dubitativè, & sic est Cõjunctivus. 2. Aut sub ratione affectus: idq; rursum dupliciter: vel in ordine ad superiores,*

periores, unde Optativus, vel in ordine ad inferiores, Unde Imperativus. Verùm dissimuladum his non est, Optativum Modum apud Latinos esse supervacaneum, cùm reverâ non sit in eo ulla nova formatio Temporum, verùm omnia è Subjunctivo sint petita, additâ solùm particulâ optandi. Nulla enim alia sunt, nisi Imperfectum, Plusquamperfectum & Præsens Subjunctivi: Quare ad probationem sufficientiæ Modorum jam allatam, duo respoderi possunt. 1 Grammaticum non tantùm Metaphysicè & Physicè cõtemplari adsignificationes vocum, sed inprimis Grammaticè, id est, respiciẽdo terminationem. Cùm igitur distincta à Subjunctivo terminationes in Optativo non sint, iccircò propriè etiam Modum à Subjunctivo distinctum constituere nequit. 2 Imperativum non habere tantùm ordinẽ ad inferiores, sed & ad superiores, ut patet in precibus, & supplicationibus. Quare etiam sic non opus est peculiari Optativo. Porrò sicut non est opus novo Modo Optativo, ita nec Dubitativo, aut Concessivo, aut Potentiali, aut Iurativo: Quia scilicet in cæteris hi ipsi continentur. Nam cùm Modus affectum significet, & affectus penè infiniti sint, Grammatici illos omnes ad Modos propositos voluerunt revocare, ut in Subjunctivo latiùs dicetur.

Cùm autem hi modi adsignificationes vocum, quas Grãmatica tantùm spectat, ex sententia Rami, non denotent. Ramæi illos ex Grammatica prorsus exterminant, flexionemq́; verbi secundùm tempora & personas instituunt hoc modo: Præsens Indicativi ipsis est præsens primum, præsens subjunctivi, præsens secundum: imperfectum Indicativi perfectum primum, subjunctivi perfectum secundum: plusquam perfectum Indicativi ipsis est plusquam perfectum primum, Optativi seu Conjunctivi plusquamperfectum secundum. Futurum Indicativi, futurum infectum primum. Imperativus ipsis est futurum infectum secundum. Futurum subjunctivi, futurum perfectum, seu futurum quasi præteritum.]

¶ Indicativus est, *qui simpliciter fieri aliquid aut non fieri definit.*

[Usus

[Usus Indicativi. *Indicativus etiam vocatur Defini-
tivus à Prisciano: Finitivus à Diomede, Pronunciativus à
Probo & Donato, à nonnullis Promissivus, & Interrogati-
vus: modus fatendi à Quintiliano, species rogandi & pro-
nunciandi à Varrone: ideò quia hoc Modo etiam definimus,
pronunciamus, fatemur, rogamus, & respondemus. Nomen
igitur Indicativi est ab officio potiori & magis principali, cùm
Modorum usus sint diversi, ut & suprà d. Casib. docuimus.* 56.
*Nam multa dicimus sine indicatione: Res enim absentes fre-
quentius narramus. Unde Scaliger dicit eos optimè sensisse, qui
Definitivum nominârint, modò accipiamus definiendi vim,
non illam exactam Metaphysicorum: sed constitutionem. Id-
circo Positivum rectius diceres. Θέσιν dixere Graeci primam
vocem Indicativi, quoniam prima posita sit, &c. Praecedit
autem Indicativus modos reliquos propter nobilitatem. So-
lus enim est species scientiis, solus pater veritatis, inquit Sca.
c.116. cc. l l. omnium est perfectissimus, & omnia tempora
complexus est, cap. 115. Apud Logicos sola indicativa verba,
propriè verba dicuntur; quia, ut rectè ait Ægidius, Logica
considerat conceptus rerum.*]

§ Imperativus est, quo in imperando & rogando
utimur.

[Usus Imperativi. *Imperativo non tantùm imperamus,
prohibemus, sed etiam deprecamur, hortamur, opem & o-
peram imploramus. Imperativus, inquit Scalig. praesens ob-
tinuit meritò, nihil enim praesentius imperio, nihil inflam-
matius imperante, omnia ei in mora sunt. Graeci praeteritum
attribuêre pessimè; Nemò enim potest absolvisse, quod non-
dum coepit agere: nondum coeperit, qui nondum accepit impe-
rium: quomodo simul imperium accipiat, & jam fecerit? &c.
Qui negant futurum attribui posse Imperativo, Scal. judice,
causam apponunt satis ridiculum: Imperatio, ajunt, semper
praesens est: Non animadvertebant, aliam esse personam lo-
quentem, aliud de quo loquatur. Alioqui non esset in verbis
nisi una persona Prima. Igitur qui loquitur atque imperat,*
praesens

præsens est: at res imperata non est præsens. Igitur & nunc fieri possit, & mox, & cras: ut Græci, quos isti nimis ubiq; sequuntur, à prudentia Latinorum hac quoq; sint in parte separati. Glossa Doctoris sancti, primâ persona singulari ideò Imperativum carere dicit, quia nemo sibi imperare possit. At quanquam res vera sit, ratio tamen solida non est: Evenit enim aliquando, ut actio etiam in nobis ipsis exprimatur, propterea quòd animi nostri vis, aut est recta, cùm alia ab seipsa cognoscit, aut reflexa, cùm seipsam contemplatur. Itaq; & imperamus nobis ipsi, & optamus de nobis, quod in nostra situm est potestate, Scal. c.114. de l.l. Ad Imperativum etiam pertinet Precativus, quem alii ab eo fecerunt, propterea quia Deo non possimus imperare. At rectè hanc rationē ridet Scal. Etenim si iccirco alius est, quia Deo non possumus imperare: atq; dicimus, Da propriam Thymbrae domum: ita etiam Amo, verbum non erit Activum, cùm dicam, Amo Deum: Deus enim non patitur. Sanè modus ille rectiùs Postulativus dictus esset, cujus ratione comprehendatur etiam Hortativus, &c.]

† Imperativus patitur Apocopen in quatuor verbis: *Dic, Duc, Fac, & Fer*: pro dice, duce, face, fere. Quod & Composita imitantur: prædic, adduc, calefac, satisfac, adfer, &c. Composita autem à Facio A in I mutantia nihil mutant: ut, Confice, perfice, effice, refice, &c.

[Antiqui verò dicebant regulariter, Dice, Duce, Face, quæ apud Poëtas leguntur, præsertim Comicos.]

† Optativum vocant, quo optamus, non definimus quid fiat.

[Ejus notas assignant Adverbia optandi, ut, ô, si, ô si, ô utinam, Vt, Quàm: O mihi præteritos referat si Iupiter annos: O utinam cœlique Deis, Erebique liceret, &c. *Vide paulò antè.]*

¶ *Subjunctivus est, qui nisi alteri orationi subjiciatur, per se sententiam non absolvit.*

[In

[*In appellatione Subjunctivi diversitas quadam est. Nam cùm reliqui modi nomen habeant à significatione, hic sortitus est suum à constructione, nisi enim alterum verbum sibi conjunctum habeant, sententiam absolvere nequit. Ejus nota sunt particula: Cùm, quòd, si, ne, ni, nisi, quamvis, licet, ut, ut ne, quò, dum pro dummodo, &c. Rectè igitur se erit Praeceptor, si non solùm particulam Si, sed etiam à iis aequipollentes, in paradigmate proponat.*

In Subjunctivo continentur etiam Modus Potentialis, & Concessivus seu permissivus.

Potentialis est, *qui potentiam seu facultatem, debitum, aut voluntatem adsignificat, & per verba, possum, volo, debeo, exponi potest. Estq; magna elegantia, & non abs re Latinae lingua lumen à Verepaeo appellatur. Et is Modus Futurum in RO non habet, sed ejus loco usurpat Praeteritum in RIM.*

Exempla huius Modi. Praesentis. *Frãgas citiùs quàm corrigas, Quintil. Pace tua dixisse velim, Ovid. Plus agas, Ter. Videas plerosq; ita percitos. Id. Videas & flumina sicca, Virg. Quid clamem? aut quid querar? Terent.* Imperfecti. *Ferreus essem, nisi te amarem, Cic. Hem, praediceres, Ter. Diceres, quid feci? Terent. Plusquàm* Perfecti. *Quod petis hinc, propiore loco, Romane, petisses. Ovid. Faces in castra tulissem, Virg.* Futuri. *Non facilè dixerim, Cic. Nec verò reprehenderim, Id. Non negaverim, Quint. Injussu tuo nũquàm pugnaverim, Liv. Pace tua dixerim, Cic Aufugerim potiùs quàm redeam, Terent. Maluerim veris offendere, quàm placere adulando, Senec. Vbivis faciliùs passus sim, quàm in hac re me deludi, Terent. Et similia innumera, quae non possunt in Paradigmate Germanicè omnia exprimi. Quare praeceptorum industriae relinquuntur.*

Concessivus *Modus est, qui concessionem significat, cujus usus potissimùm est in secundis & tertiis personis, excepto futuro. Exempla Concessivi modi.* Praesentis. *Sit Ennius sanè, ut est. Cic.* Er mag seyn wie er ist. *Confringat iste consilia Senatoria,* Er mag jmmerhin zerstören. *Cic.* Perfecti. *Pueris a iis malus erus, improbus Consul, &c.* Er

mag

mags anders gewesen seyn. *Cic. Emerserit ex peculatus judicio*, Es mag seyn/ laß so seyn/ daß er sich herauß gewickelt habe/ ꝛc. *Id.* Futuri. *Age restitero Peripateticis, sustinuero Epicureos,* Wolan/ laß es seyn/ daß ich das thun würde/ oder gethan würde haben/ *Cic. Tu videris*, du magst zusehen. *Cic. Ipse viderit*, da mag er nach dencken/ *Cic. vos videritis*, da mögt ihr mit zusehen/ *Liv. Viderint sapientes*, da mögen die Gelehrten nach dencken/ *Cic. Egeris, quod volueris, vixeris ut libet,* du magst jmmerhin thun/ was du wilt/ magst leben/ wie dich gelüstet/ *Cic. vel Quintil. in Sallust. Ejusmodi locutiones insignam elegantiam habent, & fortassis non male hi ambo Modi integri Subjunctivo, ut specialia Exempla, adjungerentur, Verepao judice; quandoquidem Optativus, (qui tamen adeò frequens non est,) peculiarem locum obtinuit, cùm potiùs ad subjunctivũ, eadem ratione ut illi, pertineat. Sed hoc discretioni Praceptorum relinquimus. Ii enim monebunt pueros, unum esse Modum, qui varios usus sustineat. Vnde vel vocetur* Subjunctivus, (*Si particula quapiam pracedat*) *vel* Optativus. (*Si pracedat adverbium optandi,*) *vel* Potentialis, (*Si absolutè ponitur & per Possum, Debeo, Volo, exponi potest,*) *vel* Concessivus, (*Si per Verbum Licet exponi potest.*)

Imò teste Verepao, nonnulla verba sunt, in quibus vix atque ne vix quidem modus agnoscitur, ut apud Ciceronem: Ego quidem tibi non sim auctor. Virg. At tu dictis Albane maneres, &c.]

[*Observet etiam praceptor pronunciationem penultima syllaba in praterito & futuro, amaverimus, amaveritis, & similibus. Qui Diomedem sequuntur, prateritum semper corripi, futurum produci docent: qua sententia vel eo nomine nõ videtur reprehendenda, quia aliquod discrimen Temporum monstrat. Sed alij aliter statuunt; ac tradunt, utranque penultimam in Praterito & Futuro corripi, ut Anton. Bonciarius: qui probat suam sententiam 1. Ab Analogia, quia Tempora qua habent* Is *breve in Singulari, ea habeant* Imus & Itis *breve in plurali. ut* Lego, Legis, legimus, legitis. *Contrà qua*

irà quæ Is *longum in Singulari,ea habeant* Imus, & Itis *longum in plurali,ut*, audis, audimus, auditis. *Iam inquit, In futuro* Legeris, *habet* Is *breve, Ergò & in plurali* Legerimus, Legeritis, *brevia erunt. At enim in Subiunctivo Singulari* Is *tàm longum quàm breve legitur. Vid. Poëticam, lib. 1. 2. probat ab Authoritate, quià Ovidius & Virgilius penultimam corripiant: Et quamvis etiam legatur producta apud Ovid. & Ennium & Catullum; tamen id vel fieri per diastolen; vel per Poëticam consuetudinem; quæ prosa in loquendo nihil præscribât. Nos in hac re cuiq; suum judicium relinquimus, quàndo non est spes, ut tot capità ad unam sententiam redigantur.*]

¶ *Infinitivus per se neque personam certam, neque numerum certum definit, (unde etiam nomen accepit:) sed aliis modis additur, ut perfectum & plenum aliquid significet, ut* amare, *quod omnes personas & numeros complectitur.*

[*Infinitivum Scaliger modum esse negat; quia nullam animi inclinationem ostendit; neque personas neque numeros finiat, unde Græci eum appellaverint ἀπαρέμφατον. Quanquam autem eà ratione modus non sit, quo cæteri, vulgatam tamen sententiam sequi maluimus, quàm de nomine litigiosè contendere; quandoquidem Infinitivus omnes alios modos sequitur, & cum ipsis, Scaligero non inficiente, ad significandum coalescit, & reliqui in ipsum tanquàm in suam formam & quasi animam resolvuntur. Unde Stoici solum Infinitivum verbum esse professi sunt, cætera autem κατηγορήματα, id est, appellationes, καὶ συμβάματα, id est, accidentia. Habet autem Infinitivus quædam singularia, quæ observatu non sunt indigna. I. Nonnunquam vicem sustinet nominis & est Generis Neutri; ut scire tuum nihil est, &c. Vide supra pag. 10. II. Nonnunquam usum subit pro participio & Gerundio: ut apud Poëtam, dederatq; comam diffundere ventis. Et Cic. 3. de nat. Deor. Magnam molestiam suscepit Chrysippus reddere rationem vocabulorum. III. Infinitivus receptus in futuro suo*

p. 263, 270

participium sibi simile efficit, ut etiam Genus amittat & Numerum. ut Amaturum esse, tam de fœmina, quàm de pluribus dicitur. Sic Cicero: Hanc *sibi* rem *præsidio sperant* futurum. *IV. Illud quoq; habuit peculiare, duo verba ut sibi asciscat, Esse & Ire, quorum societate formet futurum suum: Amatum ire, Amatum iri, Scal. c. 117. &c. l. l. Plura videantur in Syntaxi.*] p. 342.

¶ *Cæterùm verba Participialia, Gerundia & Supina, cùm significationem Infinitivi habeant, rectè eidem subjiciuntur.*

[*Studiosè hic præterimus contentionem quorundam, utrùm Supina & Gerundia Verba sint, an Participia? quæ vel Verepæi judicio curiosa est, & ad promovenda Latinæ linguæ studia nihil confert. Illud etiam monendum, quòd Gerundia frequentiùs significent activè, vel neutraliter, rariusculè verò & infrequentiùs, ut Scal. loquitur, passivè. Vt apud Ciceron. Verba ad audiendum jucunda, id est, auditu. Res difficilis adjudicandum, id est, judicatu. Res ad patiendum tolerandumq; difficilis, id est, toleratu. Sic & illud: Ne fando quidem auditum est, Memoria excolendo augetur, id est, dum excolitur, Iustinus tam in proœmio, quam in 17. libr. ex ipso Trogo etiam primum casum passivè posuit: Athenas erudiendi causâ missus, ut observavit Scalig. Sufficiant igitur illa Scaligeri. Ex his autem patet, inquit capitul. 143. esse participia, tùm natura, tùm usu non absimili, atq; etiam forma. Habent enim casum, ut ad vescendum, apud M. Tullium & ob tacendum, apud Gracchum. Neq; tempus, ut ajunt, amisere: Nam tametsi cum præteritis ponuntur, sic, Ivi ad pugnandum: tamen pugna futura fuit, quæ nondum esset: alioqui nequeas dicere Marius deduxerat legiones, facturas hostibus pugnandi copiam. Pugnando autem paulò liberiùs elapsum est. Pugnando vinco: id est, dum pugno: ac potiùs causam præcedit, quàm constituat: vincendi enim causâ pugnamus.* Significationes *quoque ita tenuere, ut casus suos expetant: Studio visendi urbem.*]

¶ GERUN-

¶ GERUNDIA *dicta sunt, quòd gerere aliquid & administrare significent, ut surgere ad dicendum. Quorum tres sunt voces,* Di, Do, Dum; *ut legendi, legendo, legendum.*


Habentq́; simpliciter significationem Infinitivi.

[Cornelio Valerio sic dicuntur, quòd verbi sui consociationem à tergo gerant. Scalig. vocem inde flectit, ut quia gerendæ res essent, quæ voces hoc indicarent, Gerundia dicerentur, libr. 7. de cc. LL. c. 143. Alii ab eorum usu vocant Nomina Participialia: Neq; enim esse pura nomina, quæ regerent casum, neq; pura participia, quæ Passiva voce gererent activam significationem, Scal. ibid.]

¶ SUPINIS *videtur nomen inde factum, quòd ante se casum non habent. Quorum duæ voces sunt,* Um & U; *ut: lectum lectu.*

Ita ut prior vox in Um *significet activè vel neutraliter: ut, venio spectatum: eo cœnatum: posterior autem in* U *passivè: ut, ô rem non modò visu fœdam, sed etiam auditu.* Cic.

[Probus Supina dici autumat, quòd nec certum numerum, nec personam nec significationem habeant. Plauto prior vox supinorum etiam passivè significat, ut: Coctum ego, non vapulatum conductus sum, hoc est, ut vapulem. Sed hæc significatio est, ex vi & significatione Verbi. Scalig. de derivatione Supinorum haud sanè constare dicit. Nam quòd ajunt veteres, id ea causa factum, quia à præteritis passivis ducta essent, quæ præterita veteres Supina appellarint: non solùm non solvis quæstionem, sed etiam auget. Nam quamobrem Præterita, eaq; passiva tantùm hoc nomine dixerint illi? Nos, inquit, in libris historiarum Aristotelis ostendimus, quid pronum, quid Supinum sit. Neq; verò à Theodoro τὸ ὕπτιον esse conceptum, ut Latinis auribus satisfiat. Hic verò ita placet sata-



gere: Gerundium à Supino ita differre, sicut Futurum à Præterito, ut aliud sit, Faciendum, aliud, Factum. Itaq; quod gerendum esset, strenui viri ac fortis judicarent. Contrà quod jam esset gestum, minùs excitare nos ad agendum. Itaq; Tityrum supinum facit Poëta, sub arbore, lentum, scilicet; ac recubantem, Melibæum certantem cum fortuna, ac res suas magis strenuè quàm feliciter gerentem. Igitur, eo ad pugnandum, gerendam rem significat in viro diligenti. Venio pugnatu, rem gestam in homine, qui possit otio parto frui. Hæc esto causa, quæ persuaserit antiquis; ut Præterita passiva, supina dicerentur, ut posset in utram aurem, atque etiam supinus cubare.

Pro Coronide *illud notandum, quomodo veteres Modos protulerint. Quòd Imperativum elocuti fuerint ad monosyllabum apposita E, ut Dice, Duce, Face, suprà dictum est. Subjunctivum verborum tertiæ Conjugationis formarunt per Em vel Im, ut Attingem, Dicem apud Caton. Festum. Quintil. (pro, attingam, dicam: (Sic remittes (pro remittis) dixit Terent. Arcessit, Quærit, pro Arcessat, Quærat, Plaut. in Menæchm. & Aulul.) Edim, edit, (pro Edam, edat, Idem in Pan. Trinu. Cato de re rust.) Comedim, Cic. ad Pæt. Hor. Duim, (pro Dem.)*

Imperfecta Indicativi verborum quæ in Io desinunt, contraxerunt & diminuerunt in syllabis mediis, ut custodibam, Catull. gestibam Plaut. Lenibam, nutribam, virg. Sævibam, Scibam, Lucret. Terentius: (pro custodiebam, gestiebam, leniebam, nutriebam, &c.) Sic & pro perfectis, Dixisti, sensisti, revixisti, &c. Dixti, sensti, revixti, præscripsti. In præteritis Infinitivi, pro abstraxisse, abstraxe, Lucret. Cesse, cresse, Idem & Cicer. 15. ad Attic. Divisse. Horat. Indixe, produxe, Subduxe, Terent. Varro. Promisse, Catull. Sumsit, Nævius Triphallo. Consumse, Lucret. Vide Auson. Popm. de usu antiq. locut. cap. 12. & Dn. Taubman. Plaut. passim. Quomodo Modi variari in oratione eleganter possint, vide Erasm. libr. 1. de copia Verb.]

CAPVT XVII.

DE CONIUGATIONE *prima.*

* Conjugatio eſt variatio verbi ſecundûm modos, tempora, & perſonas.

[Ramai conjugationes ex prima perſona futuri Indicati-
vi in Bo *vel* Am *deſinente diſtinguunt, iisq; prima conjuga-*
tio vulgaris eſt conjugatio in Bo *prima, ſecunda in* Bo *ſecun-*
da, tertia in Am *prima, quarta in* Am *ſecunda. Iohannes*
Sambucus in Epiſt. ad Friſchl. Caſus, Declinationis, *Conju-*
gationis, conſtructionis & infinitorum aliorum appellationes
rejicit, & quid velint, neſcit. At ſi tam rigidi cenſores eſſe vel-
lemus, nulli termino technico aut voci didacticæ locus in arte
concedendus foret. In hujuſmodi verbaliſtas, qui uſitatos, &
non omni modo Latinos terminos exterminant, invehitur me-
ritò Muretus ſuper Epiſt. 59. Seneca. & Rodolph. Agricol. lib.
2. de invent. cap. 6. & Scal. exerc. 307. ſ. 20. & 359. ſect. 2.
cùm ait: Voces didacticæ rudibus ingeniis acerbæ, delicatis ri-
diculæ ſunt. Idem facit Zabarel. in præfat. libr. de Natur. Log.
& ex veteribus Plutarch. in libell. de profect. virtut. & Senec.
Epiſt. 59.]

* Conjugationes verborum ſunt quatuor.

[Donatus tres tantùm Verborum Conjugationes ponit: &
quanquam à nobis quantùm ad rem non diſſideat, cum quar-
tam comprehendat ſub tertia, omninò tamen res diſtinctæ, di-
ſtinctè tradi debent.]

* Prima conjugatio eſt, cuius caracter eſt A longum ante Re in Infinitivo, ut *amáre, beáre.*

[Conjugationes diverſimodè diſtinguunt Donatus, Remi-
gius, & Alexander. Donatus enim definit & diſcernit penes

 ſecun-

gere: Gerundium à Supino ita differre, sicut Futurum à Praeterito, ut aliud sit, Faciendum, aliud, Factum. Itaq; quod gerendum esset, strenui viri ac fortis judicarent. Contrà quod jam esset gestum, minùs excitare nos ad agendum. Itaq; Tityrum supinum facit Poëta, sub arbore, lentum, scilicet; ac recubantem, Melibaeum certantem cum fortuna, ac res suas magis strenuè quàm feliciter gerentem. Igitur, eo ad pugnandum, gerendam rem significat in viro diligenti. Venio pugnatu, rem gestam in homine, qui possit otio parto frui. Hac esto causa, quae persuaserit antiquus, ut Praeterita passiva, supina dicerentur, ut posset in utram aurem, atque etiam supinius cubare.

Pro Coronide illud notandum, quomodo veteres Modos protulerint. Quòd Imperativum elocuti fuerint ad monosyllabum apposita E, ut Dice, Duce, Face, suprà dictum est. Subjunctivum verborum tertiae Conjugationis formarunt per Em vel Im, ut Attingem. Dicem apud Caton. Festum. Quintil. (pro, attingam, dicam: (Sic remittes (pro remittis) dixit Terent. Arcessit, Quarit, pro Arcessat, Quaerat, Plaut. in Menaechm. & Aulul.) Edim, edis, (pro Edam, edat, idem in Pan. Trinu. Cato de re rust.) Comedim, Cic. ad Pat. Hor. Duim, (pro Dem.)

Imperfecta Indicativi verborum quae in Io desinunt, contraxerunt & diminuerunt in syllabis mediis, ut custodibam, Catull. gestibam Plaut. Lenibam, nutribam, virg. Saevibam, Scibam, Lucret. Terentius: (pro custodiebam, gestiebam, leniebam, nutriebam, &c.) Sic & pro perfectis, Dixisti, sensisti, revixisti, &c. Dixti, sensti, revixti, praescripsti. In praeteritis Infinitivi, pro abstraxisse, abstraxe, Lucret. Cesse, cresse, Idem & Cicer. 15. ad Attic. Divisse. Horat. Indixe, produxe, Subduxe, Terent. Varro. Promisse, Catull. Sumse, Naevius Triphallo. Consumse, Lucret. Vide Auson. Popm. de usu antiq. locut. cap. 12. & Dn. Taubman. Plaut. passim. Quomodo Modi variari in oratione eleganter possint, vide Erasm. libr. 1. de copia Verb.]

CAP.

CAPVT XVII.

DE CONIUGATIONE *prima.*

* Conjugatio eſt variatio verbi ſecundûm modos, tempora, & perſonas.

[Ramai conjugationes ex prima perſona futuri Indicativi in Bo *vel* Am *deſinente diſtinguunt, iisq́; prima conjugatio vulgaris eſt conjugatio in* Bo *prima, ſecunda in* Bo *ſecunda, terria in* Am *prima, quarta in* Am *ſecunda. Iohannes Sambucus in Epiſt. ad Friſchl. Caſus, Declinationis, Conjugationis, conſtructionis & infinitorum aliorum appellationes rejicit, & quid velint, neſcit. At ſi tam rigidi cenſores eſſe vellemus, nulli termino technico aut voci didacticæ locus in arte concedendus foret. In hujuſmodi verbaliſtas, qui uſitatos, & non omni modo Latinos terminos exterminant, invehitur meritò Muretus ſuper Epiſt. 59. Senecæ, & Rodolph. Agricol. lib. 2. de invent. cap. 6. & Scal. exerc. 307. ſ. 20. & 359. ſect. 2. cùm ait: Voces didacticæ rudibus ingeniis acerbæ, delicatis ridiculæ ſunt. Idem facit Zabarel. in præfat. libr. de Natur. Log. & ex veteribus Plutarch. in libell. de profect. virtut. & Senec. Epiſt. 59.]*

* Conjugationes verborum ſunt quatuor.

[Donatus tres tantùm Verborum Conjugationes ponit: & quanquam à nobis quantùm ad rem non diſſideat, cum quartam comprehendat ſub tertia, omninò tamen res diſtinctæ, diſtinctè tradi debent.]

* Prima conjugatio eſt, cuius caracter eſt A longum ante *Re* in Infinitivo, ut *amáre, beáre.*

[Conjugationes diverſimodè diſtinguunt Donatus, Remigius, & Alexander. Donatus enim definit & diſcernit penes

secundam personam præsentis Indicativi. Remigius, & Melanchthon quem nos sequimur, distinguit penes Infinitivum. Alexander distinguit penes secundam personam Imperativi, quæ sententia mala non est, præter quàm quod non procedit in Imperativis Dic, duc, fac, fer, quæ Apocopen patiuntur. Item in Imperativis correptis secundæ Conjugationis, ut Cave, Vale.]

¶ *Excipe Do cum 4. compositis, quæ A breve habent in Infinitivo, ut Dăre, Venundăre, Pessundăre, Circundăre, Satisdăre.*

[*Cætera composita sunt tertiæ conjugationis, ut Abdo, abdere, Addo, addere, Condo, condere. Cavendum hîc, ne hæc verba, Abundo, Exundo, Inundo, Redundo, pro compositis à Do habeantur. Sunt enim à nomine Vnda, & retinent A longum in Infinitivo, ut abundâre, redundâre, &c.*]

† Quòd si verbum Deponens sit forma in O fingenda est aut characteristica ex secunda persona præsentis Indicativi ante *Re* vel *Ris* eruenda, ut æmulor, æmularis vel æmulare: abominor, abominaris vel abominare. Sic etiam in cæteris conjugationibus, ut vereor, vereris vel verere, loquor, loqueris, vel loquere: largior, largiris, largire.

[*Nisi malis ab Imperativo præsenti Characteristicam sumere, quod eodem recidit.*]

* Habet hæc in præterito perfecto *Avi*, in supino *Atum*, ut: amo, amavi, amâtum, Abnego, abnegávi, abnegátum. Revélo, revelávi, revelátum.

† Notanda hic syncope præteriti quæ in secunda singulari, & secunda ac tertia pluralibus personis, frequenter occurrit, ut,

Pro

Pro amavisti, *amâsti.*
Pro amavistis, *amâstis.*
Pro amaverunt, *amârunt.*
Sic in temporibus derivatis;
Pro amaveram, *amâram.*
Pro amaverim, *amârim.*
Pro amavissem, *amâssem.*
Pro amavero, *amâro.*
Pro amavisse, *amâsse.*
in omnibus personis, excepta prima plurali.

[*Non enim commodè dicetur, amaramus, amarimus. Quanquam amassemus rectè dici potest. Itaq; videndū, quid usus admittat.*]

¶ *Excipiuntur sedecim Præteritum variantia;*

1. Do, dedi, datum, *cum quatuor compositis. Venundo, Pessundo, Circundo, Satisdo.*

2. Sto, steti, statum: *cum compositis, quæ præteritum in* stiti, *supinum in* stĭtum *&* statum *formant.*

[*Quorum participia* aturus *sunt frequentiora, ex Verepæi sententia, ut, constaturus, præstaturus, &c.*]

3. Juvo juvi, jutum.

4. Lavo, lavi, lautum, lotum, & lavatum.

[*Lavi est ab antiquo lavo, lavis, lavere, in tertia Conjugatione. Supinum verò Lautum, in Lotum mutatione diphthongi transiit, sicut plaustrum, plostrum, plaudo, plodo. Lavatum est apud Terent. Lavaturus apud Ovidium, versus.* Ex Lavo fit lavi, lautum lotum atq; lavatum.]

5. Poto, potavi, potum & potátum.

Sequentia in Ui *præteritum formant.*

6. Crepo, crepui, crépitum *cum compositis. Præter* Increpo, *quod increpui, increpitum, (pro*

ſtrepitu,) *increpavi, increpatum (pro objurgatione) facit.* Diſcrepo, *quod frequentiùs diſcrepavi, diſcrepatum facit.*

7. Cubo, cubui, cúbitum *cum compoſitis.*

8. Domo, domui, dómitum.

9. Sono, ſonui, ſónitum.

10. Tono, tonui, tónitum.

11. Veto, vetui, vétitum.

12. Frico, fricui, frictum.

13. Seco, ſecui, ſectum.

14. Neco, necui, & necávi, necátum. *Compoſitum Eneco, enecui & enecávi, enectum & enecátum.*

[*Volunt etiam Nectum dici: hoc diſcrimine, ut Necui, nectum, de ſuffocatione fame, frigore, &c. Necavi verò & necatum, de ſolo ferro intelligatur, Diomed. & Priſc. Sed hoc diſcrimen non ſemper ſervatur. Valla ita diſtinguit: Necavi & necatum generalem habere ſignificationem, ſed Necui, nectū, ſpecialem ſi addatur ſpecies mortis. Verùm & hoc fallit, ut fame necatus, &c. Porrò Nectus aut rarò aut nunquàm in ſimplici legitur, ſed compoſitum Enectum.*]

15. Mico, micui, *cum compoſitis: Præter* dimico, dimicávi, dimicátum.

[*Ovidius tamen Dimicuiſſe dixit, pro dimicaviſſe, fortaſſe propter metrum, ut: Hæc tibi ſit pugna dimicuiſſe ſatis.*]

16. Plico, plicui, & plicávi, plícitum & plicátum, *Sic tria compoſita,* Applico, Explico, Implico, *utroq; modo faciunt præteritum & ſupinum. Sed cætera compoſita, tantùm Avi, Atum habent, ut: Dúplico, duplicavi, duplicatum. Súpplico, ſupplicavi, ſupplicatum: Réplico, replicavi, replicatum.*

[*Verepaus etiam, complico, utroq; modo præteritum & ſupinum*

pinum formare vult, quamvis sæpiùs Avi, Atum. Sed non affert exemplum in UI. ITUM. *Applico sæpiùs applicui facere idem observat, quando ad navigationem spectat. Explico de interpretatione sæpiùs explicavi, explicatum : Aliàs explicui explicitum.*]

Versus de præteritis in UI.

*Dic Crepui, Cubui, Domui, Sonui, Tonuiq;
Et Vetui, Fricui, secui, Necui, Micuiq;,
Et quod utroq; modo, Plicui facit atq; plicavi.

[*Antiqui pleraq; hæc verba in* avi, atum, *flectebant, ut hæc exempla testantur: Fricatus, defricatus, perfricatus, apud Plin incubavere, dixit idem Cubasse. Quint fricaturus, refricaturus, Cic. affricatus, Vitruv. secaturus, Plin. & Colum. emicaturus, usitatè: intonatus, sonaturus, Hor. resonavit, Manil. poturus, Terent Potatum, Plin. vetavi, Pers Restaverit, Propert. Præstavi. Inst. Iustinian. Præstaturus, & Præstatum, Cic. aliquoties. Obstaturus, apud ICtos. Hoc modo & verbalia in* atio, ator, & itor, atus & itus, *utroq; modo reperiuntur, ubi tamen usus semper spectandus est.*

Notandum est ex Vall. lib. 1. c. 2. & Susenbroto, quòd nomina quæ veniunt à verbis primæ Conjugationis positionem Supini habentibus in Itum, præter cæterorum verborum legem exeunt in atio *non in* itio, *ut veto, vetui, vetitum: inde vetatio non vetitio. Apud Papinian. est participium vetitus & vetatus: A cubitum, cubatio, non cubitio; domitum, domatio, domitor & domator apud Tibullum. Apud Cornific. lib. 3. ad Herenn. est domuitio, sed hoc & aliud significat, & ab hoc themate non descendit, Vide Taubm. Plaut. fol. 477. Sonitum: sonatio, sonitus nomen: Tonitum, tonatio, Senec. tonitus nomen. Frictum: fricatio; (Valla non vult frictio, quod ipsum tamen extat apud Celsum libr. 3. c. 9.) Frictus & fricatus est apud eundem & Plin Sectum, sectio & secatio; sectio tamen est frequentiùs apud Cels. Sectus participium & præsecatus, Plin. A jutum non est jutio, licet jutor & adjutor invenitur, sed juvatio.*

Porrò à Labo, annotant non esse præteritum, Neq; à Nexo,

as. Nam Nexo, is, tertiæ Conjugationis, juxta nonnullos, facit Nexui.]

DEPONENTIA PRIMÆ CONjugationis.

Ancillor, aúcupor, æmulor, alúcinor, aspernor, adúlor, árbitror, auxilior, aversor, adversor, amplexor, auctiónor, argútor, astípulor, ádminículor, assentor, aúguror, bacchor, baubor (*id est latro*) consólor, crápulor, cónspicor, conor, conversor, delector, conciónor, críminor, cornícor, controversor, dignor, digladior, dóminor, éxecror, famulor, fæneror, hortor, hariolor, furor, glorior, grassor, gratificor, grátulor, jocor, insidior, imitor, imáginor, intérminor, lucror, lætor, luctor, machinor, metor, minor, mínitor, moror, mœchor, miror, méditor, míseror, modificor, módulor, ósculor, otior, óminor, opítulor, opínor, óscitor, patrócinor, negócior, nugor, nepótor, philósophor, percontor, præstolor, prævárícor, piscor, ratiócinor, recordor, rústicor, rimor, refrágor, suffrágor, solor, scitor, scíscitor, scortor, scutor, spacior, testor, testificor, tristor, tumultuor, tergiversor, tricor, venor, véneror, verecundor, vador *antiquum*.

[*De iis, quæ eâdem significatione vel in O vel in OR terminantur, vide infrà cap.* 21.]

[*Prisc. lib.* 8. *negát primam personam in Imperativo, quia nemo sibiipsi imperet, Amemus itaq; esse subjunctivum potiùs vel potentialem modum. Vide suprà pag* 178.]

[*Amantote & amanto Grammatici pleriq; habent in* 3. *persona. Sed rejiciunt amantote Ant. Nebrissens. & Ramus, itemq; Verepæus. Sicut & in passivo futuro Imperativi, amaminor, Ramus non agnoscit, nisi è probato autore exemplum afferatur.*]

CAP.

CAPVT XVIII.

DE SECUNDA CONIUGAtione.


* Secunda conjugatio eſt, cujus character eſt E longum ante *Re* in infinitivo, ut *monére, debére, habére.*

* Habet in præterito Ui, in ſupino Itum breve, *vt mónui, mónitum.*

§ *Excipiuntur.*

Jubeo, juſſi, juſſum.
Sorbeo, ſorbui (& *ſorpſi apud Poëtas*,) ſorptum.
[*Sórbitum addit Friſchlinus. unde nomen Sorbitio,*]
Doceo, docui, doctum.
Miſceo, miſcui, miſtum & mixtum.
[*Scal. nullum ſupinum aliud agnoſcit; quàm Miſtum. Verepæus languidè admittit Mixtum.*]
Mulceo, & mulgeo, mulſi, mulſum: (& *antiquè* à mulgeo, mulxi, mulctum.)
Lugeo, & luceo, luxi, (& à lugeo *antiquè* luctum.)
Augeo, auxi, auctum.
[*Polluceo, polluxi, polluctum. Vnde nomen polluctus apud Macrob. 3. Satur. cap. 16. A Permulceo, permulctus participium uſurpavit Gell. & Salluſt. Rauceo facit raucui, Priſcianus verò Raucio, in 4. Conjug format, & affert teſtimonium Cic. 1. de Orat. Irrauſerit: pro quo hodiè in omnibus libris legitur irraucuerit, teſte Lambin. qui tamen ex Priſciani ſententia locum mutavit in ſua editione.*]
Rideo, riſi, riſum.
Suadeo, ſuaſi, ſuaſum.
Ardeo, arſi, arſum.
Sedeo, ſedi, ſeſſum.
Video, vidi, viſum.
Frendeo, frendui, freſſum.

Mordeo



Mordeo	momordi	morſum	*De his vide & ſupra cap. 27.*
Tondeo	totondi	tonſum	
Spondeo	ſpopondi	ſponſum	
Pendeo	Pependi.		

Strideo,	ſtridi.	*abſque ſupinis.*
Urgeo.	urſi.	
Fulgeo,	fulſi.	
Turgeo	turſi	
Algeo,	alſi.	

[*Friſchl. vult ſupinum eſſe alſum.*]

Tergeo, terſi, terſum.
Indulgeo, indulſi, indultum.
Frigeo, frigui & frixi, frictum.
[*Priſciano teſte. Sic compoſita. Refrigeſco, refrixi, perfrigeo, perfrixi, Iuvenal. ſed Friſchlin. vult, tantùm frigui dicendum.*]

Cieo,	civi,	citum.
Vieo,	vievi,	vietum.
Fleo,	flevi.	fletum.
Deleo,	delevi,	deletum.
Neo,	nevi,	netum.

Sic compoſita ab exoleto Pleo.

Impleo,	implevi,	impletum.
Sic Expleo,	Repleo,	Compleo.
Oleo,	olui,	olitum & oletum.

Compoſita ab oleo variant.

Adoleo,	adolui,	adolitum [*de ſacrificiis.*]
Adoleo,	adolevi,	adultum [*de ætate.*]
Aboleo,	abolevi,	abolitum.
Exoleo,	exolevi,	exoletùm.
Obſoleo,	obſoleui,	obſoletum.
Inoleo,	inolevi.	
Suboleo,	ſubolui.	
Suboleſco,	ſubolevi.	
Oboleo,	obolui,	obolitum.

Peroleo,

Peroleo, perolevi & (*secundùm Grammaticos*) perolui.

Redoleo, redolui.

[*Ab his derivantur verba in Sco, quorum quædam usitatiora sunt, quàm primitiva, ut exostesco, obolesco, inolesco, adolesco, de ætate sumptum. Frischlinus omnibus supina tribuenda esse ait, ut inolitum, &c. Nota Quæ EVI præteritum habent, patiuntur nonnunquam syncopen syllabæ penultimæ, ut, complêsti, implêrunt, implêsse, &c. Quæ tamen magis Poëtica quàm oratoria est*]

[*Apud Lucil. est perolêsse per syncop. pro perolevisse.*]

Maneo, mansi, mansum, *cum compositis. ut permaneo, permansi, permansum: Sed composita mutantia A in I, regulam sequuntur, absq; supino, ut Emineo, eminui. Promineo, prominui: Imminco, imminui.*

Teneo,	tenui,	tentum.
Abstineo,	abstinui,	abstentum.

[*Abstentus enim & abstenta, apud Scævol. Istum legitur, Hotom. in Lexic*]

Torqueo,	torsi,	tortum.
Torreo,	torrui,	tostum.
Hæreo,	hæsi,	hæsum.
Careo,	carui,	cassum.

[*Et antiquè caritum, unde participium cariturus apud Iuvenal.*]

Liqueo,	licui.	
Censeo,	censui,	censum.

[*Compositum Recenseo, recensui, recensum & recensitum. Ovid. Præstò recensitis evolvere secula fastis. Sueton. Qui recensiti non essent, &c. Idem, recenso Senatu. Nomen tamen inde fit Recensio, & recensus. Est & simplex, censitor, apud Vlpian. ab antiquo Censio 4. Conjugationis, ut ajunt.*],

Moveo,	movi,	motum.
Voveo,	vovi,	votum.
Caveo,	cavi	cautum.

Frischlin.

[Frischlin. monet etiam catum supinum esse à caveo, unde nomen catus, idem ferè significans quod cautus.]

Faveo, favi, fautum.
Conniveo, connivi & connixi.
Ferveo, ferbui & fervi.
Langueo langui } *tribus syllabis.*
Pingueo pingui }

[Connivi est ab antiquo verbo conniuo in 3. conjugatione. Sic & Fervi à Fervo, tertia conjugationis. Ferbui verò ab insitato Ferbeo, teste Prisc. Pingueo non est in usu, sed pinguesco derivatum, Liveo caret præterito. Sunt tamen qui Livi forment.]

Carent supinis: 1. Neutra pleraq; ut: Horreo, horrui: Caleo, calui, Vigeo, vigui. Pateo, patui, 2. Et activum Timeo, timui.

[Passum enim non à pateo sed à pando est, judice Verepao. Addunt & Terreo, sed illud est activum, & facit regulariter Territum, unde Territus particip. De Neutropassivis; audeo, gaudeo, mœreo, soleo, prandeo; suprà dictum.]

DEPONENTIA SECVNDÆ CONjugationis.

Vereor, veritus sum: tueor, tuitus sum: misereor, misertus sum: mereor, méritus sum. liceor, lícitus sum. Polliceor, pollícitus sum: reor, ratus sum: fateor, fassus sum: confiteor, confessus sum. Sic diffiteor, profiteor. Medeor caret præterito.

OBSERVATIO.

† Omnia verba in Eo sunt secundæ Conjugationis, præter decem conjugationis primæ; Beo, creo, meo, cálceo, enúcleo, láqueo, líneo, cunéo, náuseo, screo: & duo quartæ, Eo, Queo, cum compositis.

CA-

CAPUT XIX.
DE TERTIA CONIUGATIONE.

* Tertia conjugatio est cujus character est E breve ante RE in Infinitivo, ut, *légere, dícere, addere, scríbere, bíbere.*

[*Certa præteriti & supini formatio in hac conjugatione non est, ideoq; ordine omnes terminationes erunt proponendæ. non defuerunt qui certis eam regulis includere tentârunt, sed sine successu. Regulæ enim quæ de hac re conduntur, ob nimiam varietatem verborum, magis intricant negocium, quàm explanant.*

De syncope præteritorum hujus Conjugat. suprà c. 17. in fine p: 182. seq.
aliquid dictum est. Hic in specie sciendum, syncopen tertiæ Cōjugationis tantùm in iis frequentem esse, quæ præteritum habent ivi, ut cupio, cupivi, &c. per syncop. cupii, cupiisti, cupiit, cupiimus, cupiistis, cupierunt, *Sic* Petii, petiisti, petiit, &c *per omnes personas in omnibus perfectis, ut:* Petierā, petierim, petiissem, petiero, petiisse. *Et per novam crasin,* Cupîsti, cupîstis, Petîsti, petîstis, petîssem, petîsse, *De antiquis minùs usitatis, vide suprà in fine c. 16.*]

FORMATIO PRÆTERITI.

BO.

Scribo, scripsi, scriptum.

[*Sūt qui malint scribsi, nubsi, juxta vestigia antiquitatis.*]

Nubo, nupsi, nuptum.

Bibo, bibi, bíbitum.

Glubo, glubi, glúbitum.

Lambo, lambi, lámbitum. } *nonnulli supino carere dicunt.*
Scabo, scabi, scabitum.

Coposita à cubo quæ M asciscunt, sequuntur primitivū, ut

Accumbo, accubui, accúbitum.

Discumbo, discubui, discúbitum.

[*Cubo*



gere: Gerundium à Supino ita differre, sicut Futurum à Præterito, ut aliud sit, Faciendum, aliud, Factum. Itaq; quod gerendum esset, strenui viri ac fortis judicarent. Contrà quod jam esset gestum, minùs excitare nos ad agendum. Itaq; Tityrum supinum facit Poëta, sub arbore, lentum, scilicet; ac recubantem, Melibæum certantem cum fortuna, ac rés suas magis strenuè quàm feliciter gerentem. Igitur, eo ad pugnandum, gerendam rem significat in viro diligenti. Venio pugnatu, rem gestam in homine, qui possit otio parto frui. Hæc esto causa, quæ persuaserit antiquis, ut Præterita passiva, supina dicerentur, ut posset in utram aurem, atque etiam supinius cubare.

Pro Coronide *illud notandum, quomodo veteres Modos protulerint. Quòd Imperativum elocuti fuerint ad monosyllabum apposita E, ut Dice, Duce, Face, suprà dictum est.* p. 220. *Subjunctivum verborum tertiæ Conjugationis formarunt per Em vel Im, ut Attingem, Dicem apud Caton. Festum. Quintil. (pro, attingam, dicam: (Sic remittes (pro remittis) dixit Terent. Arcessit, Quærit, pro Arcessat, Quærat, Plaut. in Menæchm. & Aulul.) Edim, edit, (pro Edam, edat, Idem in Pæn. Trinu. Cato de re rust.) Comedim, Cic. ad Pat. Hor. Duim, (pro Dem.)*

Imperfecta Indicativi verborum quæ in Io desinunt, contraxerunt & diminuerunt in syllabis mediis, ut custodibam, Catull. gestibam Plaut. Lenibam, nutribam, virg. Sævibam, Scibam, Lucret. Terentius: (pro custodiebam, gestiebam, leniebam, nutriebam, &c.) Sic & pro perfectis, Dixisti, sensisti, revixisti, &c. Dixti, sensti, revixti, præscripsti. In præteritis Infinitivi pro abstraxisse, abstraxe, Lucret. Cesse, cresse, Idem & Cicer. 15. ad Attic. Divisse. Horat. Indixe, produxe, Subduxe, Terent. Varro. Promisse, Catull. Sumse, Nævius Triphallo. Consumse, Lucret. Vide Auson. Popm. de usu antiq. locut. cap. 12. & Dn. Taubman. Plaut. passim. Quomodo Modi variari in oratione eleganter possint, vide Erasm. libr. 1. de copia Verb.]

CAP.

CAPVT XVII.

DE CONIUGATIONE *prima.*

* Conjugatio est variatio verbi secundûm modos, tempora, & personas.

[*Ramai conjugationes ex prima persona futuri Indicativi in* Bo *vel* Am *desinente distinguunt, iisq; prima conjugatio vulgaris est conjugatio in* Bo *prima, secunda in* Bo *secunda, tertia in* Am *prima, quarta in* Am *secunda. Iohannes Sambucus in Epist. ad Frischl. Casus, Declinationis, Conjugationis, constructionis & infinitorum aliarum appellationes rejicit, & quid velint, nescit. At si tam rigidi censores esse vellemus, nulli termino technico aut voci didacticæ locus in arte concedendus foret. In hujusmodi verbalistas, qui usitatos, & non omni modo Latinos terminos exterminant, invehitur meritò Muretus super Epist. 59. Seneca. & Rodolph. Agricol. lib. 2 de invent. cap. 6. & Scal. exerc. 307. f. 21. & 359. sect. 2. cùm ait: Voces didacticæ rudibus ingeniis acerbæ, delicatis ridiculæ sunt. Idem facit Zabarel. in præfat. libr. de Natur. Log. & ex veteribus Plutarch. in libell. de profect. virtut. & Senec. Epist. 59.*]

* Conjugationes verborum sunt quatuor.

[*Donatus tres tantùm Verborum Conjugationes ponit: & quanquam à nobis quantùm ad rem non dissideat, cum quartam comprehendat sub tertia, omninò tamen res distincta, distinctè tradi debent.*]

* Prima conjugatio est, cuius character est A longum ante Re in Infinitivo, ut *amáre, beáre.*

[*Conjugationes diversimodè distinguunt Donatus, Remigius, & Alexander. Donatus enim definit & discernit penes*

secundam personam præsentis Indicativi. Remigius, & Melanchthon quem nos sequimur, distinguit penes Infinitivum. Alexander distinguit penes secundam personam Imperativi, quæ sententia mala non est, præter quàm quod non procedit in Imperativis Dic, duc, fac, fer, quæ Apocopen patiuntur. Item in Imperativis correptis secundæ Conjugationis, ut Cave, Vale.]

¶ *Excipe Do cum 4. compositis, quæ A breve habent in Infinitivo, ut Dăre, Venundăre, Pessundăre, Circundăre, Satisdăre.*

[*Cætera composita sunt tertiæ conjugationis, ut Abdo, abdere, Addo, addere, Condo, condere. Cavendum hic, ne hæc verba, Abundo, Exundo, Inundo, Redundo, pro compositis à Do habeantur. Sunt enim à nomine Unda, & retinent A longum in Infinitivo, ut abundâre, redundâre, &c.*]

† Quòd si verbum Deponens sit forma in O fingenda est aut characteristica ex secunda persona præsentis Indicativi ante *Re* vel *Ris* eruenda, ut æmulor, æmularis vel æmulare: abominor, abominaris vel abominare. Sic etiam in cæteris conjugationibus, ut vereor, vereris vel verere, loquor, loqueris, vel loquere: largior, largiris, largire.

[*Nisi malis ab Imperativo præsenti Characteristicam sumere, quod eodem recidit.*]

* Habet hæc in præterito perfecto *Avi*, in supino *Atum*, ut: amo, amavi, amâtum, Abnego, abnegávi, abnegátum. Revélo, revelâvi, revelátum.

† Notanda hic syncope præteriti quæ in secunda singulari, & secunda ac tertia pluralibus personis, frequenter occurrit, ut.

Pro

Pro amavisti, *amâsti.*
Pro amavistis, *amâstis.*
Pro amaverunt, *amârunt.*
Sic in temporibus derivatis;
Pro amaveram, *amâram.*
Pro amaverim, *amârim.*
Pro amavissem, *amâssem.*
Pro amavero, *amâro.*
Pro amavisse, *amâsse.*
in omnibus personis, excepta prima plurali.
[*Non enim commodè dicetur, amaramus, amarimus. Quanquam amassemus rectè dici potest. Itaq; videndū, quid usus admittat.*]

¶ *Excipiuntur sedecim Præteritum variantia;*
1. Do, dedi, datum, *cum quatuor compositis. Venundo, Pessundo, Circundo, Satisdo.*
2. Sto, steti, statum: *cum compositis, quæ præteritum in* stiti, *supinum in* stitum *&* statum *formant.*
[*Quorum participia* aturus *sunt frequentiora, ex Verepæi sententia, ut, constaturus, præstaturus, &c.*]
3. Juvo juvi, jutum.
4. Lavo, lavi, lautum, lotum, & lavatum.
[*Laui est ab antiquo lavo, lavis, lavere, in tertia Conjugatione. Supinum verò Lautum, in Lotum mutatione diphthongi transiit, sicut plaustrum, plostrum, plaudo, plodo. Lavatum est apud Terent. Lavaturus apud Ovidium, versus.* Ex Lavo fit lavi, lautum lotum atq; lavatum.]
5. Poto, potavi, potum & potátum.
Sequentia in Ui *præteritum formant.*
6. Crepo, crepui, crépitum *cum compositis. Præter* Increpo, *quod increpui, increpitum, (pro*

ſtrepitu,) increpavi, increpatum (pro objurgatione) facit. Diſcrepo, *quod frequentiùs diſcrepavi, diſcrepatum facit.*

7. Cubo, cubui, cúbitum *cum compoſitis.*

8. Domo, domui, dómitum.

9. Sono, ſonui, ſónitum.

10. Tono, tonui, tónitum.

11. Veto, vetui, vétitum.

12. Frico, fricui, frictum.

13. Seco, ſecui, ſectum.

14. Neco, necui, & necávi, necátum. *Compoſitum Eneco, enecui & enecávi, enectum & enecátum.*

[Volunt etiam Nectum dici: hoc diſcrimine, ut Necui, nectum, de ſuffocatione fame, frigore, &c. Necavi verò & necatum, de ſolo ferro intelligatur, Diomed. & Priſc. Sed hoc diſcrimen non ſemper ſervatur. Valla ita diſtinguit: Necavi & necatum generalem habere ſignificationem, ſed Nocui, nectū, ſpecialem ſi addatur ſpecies mortis. Verùm & hoc fallit, ut fame necatus, &c. Porrò Nectus aut rarò aut nunquàm in ſimplici legitur, ſed compoſitum Enectum.]

15. Mico, micui, *cum compoſitis: Præter* dímico, dimicávi, dimicátum.

[Ovidius tamen Dimicuiſſe dixit, pro dimicaviſſe, fortaſſe propter metrum, ut: Hæc tibi ſit pugna dimicuiſſe ſatis.]

16. Plico, plicui, & plicávi, plícitum & plicátum, *Sic tria compoſita,* Applico, Explico, Implico, *utroq; modo faciunt præteritum & ſupinum. Sed cætera compoſita, tantùm Avi, Atum habent, ut: Dúplico, duplicavi, duplicatum. Súpplico, ſupplicavi, ſupplicatum: Réplico, replicavi, replicatum.*

[Verùm etiam, complico, utroq; modo præteritum & ſupinum

pimum formare vult, quamvis sæpiùs Avi, Atum. Sed non affert exemplum in UI. ITUM. *Applico sæpiùs applicui facere idem observat, quando ad navigationem spectat. Explico de interpretatione sæpiùs explicavi, explicatum : Aliâs explicui explicitum.*]

Versus de præteritis in UI.

*Dic Crepui, Cubui, Domui, Sonui, Tonuiq;
Et Vetui, Fricui, secui, Necui, Micuiq;,
Et quod utroq; modo, Plicui facit atq; plicavi.

[*Antiqui pleraq; hæc verba in* avi, atum, *flectebant, ut hæc exempla testantur: Fricatus, defricatus, perfricatus, apud Plin incubavere, dixit idem Cubasse. Quint fricaturus, refricaturus, Cic. affricatus, Vitruv. secaturus, Plin. & Colum. emicaturus, usitatè: intonatus. sonaturus, Hor. resonavit, Manil. poturus, Terent Potatum, Plin. vetavi, Pers Restaverit, Propert. Præstavi. Inst. Iustinian. Præstaturus, & Præstatum, Cic. aliquoties. Obstaturus, apud ICtos. Hoc modo & verbalia in* atio, ator, & itor, atus & itus, *utroq; modo reperiuntur, ubi tamen usus semper spectandus est.*

Notandum est ex Vall. lib. 1. c. 2. & Susenbroto, quòd nomina quæ veniunt à verbis primæ Conjugationis positionem Supini habentibus in Itum, præter cæterorum verborum legem exeunt in atio *non in* itio, *ut veto, vetui, vetitum: inde vetatio non vetitio. Apud Papinian. est participium vetitus & vetatus: A cubitum, cubatio, non cubitio; domitum, domatio, domitor & domator apud Tibullum. Apud Cornific. lib. 3. ad Herenn. est domuitio, sed hoc & aliud significat, & ab hoc themate non descendit, Vide Taubm. Plaut. fol. 477. Sonitum: sonatio, sonitus nomen: Tonitum, tonatio, Senec. tonitus nomen. Frictum: fricatio; (Valla non vult frictio, quod ipsum tamen extat apud Celsum libr. 3. c. 9.) Frictus & fricatus est apud eundem & Plin Sectum, sectio & secatio; sectio tamen est frequentiùs apud Cels. Sectus participium & præsecatus, Plin. A jutum non est jutio, licet jutor & adjutor inveniatur, sed juvatio.*

Porrò à Labo, annotant non esse præteritum, Neq; à Nexo,



as.Nam Nexo,is,tertiæ Conjugationis,juxta nonnullos,facit Nexui.]

DEPONENTIA PRIMÆ CONjugationis.

Ancillor, aúcupor,æmulor, alúcinor, aſpernor, adúlor,árbitror,auxilior, averſor, adverſor, amplexor, auctiónor, argútor, aſtípulor, adminículor, aſſentor, aúguror,bacchor,baubor(*id eſt latro*)conſólor, crápulor,cónſpicor,conor,converſor, delector, conciónor, críminor, cornícor, controverſor, dignor, digladior, dóminor,éxecror,famulor,fæneror,hortor, haríolor, furor,glorior,graſſor,gratificor, grátulor,jocor, inſidior, imitor, imáginor, intérminor, lucror, lætor, luctor, machinor, metor, minor, mínitor, moror, mœchor, miror, méditor, miſeror, modificor, módulor, óſculor, otior, óminor, opítulor, opínor, óſciror, patrócinor,negócior,nugor,nepótor,philóſophor, percontor, præſtolor, prævaricor, piſcor, ratiócinor, recordor, rúſticor, rimor, refrágcr, ſuffrágor, ſolor, ſcitor,ſciſcitor,ſcortor, ſcutor, ſpacior, teſtor, teſtificor, triſtor,tumultuor,tergiverſor,tricor, venor, véneror, verecundor, vador *antiquum.*

[*De iis, quæ eâdem ſignificatione vel in O vel in OR terminantur, vide infrà cap.* 21.]

[*Priſc.lib.*8.*negát primam perſonam in Imperativo, quia nemo ſibiipſi imperet, Amemus itaq; eſſe ſubjunctivum potiùs vel potentialem modum.Vide ſuprà pag* 178.]

[*Amantote & amanto Grammatici pleriq; habent in* 3. *perſona. Sed rejiciunt amantote Ant.Nebriſſenſ. & Ramus, itemq; Verepæus.Sicut & in paſſivo futuro Imperativi, amaminor, Ramus non agnoſcit, niſi è probato autore exemplum afferatur.*]

CAPVT XVIII.

DE SECUNDA CONIUGA-tione.

* Secunda conjugatio eſt, cujus character eſt E longum ante *Re* in infinitivo, ut *monére, debére, habére.*

* Habet in præterito Ui, in ſupino Itum breve, *vt mónui, mónitum.*

¶ *Excipiuntur.*

Jubeo, juſſi, juſſum.
Sorbeo, ſorbui (& *ſorpſi apud Poëtas,*) ſorptum.
[*Sórbitum addit Friſchlinus unde nomen Sorbitio,*]
Doceo, docui, doctum.
Miſceo, miſcui, miſtum & mixtum.
[*Scal. nullum ſupinum aliud agnoſcit; quàm Miſtum. Verpaus languidè admittit Mixtum.*]
Mulceo, & mulgeo, mulſi, mulſum: (& *antiquè* à mulgeo, mulxi, mulctum.)
Lugeo, & luceo, luxi, (& à lugeo *antiquè* luctum.)
Augeo, auxi, auctum.
[*Polluceo, polluxi, polluctum. Vnde nomen polluctus apud Macrob. 3. Satur. cap. 16. A Permulceo, permulctus participium uſurpavit Gell. & Salluſt. Rauceo facit raucui, Priſcianus verò Raucio, in 4. Conjug formax, & affert teſtimonium Cic. 1. de Orat. Irrauſerit: pro quo hodiè in omnibus libris legitur irraucuerit, teſte Lambin. qui tamen ex Priſciani ſententia locum mutavit in ſua editione.*]
Rideo, riſi, riſum.
Suadeo, ſuaſi, ſuaſum.
Ardeo, arſi, arſum.
Sedeo, ſedi, ſeſſum.
Video, vidi, viſum.
Frendeo, frendui, freſſum.

Mordeo

Mordeo momordi morsum }
Tondeo totondi tonsum } *De his vide & suprà cap.27.*
Spondeo spopondi sponsum }
Pendeo Pependi. }

Strideo, stridi. }
Urgeo. ursi. }
Fulgeo, fulsi. } *absque supinis.*
Turgeo turs }
Algeo, alsi. }

[*Frischl. vult supinum esse alsum.*]

Tergeo, tersi, tersum.
Indulgeo, indulsi, indultum.
Frigeo, frigui & frixi, frictum.

[*Prisciano teste, Sic composita, Refrigesco, refrixi, perfrigeo, perfrixi, Iuvenal. sed Frischlin. vult, tantùm frigui dicendum.*]

Cieo, civi, citum.
Vieo, vievi, vietum.
Fleo, flevi, fletum.
Deleo, delevi, deletum.
Neo, nevi, netum.

Sic composita ab exoleto Pleo.

Impleo, implevi, impletum.
Sic Expleo, Repleo, Compleo.
Oleo, olui, olitum & oletum.

Composita ab oleo variant.

Adoleo, adolui, adolitum [*de sacrificiis.*]
Adoleo, adolevi, adultum [*de ætate.*]
Aboleo, abolevi, abolitum.
Exoleo, exolevi, exoletum.
Obsoleo, obsoleui, obsoletum.
Inoleo, inolevi.
Suboleo, subolui.
Subolesco, subolevi.
Oboleo, obolui, obolitum.

Peroleo,

Peroleo, perolevi & (*secundùm Grammaticos*) perolui.

Redoleo, redolui.

[*Ab his derivantur verba in Sco, quorum quædam usitatiora sunt, quàm primitiva, ut exostesco, obolesco, inolesco, adolesco, de ætate sumptum. Frischlinus omnibus supina tribuenda esse ait, ut inolitum, &c. Nota Quæ EVI præteritum habent, patiuntur nonnunquam syncopen syllaba penultima, ut, complêsti, implêrunt, implêsse, &c. Quæ tamen magis Poëtica quàm oratoria est*]

[*Apud Lucil. est perolêsse per syncop. pro perolevisse.*]

Maneo, mansi, mansum, *cum compositis. ut permaneo, permansi, permansum: Sed composita mutantia A in I, regulam sequuntur, absq; supino, ut Emineo, eminui. Promineo, prominui: Immineo, imminui.*

Teneo, tenui, tentum.

Abstineo, abstinui, abstentum.

[*Abstentus enim & Abstenta, apud Scævol. Illum legitur. Hotom. in Lexic*]

Torqueo, torsi, tortum.

Torreo, torrui, tostum.

Hæreo, hæsi, hæsum.

Careo, carui, cassum.

[*Et antiquè caritum, unde participium cariturus apud Iuvenal.*]

Liqueo, licui.

Censeo, censui, censum.

[*Compositum Recenseo, recensui, recensum & recensitum. Ovid. Præstò recensitis evolvere secula fastis. Sueton. Qui recensiti non essent, &c. Idem, recenso Senatu. Nomen tamen inde fit Recensio, & recensus. Est & simplex, censitor, apud Vlpian. ab antiquo Censio 4. Conjugationis, ut ajunt.*],

Moveo, movi, motum.

Voveo, vovi, votum.

Caveo, cavi cautum.

Frischilin.

CAPUT XIX.
DE TERTIA CONIUGAtione.

* Tertia conjugatio est cujus character est E breve ante RE in Infinitivo, ut, *légere, dícere, addere, scríbere, bíbere.*

[Certa præteriti & supini formatio in hac conjugatione non est, ideoq; ordine omnes terminationes erunt proponendæ. non defuerunt qui certis eam regulis includere tentârunt, sed sine successu. Regulæ enim quæ de hac re conduntur, ob nimiam varietatem verborum, magis intricant negocium, quàm explanant.

De syncope præteritorum hujus Conjugat. suprà c. [illegible] *in fine aliquid dictum est. Hic in specie sciendum, syncopen tertiæ Côjugationis tantùm in iis frequentem esse, quæ præteritum habent* ivi, *ut cupio, cupivi, &c. per syncop.* cupii, cupiisti, cupiit, cupiimus, cupiistis, cupierunt. *Sic* Petii, petiisti, petiit, &c *per omnes personas in omnibus perfectis, ut:* Petierã, petierim, petiissem, petiero, petiisse. *Et per novam crasin,* Cupîsti, cupîstis, Petîsti, petîstis, petîssem, petîsse, *De antiquis minùs usitatis, vide suprà in fine c. 16.]* p. 182. seq.

FORMATIO PRÆTERITI.

BO.

Scribo, scripsi, scriptum.

[Sũt qui malint scribsi, nubsi, juxta vestigia antiquitatis.]

Nubo, nupsi, nuptum.

Bibo, bibi, bíbitum.

Glubo, glubi, glúbitum.

Lambo, lambi, lámbitum. } *nonnulli supino carere dicunt.*

Scabo, scabi, scabitum. }

Cõposita à cubo quæ M asciscunt, sequuntur primitivũ, ut:

Accumbo, accubui, accúbitum.

Discumbo, discubui, discúbitum.

[Cubo

[Cubo Cum compositis absq; M est primæ conjugationis: Composita verò assumentia M. sunt tertiæ conjugationis: Vtraq; præteritum eodem modo faciunt.]

CO.

Dico, dixi, dictum.
Duco, duxi, ductum.
Ico, ici, ictum.
Vinco, vici, victum,
Parco, peperci, & parsi, parcitum & parsum.

[Parsi Terent. Hecyr. act. 3. scen. 1. ubi Donatus inquit, „Parco pro conservo, parsi facit, pro veniam do, Peperci. Hoc ta„men discrimen Servius negat. Veteres autem parcivi dixerunt. teste Nonio ex Nævio Parcitum dixit Plin. lib. 33. cap. 4. Parsurus, Varro apud Prisc. Liv. l. 25.]

Comparco, comparsi, comparsum.

SCO.

Cresco, crevi, cretum.
Quiesco. quievi, quietum.
Suesco, suevi, suetum.
Nosco, novi, notum. Sic composita: Ignosco, ignovi, ignotum.

Agnosco tamen in supino Agnitum, & Cognosco, cognitū facit.

Ab Ignosco Ignoturus & Ignosciturus reperitur.

[Ignosciturus est apud Pison. 2. Annal. Ignoturus apud Cic. in Caton. & Catonem ipsum lib. 5. Orig.]

Pasco, pavi, pastum.
Disco, didici, *absq; supino.*
[Disciturus tamen Apulejus dixit.]
Posco, poposci, *absq; supino.*
Compesco. compescui,
Dispesco, dispescui, *supinis ferò carent.*
Inchoativa mutuantur præterita à themate.
Scisco, scivi, scitum.
Senesco, senui, senectum.

Senectus,

[*Senectus, id est, senilis, apud Sallust. Senecto corpore, Item membris senectis, Lucret. ætas senecta, Plaut.*

De anomalis Hisco, Glisco, Fatisco, Vide infrà c. 21.]

DO.

Lædo, læsi, læsum.

Ludo, lusi, lusum.

Rado, rasi, rasum Sic Claudo, Trudo, Divido: Si, sum.

Vado, *absq; præterito.*

[*In compositis tamen in usu est, ut Invado, invasi, invasum: Evado, evasi, evasum: Pervado, pervasi, pervasum: Circumvado, circumvasi, &c.*]

Cudo, cudi, cusum.

Edo, edi, esum.

Comedo *autem* comesum & comestum *facit.*

Scando, scandi, scansum.

[*A composito Descendo in præterito non descendi, quod hodie in usu est, sed descendidi veteres dixisse, ostendit Gellius l. 7. c. 9. ubi vide.*]

Mando, (ich keuwe) mandi, mansum.

Accendo, accendi, accensum.

Prehendo, prehendi, prehensum.

[*Contractè prendo, prendi, prensum.*]

Defendo, defendi, defensum.

Offendo, offendi, offensum.

Ostendo, ostendi, ostensum.

Fundo, fundi, fusum.

Scindo, scidi, scissum.

Findo, fidi, fissum.

Pando, pandi, passum & pansum.

[*Pansum usitatius, apud Gellium, & expansa retia apud Plinium.*]

Dispando, dispandi, dispessum.

[*Euphoniæ gratia a in e mutato.*]

Rudo, rudi, & rudivi, ruditum.

[*Rudo, volunt carere supino. At sicut mugitus, rugitus dicitur, ita & nomen dandum est, quod vocem asini exprimat, nempe ruditus. Apulejus sanè in metamorph. in præterito Rudivit dixit, unde analogia ostendit ruditum esse supinum, sive à Rudo deducas, sive à Rudio.*]

Strido, stridi.

Pedo, pepedi.

Pendo, pependi, pensum.

Tendo, tetendi, tensum & tentum.

In compositis usus respiciatur.

Tundo, tutudi, tunsum & tusum.

[*Tunsum, Virg. 3. & 4. Georg, Æneid. 1 &c. Tusus, Plin. lib. 31. Diomedes putat duplex habere præteritum, tunsi & tutudi, unde duplex sit supinum. Composita autem in supino tusum faciunt, ut contúsum, pertúsum, &c.*

Condo, cóndidi, cónditum.

Abscondo, abscóndidi, absconditum.

[*Et quibusdam absconsum in supino; abscondi in præterito apud Pomponium, cujus verba citat Nonius: peri: non puella est, nunquid abscondisti? Despauter. judicat abscondi dicendum esse sine reduplicatione, quem sequitur Susembrotus. Sed Priscianus rectè dicit, autores Latinos sequendos esse, qui abscondidi dixerint, non abscondi.*]

Credo, crédidi, créditum.

[*Contreduì in præterito est apud Plaut. in Casin.*]

Sic composita à Do, ut vendo, reddo, &c. vendidi, reddidi, &c.

Cado, cécidi, casum. *Sic composita.*

Recido, récidi, recásum.


Incido, incidi, incásum.

Occido, óccidi, occásum. Reliqua Composita in supino non leguntur.

[*Incásurus apud Plin. lib. 2. cap. 27. Recasurus. Cicer. ad Attic. 15 & Sueton. in August. cap. 96. Occasurus itidem apud Cicer. Occaso sole, Gell.*]

Cædo; [*percutio*] cécidi, cæsum.

[*Denes*



[*Donec veteriùs castra cecîdit, Lucanus.*]

Sic composita.

Occîdo, occîdi, occîsum.
Decîdo, decîdi, decîsum, &c.

[*De Fido, fisus sum, vide suprà p. 163. Notabis autem apud Livium reperiri confiderunt, in præterito. Agris confiderunt se à populationibus tueri posse.*]

GO & GVO.

Rego, rexi, rectum.
Sugo, suxi, suctum.
Tego, texi, tectum.
Plango, planxi, planctum.
Ungo, unxi, unctum.
Jungo, junxi, junctum.
Tingo, tinxi, tinctum.
Stinguo, & stingo, stinxi, stinctum.
Cingo, cinxi, cinctum.
Lingo, linxi, linctum.
Affligo, afflixi, afflictum.
Confligo, conflixi, conflictum.
Infligo, inflixi, inflictum.
Frigo, frixi, frixum.

[*Quidam etiam frigui frictum tradidêre, annotante Lossio, Vnde frictorium, vel frixorium; pro sartagine.*]

Figo, fixi, fixum.

[*Olim & fictum dixerunt. Scaurus apud Diomedem: Sagittis confictus.*]

Pergo, perrexi, perrectum.
Surgo, surrexi, surrectum.
Fingo, finxi, fictum.
Pingo, pinxi, pictum.
Stringo, strinxi, strictum.
Mingo, minxi, mictum.
Ango, anxi, anctum & anxum *antiquè.*

[*Anctum facit Priscianus lib. 10. imprimis propter differentiam*

ventiam supini Actum ab ago. Diomedes autem lib. 1. ab angor facit anxus. Neutrum usitatum est.]

Clango, clanxi. } *absque supino.*
Ningo, ninxi.

[*Numerorum 10. cap. legitur clanguit, & Calepinus duplex præteritum tradit: xit, & clanguit. Sed posterioris exemplum in classico aliquo autore habere non potuimus.*]

Ringo, rictum *absque præterito.*

Ago, egi, actum.

Frango, fregi, fractum.

Cogo, coegi, coactum.

Dego, degi. *absque supino.*

Lego, legi, lectum, *cujus tria composita*, exi, ectum, *faciunt.*

Diligo, dilexi, dilectum.

Negligo, neglexi, neglectum,

Intelligo, intellexi, intellectum.

Reliqua egi, ectum, *faciunt, ut Perlego, perlegi, perlectum.*

Pago, pegi *vel* pepigi, pactum, *antiquè.*

Pango, pepigi, pactum.

Antiquum præteritum sequuntur Composita. Impingo, impégi, impactum, Compingo, compégi, compactum, *&c.*

[*Fabius pepigi deducit à pago, l. 1. c. 9. quod legitur apud Autor. ad Heren. l. 2. Rem ubi pagunt, oratione pagunt. Est autem pango idem quod figo. quod natum volunt à Græco πηγνύω Unde clavum pingere apud Livium, Malleolos pangere. Quintilian. & depactam querum. Plin. Tradunt etiam præteritum Panxi. à Pango. Distinguunt nonnulli Pago & Pango ex significatione, ut pago significet paciscor, pango verò figo.*]

Pungo, pupugi (*& punxi, in compositis, vide suprà pag. 169*) punctum.

Mergo, mersi, mersum.

Tergo, tersi, tersum.

Spargo, sparsi, sparsum.

HO,

HO. JO.

Traho, traxi, tractum.
Veho, vexi, vectum.
Mejo (*pro mingo, quod inusitatum est*) minxi, mictum.

LO.

Colo, colui, cultum.
Consulo, consului, consultum.
Occulo, occului, occultum.
Molo, molui, molitum.
Alo, alui, alitum & altum. [*Usitatius est participium altus quàm alitus*]
Fallo, fefelli, falsum Refello, refelli, *absque supino*.
Pello, pepuli, pulsum.
Vello, velli & vulsi, vulsum.
[*Vulsi Poëtas effinxisse dicunt post tempora Ciceronis. Unde Servius ad. cit, velli & revelli rectius dici, quamvis vulsus & revulsus sint participia contra Naturam. sed & apud Plaut. in Aulular. est volsus, pro vulsus, Vide Taubmann, fol. 166.*]
Excello, excellui, excelsum.
Præcello, præcellui, præcelsum.
Antecello, antecellui, antecelsum.
[*Celsus autem, excelsus, præcelsus nomina sunt, non participia. Cicero etiam excelleo dixit in 2. conj.*]
Percello, perculi, perculsum.
[*Apud Terentium vulgò perculsit legitur, apud Criticos percussit.*]
Sallo, salli, salsum.
Psallo, psalli.
Tollo, tetuli *inusitatè*, latum: *pro quo* sustuli, sublatum, *in usu est.*
[*Apud Diomedem legitur etiam abstulo, &, extulunt apud alios, à compositis à tollo, vide Taubm. Plaut. fol. 535.*]

MO.

Demo, demsi, demtum.



Promo, promsi, promtum.
Como, comsi, comtum.
Sumo, sumsi, sumtum.

[*Quidam p adscribunt euphoniæ gratiâ secundùm Prisc. lib* 10. *ut*: demptum, promptum, comptum, sumptum, emptum. *Sed Q. Terent. Scaurus judicat prorsus omittendum esse. Interdum B. & P, inquit in Libell. de Orthograph. supervacua adjicitur, ut cùm scribimus, Sumptus, & demptus, comptus, cùm alioqui cæteris declinationibus verborum non adsit. Sumo enim, demo, detracta P, ut supervacua, quare participationibus adjiciatur, ratio non est.*]

Vomo, vomui, vómitum.
Gemo, gemui, gémitum.
Fremo, fremui, frémitum.
Emo, emi, emtum.
Premo, pressi, pressum.

NO.

Sterno, stravi, stratum.
Sperno sprevi, spretum.
Cerno, (*hæreditatem adeo. Cùm enim videre significat, præterito caret & supino.*) crevi, cretum.
Sino, sivi, situm.
Lino, levi, (*& livi antiquè,*) litum.

[*Apud Quintilian. est: Mariti tui cruore parietem linisti. Ac Varronem: cùm oblinierit vasa, quod Despauterius legit per* U *vocalem. Apud Columell. est liverunt: Nova dolia vel serias crassa gummi liverunt. Compositum relevi est apud Terent. quod tamen alii derivant à releo.*]

Temno, temsi, temtum, *cujus compositum* Contemno, *usitatius est.*
Pono, posui (*antiquè posivi*) pósitum.
Gigno, genui, génitum.

[*Ab antiquo geno, apud Varron. & Lucret. Sed hæc loca aliquid* genunt. *Totum posse extra corpus durare genig.*]

Cano, cécini, cantum.

Cujus cōposita in præterito in ui divisas syllabas degenerāt: Occino, occinui, occentum, *&c.*

[Oc-

[Occinui est *apud Sallust. occanui óccini apud Diomedē.*]

PO.

Scalpo, ſcalpſi, ſcalptum.
Sculpo, ſculpſi, ſculptum.

[*Perperam enim tradiderunt nonnulli, ſcalpo carere ſupino, cùm inveniatur ſcalptor, & circumſcalptus apud Plinium.*]

Carpo, carpſi, carptum.
Repo, repſi, reptum.
Clepo *antiquum*, clepſi, cleptum.

[*Apud Cicer. de legib: 2. eſt etiam clepi in præterito, ut quidam allegant. Sed nos ibi clepſi invenimus.*]

Serpo, ſerpſi, ſerptum.
Strepo, ſtrepui, ſtrépitum.
Rumpo, rupi, ruptum.

QUO.

Coquo, coxi, coctum.
Linquo, liqui, lictum.

RO.

Sero, ſevi, ſatum.

[*Antiquè ſervi apud Catonem & Ennium, & ſertum; quam formam compoſita aliquammulta ſequuntur, in diverſa tamen ſignificatione, ut, Conſero, conſervi, conſertum: Diſſero, diſſerui, diſſertum: Deſero, deſerui, deſertum.*

Quòd ſi compoſita ſignificationem plantationis habent, retinent primitivi formam communem, ut: Cónſero, conſévi, conſitum: Diſſero, diſſévi, diſſitum. Verepaus tradit, duo hujus ſignificationis compoſita in ſupino retinere atum, ut, réſero, reſévi, réſatum: Perſéro, perſévi, pérſatū: His addi poteſt, Próſatus, quod apud Cyprian. & Nemeſ. legitur.]

Gero, geſſi, geſtum.
Uro, Uſſi, uſtum.
Verro, verri, verſum.

[*Apud Catonem, converſa villa. Sed verri eſt uſitatius, autore Priſc. & Cariſ. licet verſi placeat Servio.*]

Curro, cucurri curſū. [*De compoſitis à curro vide p. 165.*]
Tero, trivi, tritum.
Quæro, quæſivi, quæſitum.

 [*Fure*

[*Furo huc non refertur, quia est ex illis quæ præteritum aliunde mutuantur. Philelph. tamen præterito ejus usus est, & Sedulius: Nec minus & Darii furuerunt jussa tyranni. Nebrissensis legit tribus syllabis Furio, sed malè.*]

SO.

Lacesso, lacessivi, lacessitum.

Arcesso, arcessivi, arcessitum.

Accerso, accersivi, accersitum.

[*Hæc præterita etiam per syncopen formant, lacessi, accersi. Accersio in 4. conj. est apud Plaut. Sallust. Livium.*]

Capesso, capessi, & capessivi, capessitum,

[*Tacitus enim capessiturus dixit. Sallustius capessivi, quē sine dubio secutus est Augustinus lib. 2. de civit. Dei, cum ait: Æschines rempublicam capessivit. Hinc igitur Despauterius deducit supinum capessitum.*]

Facesso, facessi. facessitum.

[*Cicero enim dixit negotium facessitum. Despauterius addit supinum facessum. Facessetur, passivum est apud Cic. pro Cluent.*]

Incesso, incessi,

[*Incesserat. Curt. Incesserit & incesserint, Col. incessuit, Gell. l. 1. c. 2.*]

Viso, visi, visum.

Pinso, pinsui, pistum.

[*Pinsitum hordeum Columell. lib. 2. & lib. 8. c. 4. Invenitur & pinsus ac pinsurus. Unde pinsor apud Varron. Pinsetur in 1. Conjug. apud Varron. ut in pistrino pinsetur. His verbis in So Lessius addit Depso, depsui absq; supino, id est, manibus subigo seu mollio: à quo compositum est condepso. Utrumque est apud Catonem: Deinde manibus benè depsito. Item: ubi depsueris, aliam aquam infundito. Varro apud Non. in obscœnum significatum accepisse videtur. Vide Taubman. Plaut. in Truculent. fol. 1216.*]

TO.

Meto, messui, messum.

Flecto. flexi, flexum.

Necto, nexi & nexui, nexum.

Pecto,

Pecto, pexi & pexui, *autore Carisio*, pexum.
Plecto, plexi (*apud Livium*) plexum.
Sterto, stertui & sterti.

[*Nam compositum desterto, destertui facit, Pers. Satyr. 6. Ovidius verò dixit Stertisset, teste Verep.*]

Verto, verti, versum.
Mitto, misi, missum.
Peto, petivi, petitum.

[NOTA *discrimen ex Donato, Petimus precariò, poscimus imperiosè, postulamus jure.*]

[Sisto, stiti, statum, *Vide Gellium lib 2. c. 14.*]

VO.

Solvo, solvi, solutum,
Volvo, volvi, volutum.
Calvo, calvi, calutum.

[*Calvo est Decipio, apud Plautum in Casin. & in C. tit. de verb. signif. Unde calumnia secundum Priscianum. Sed verbum est antiquum & obsoletum. Vide Taubm. Plaut. f. 321. Metaphora desumpta est à calvis, qui eos frustrantur à quibus per capillos prehendi videntur. Dicitur & calvor, cálveris, deponentaliter apud Pacuv. & Accium. Aliud verò est Calvo, as, are, id est, calvum facio. Calveo, es, id est, Calvus sum: unde calvitium. Calvesco, id est, calvus fio.*]

Vixo, vixi, victum.

XO.

Texo, texui, textum.

[*Nexo tertia Conjugationis non est in usu; & potiùs usurpandum est in primá.*]

O Purum.

CIO.

Facio, feci, factum.
Iacio, jeci, jactum.

Composita ab antiquis specio & lacio, exi, ectum: Aspicio, aspexi, aspectum. Respicio, respexi, respectum. Allicio, allexi, allectum, *Prater*, &c.

Elicio, elicui, elicitum. (*quo modo etiam reliqua vetustissimi formârunt.*)

DIO.

Fodio, fodi, fossum.

GIO.

Fugio, fugi, fugitum.

PIO.

Rapio, rapui, raptum.

[*In antiq. leg. Si quis clepserit, rapseritve. Cic. 2. de leg. Gell.*]

Capio, cepi, captum, *cum compositis, ut;*
Incipio, incépi, inceptum, &c.
Cupio, cupivi, cupitum.
Sapio, sapui.

[*Antiquè facit sapivi: Apud Martialem est syncopatum sapisti, pro sapiisti ab antiquo sapivisti: Nubere vis Prisco, non miror Paula, sapisti. Olim enim fuit quartæ Conjugationis. Despauterius addit etiam supinum resipitum, quod Diomedi est quartæ Conj.*]

RIO.

Pario, pépeti, partum:

[*Nonnunquam assumit I, unde pariturus particip. apud Statium. Differt pario à pareo, & paro: Conjugis est párere, & parére, parare mariti. Melemanus. Vulgò:*
Párere vult mulier, sed non parére marito.]

TIO.

Quatio, quassi, quassum.
Composita mutant Q in C, & A in V:
Decutio, decussi, decussum.
Discutio, discussi, discussum.
Excutio, excussi, excussum.
Incutio, incussi, incussum.
Percutio, percussi, percussum,
Succutio, succussi, succussum.

VO.

VO.

Arguo, argui, argútum.

[*Arguiturus legitur apud Sallust. 2. l. hist.*]

Acuo, acui, acútum.

Statuo, ſtatui, ſtatútum.

Minuo, minui, minútum.

Delibuo, delibui, delibútum.

[*Delibuo hodie in uſu eſſe deſiit. Extat ſolum participium Delibutus apud Columell. lib. 8. c. 4. Ciceron. de Clar. Orat. Autor ad Herenn. lib. 3. Terent. in Phormion. Salluſt. & neſcit Calepinus, an ſimplex ſit, an verò Compoſitum. Eſt tamen procul dubio compoſitum, cujus ſimplex inuſitatum eſt è Græco, velut & libo, libas, are.*]

Imbuo, imbui, imbútum.

Induo, indui, indútum.

Exuo, exui, exútum.

Spuo, ſpui, ſputum.

Suo, ſui, ſutum.

Luo, lui,

Eluo, elui, elútum.

[*Luto, frequẽtativum à luo, Nonius, Luitum, vix approbat uſus. Claudianus tamen dixit Luiturus in panegyr. 6.*]

Pluo, plui, plutum.

[*Pluit Scaligero eſt veriſſimum Activum: quia, pluit ſanguinem & lapides, dicimus in hiſtoriis, & terra compluta eſt, lib. 5. cc. L. l. c. 100. Unde & negat eſſe imperſonale c. 125. Pluvi legitur in Præterito apud Livium lib. 5. Decad. 3.*]

Nuo, nui, nutum.

Ruo, rui, rutum.

[*Ruitum extra compoſitionem uſitatius, Unde ruiturus apud Lucan.*]

Metuo, metui, [*Lucret. dixit metútum, l. 5.*

Struo, ſtruxi, ſtructum.

Fluo, fluxi, fluxum, [*antiquè fluctum.*]

Congruo, congrui.

Ingruo, ingrui.

[Vul-

[Vulgò etiam huc referunt antiquum, Fuo, is, hoc est, Sum. à quo præteritum Fui. Tros Italusve fuat, apud Virg. lib. 11. Ne quisquam tam audax fuat homo Plaut. in Amphitruon. Cave mihi iratus fuas, idem in Captiv. Scal. derivat à Græco φύω, de ca.l.l. c.112 Sic & obsoletum est batuo, batui apud Plautum in Aulular. Batuatur est in Casin. Quibus batuatur tibi os senex nequissime. Sueton. in Calig. usurpat absolutè: Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem. Et Nævius. Sculponeis batuenda sunt huic latera probè, vide de hoc verbo Manut. in comment. ad Epist. Cicer fam. libr. 9. 22 & Taubm. Plaut. fol. 341. Sic est & antiquum cluo, clui quod vel purgare, vel splendere, hoc est. nominari celebrarivè significat, ut apud Prudent. Qui patria virtute cluis propriaq; sed unà, Vide Taubm. Plaut fol. 291. in verbo Cloacina]

DEPONENTIA TERTIÆ CONjugationis.

¶ Deponentia imitantur formam passivorum.

[Præteriti formationem per singulas terminationes deducemus. De qua vide infrà etiam cap. 21.]

BOR.

Labor, lapsus sum.

COR.

Nascor, natus sum.
Irascor, irátus sum.
Nanciscor, nactus sum.
Paciscor, pactus sum.
Proficiscor, profectus sum.
Obliviscor, oblitus sum.
Ulciscor, ultus sum.
Adipiscor, adeptus sum.

[Ab antiquo apiscor, aptus sum, apud Lucret. & Catull. Plautus etiam passivè dixit: Non ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia. Et Cicero participio passivo adipiscendus aliquoties utitur.]

Comminiscor, commentus sum.

Desc-

Defetiscor, defessus sum.

[*De præterito hujus verbi inter Grammaticos non convenit. Priscianus quem nos secuti sumus, format defessus sum, ut fatiscor fessus, Diomedes vero fessus & defessus vult esse nomina, non participia, cujus sententiam sequitur Calepinus & Verepaus. Sed quid, si utrumq; esse possit, hoc est, & nomen & participium diverso respectu? Ut apud Cicer. Perorando fessus sum, id est, defatigatus sum, ubi videtur participium vel verbum esse. Indefessa ferar, Nomen apud Claud. Defetiscor, hodie in usu esse desiit, sed ejus loco utimur Neutro Fatisco, quod idem significat, ut in illo Columella: Celerrimè fatiscit quæ plures educat.*]

Expergiscor, experrectus sum.

[*Antiquè etiam expergitus, apud Lucill. lib. 3. Lossius tamen judicat, expergitum illum dici, qui non excitatus somno sponte evigilat, experrectum verò, à quiete impeditum.*]

Depascor, depastus sum.

GOR.

Fungor, functus sum.

QVOR.

Loquor, locutus sum.

Sequor, secutus sum.

ROR.

Queror, questus sum.

TOR.

Amplector, amplexus sum.

Complector, complexus sum.

Divertor, & diverto, diverti.

Revertor & reverto, reverti & reversus sum.

Prævertor, præversus sum, & præverto, præverti.

Nitor, nisus *vel* nixus sum.

[*Enitor compositum, si de partu intelligitur, Enixus facere, de cæteris conatibus Enisus, tradit Verepaus. Sed fallit observatio. Sallustius enim in Iugurth. inquit: Ab adolescentia ita se enixum, ut ab optimo quoque probaretur.*]

Utor,

Utor, usus sum.

OR *purum.*

Fruor, fruitus, & fructus sum.

[*Perottus tradit quadruplex supinum: Fructum, fretum; fruitum & frutum, à quo est defrutum, species vini, aliàs sapa. Taubmannus in Plaut. fol. 843. vocat mustum ex duabus partibus ad tertiam decoctum. Ex his tamen nullum usitatum satis est, quod quidem significationi præsentis respondeat. Fretus enim significat idem quod confisus. Fruitus est apud Vlpian. Fructus verò apud Cicer. Fructus est summâ amœnitate, Cic. in Hortens.*]

Patior, passus sum.

Orior, ortus sum.

Morior, mortuus sum, (*à quibus participia, Oriturus & Moriturus.*)

Gradior, gressus sum.

Tuor (*video vel defendo.*) tuitus sum, (*Hujus composita sunt usitatiora.*) Tutus, *magis Nominis quàm verbi significationem habet.*

[*Notandum hic est ex Ausonio Popma de usu antiq. locut. cap. 12. veteres aliquando tempus præteritum à præsenti formasse & deduxisse. Vt: ab accedo, decedo; discedo: accedi, decedi, discedi, Varr. de re rust. 1: discedimus omnes, Pompon. l. 1. Senatusconsf. Qua ad hæreditatem patris accederat. Paul. lib. 2. Digestor. Si sine liberis decederit. Callisco, callisci: Aures, nobis calliscerunt, Cato. Clepo, clepi, Cicero de legib. Consisto consisti, Ennius. Neglego, neglegi, Æmil. Macer. 16. Annal. Cicer. Philipp. 13. Nexo, nexi, Propert. lib. 1. Premo, premi, Cato de re rust. Sino, sini, Terent. in Andr. Confundo, confundi, Relinquo, relinqui: rescindo, rescindi: rumpo & corrumpo, rumpi & corrumpi; aliquoties in libris Pandectar. Tollo, tolli, Abstulo, abstuli, Plaut. Ruden. Vlpian. lib. 1. ad Sabin. Sic & tempus futurum formarunt à præsenti in verbis tertiæ & quartæ Conjugationis, ut Dormio dormibo, Largio largibo, Cato. Expedio Expedibo, Reddo, reddibo, Plaut. Trucul. Esurio esuribo, Pompon. Scio, scibo, Terent. Eunuch. Scalig. lib. 5. de caus.*

de caus. Latin ling. cap. 121. observat primam Conjugationem cum quartâ in multis eandem fuisse, Audibo, sicut Amabo: adhuc enim dicimus ibo. Et confusam indifferenter secundam cum Tertia. Ferveo, fervo Et primam cum tertia; ut, Lavare, lavere. Et nonnulla extra ordinem, ut Sum, cujus neq; præsens, neq; futurum, neq; Infinitivus, cum cæteris convenit, ut ad caput certum reducatur, solum præteritum gerit aliquam speciem, fui: sed incertam: nam dicimus & explicui, docui, pari cùm illo analogiâ, sed inter se diversâ De Orior Morjor, Potior, Tueor, quæ partim in tertia, partim in quarta conjugatione usurpantur, vide infrà cap. 21.]

CAPVT XX.

DE QVARTA CONIVGATIONE.

* Quarta conjugatio est, cujus character est I longum ante RE in Infinitivo, ut *audíre, aperíre, ésuríre.*

* Habet in Præterito Ivi, in supino Itum, I longo.

¶ *Excipe 1. Eo & Queo cum compositis, quæ characteristicam præsentis (in Io) non habent, & Itum in supino corripiunt.*

[Ambio autem, compositum ab Eo, quia characteristicam præsentis in Io servat, sequitur regularem formationem; ambivi, ambitum, I longo.]

† Observatio, in præterito perfecto huius Conjugationis frequens est syncope, ut:

Pro audivi, *audii,*
Pro audiveram, *audieram,*
Pro audiverim, *audierim,*
Pro audivissem, *audiissem,*

Pro

Pro audivero, *audiero.*
Pro audivisse, *audiisse,*
in omnibus personis.

[*Et per crasin novam, audisti, audistis, audissem, audisse: pro audiisti, audiistis, audiissem, audiisse.*]

† Ac per illam Syncopen usitatiùs dicitur in compositis, ab Eo, *Adii, Abii, Perii, Interii, Redii, Iuii, Prodii, &c.* quàm abivi, adivi, redivi, inivi, &c.

[*Imò vix usus admittit interivi, perivi, redivi, prodivi.*]

2. *Excipiuntur, præterea hæc:*

* Vincio, vinxi, vinctum.
Sancio, sanxi, & sancivi, sanctum & sancitum.
Amicio, amixi. [*apud Varronem & Accium: & insitatè amicui*] amictum.
Singultio, singultivi, singultum.
Sepelio, sepelivi, sepultum.
Salio, salui & salii (*per syncopen ab antiquo salivi*) saltū.

Composita *Salio supina in ultum formant, ut: Resilio, resilui, resultum. Salio verò, pro quo nonnulli malunt dicere Sallio, regulariter facit, Salio, Salivi, Salitum, vel Sallio, Sallivi, Sallitum.*

Fulcio, fulsi, fultum.
Farcio, farsi, fartum.

[*Apud Cicer. in Verr. est & farcitus, & orat. post redit. in Senat. Fulsistis.*

Sarcio, sarsi, sartum.
Sepio, sepsi, septum.
Haurio, hausi, haustum.

[*Sepivi apud Livium. Sic haurivi, exsilivi, apud alios. Haurierit apud Varron. hauritum, Apulej. Hauriturus Iuvencus dixit. Legitur & hausum apud Virg. 4. Æneid.*]

Sentio, sensi, sensum.
Raucio, rausi, rausum.

Composita à pario faciunt ui, ertum, ut Aperio, aperui, apertum:

apertum: Operio, operui, opertum. Sed comperio, cómperi, compertum: Reperio, réperi, repertum.

Venio, veni, ventum.

Veneo (*vendor*) venivi & venii, venum, *non venitum.*

Cámbio, campsi, campsum.

[*Verbum antiquum apud Plautum Cujus præteritum tradidit Charisius. A supino campum, est campsor, id est, nummularius seu trapezita. Campsare est apud Ennium, in 10. Leucaten campsant.*]

DEPONENTIA QUARTÆ CONjugationis.

Lárgior, largítus sum, &c. Sed comperior, (quod & comperio,) cómperi: experior, expertus sum. Opperior, oppertus sum. Metior, mensus sum. Ordior, orsus & ordítus sum. Potior, pótitus sum.

[*Apud Scaligerum legitur metitus. semel in exercitationibus, & semel in lib de cc. l. l. c 91. Nihil dum metitus animo universalem naturam illam. Neq; hoc vitiosum est. Secutus est enim Curtium, qui l. 3. inquit. Stipendium meritum est. Opperitus ab opperior, est in Plaut. Mostell. Oppertus, apud Terent. Phorm. nescit Calepinus.*

Scholia ad Paradigma 4. Conjugationis.

[*Veteres Tempora nonnulla aliter formârunt: Nam quælibet Verba in Imperfecto per Ibam, & in Futuro per Ibo flexerunt: ut, Scibam, Audibis, Lenibam. Sic lenibant apud Properi. (pro lenient.) opperibor, mentitor, venibo, apud Plaut. & Terent. quæ temerè imitanda non sunt, Mansit tamen illa terminatio usitata in Verbo Eo, Queo & Veneo: Ibam; Quibam: Ibo; Quibo. Vide & suprà in fine cap. 19.*]

MONITIO GENERALIS.

De Deponentium Gerundiis & Supinis.

¶ *Habent & Deponentia Verba, sua Gerundia & Supina haud secus atq; Activa & Neutra, ut osculor, osculandi, osculando, osculandum, osculatum, & osculatu.*

[*In formatione Supinorum Deponentalium tradunt, prius esse fingendam formam activam in O. & ex illa Supinum eliciendum, è supino porrò præteritum perfectum. Verùm non abs re operosam hanc formationem Frischlinus improbat, cùm longè facilior methodus sit, si statim à præsenti Deponentium præteritum formetur, & posteà ex Præterito participium præteritum, & Supinum utrumq;: ut osculor, osculatus sum: Hinc osculatus, osculatum, osculatu. Polliceor, pollicitus sum: Hinc Pollicitus, pollicitum, pollicitu. Labor, lapsus sum: Hinc lapsus, lapsum, lapsu. Largior, largitus sum. Hinc largitus, largitum, largitu, &c.*]

Caput XXI.

De Verbis Anomalis seu Heteroclitis.

¶ *Verba Anomala sunt, quæ à consuetâ conjugationum præcedentium formâ recedunt.*

¶ *Suntq; vel Abundantia, vel Variantia, vel Deficientia, vel Deficientia & variantia simul.*

[*Hic itidem, ut in Nomine, præcipuas tantùm verborum anomalias indicamus, levioribus in ipsas conjugationes rejectis.*]

I. ABUN-

I. ABUNDANTIA.

¶ *Abundantia verba sunt quæ, 1. Vel in eâdem formâ activè & neutraliter usurpantur, ut* Ruo, Vario, Offendo, Coëo, Propinquo Moror, & similia.

[*Totumq; à sedibus imis unà Eurusq; Notusq; ruunt, 1. Æn. Cæteros ruerem, raperem, tunderem, Ter. Urbs antiquarunt. 2. Æn. Variat vestem & variat incessu: Offendit principem, & offendit in tenebris Cic. lib. 9. Epist. 2. Coit societatem Cic. 2 Philipp. coëunt in fœdera dextra, Æn. 11. nil moror istas, dotes. Plaut. in Aulular. apud oppidum morati, Cæs. lib. 2 de bello Gall*]

¶ 2. *Vel in eadem conjugatione diversis formis per O & Or eâdem significatione efferuntur: ut,*

Assentio, assensi, & assentior, assensus sum.
Altercο, & Altercor.
Auguro & Auguror.
Bello *usitatè*, & Bellor.
Comperio Comperior, cómperi.
Censeo, censui: Et Censeor, census sum, *paulò aliâ significatione.*
Cachinno, & Cachinnor.
Comito, & *usitatiùs* Cómitor.
Diverto & Divertor, diverti.
Depasco, depavi, & *usitatiùs* Depascor, depastus sum.
Frustro, & *usitatiùs* Frustror.
Fabrico & Fabricor.
Frutico & Fruticor.
Impertio, impertivi, &: Impertior, impertitus sum.
Jurgo, & Jurgor.
Luxurio & luxurior.

Ludifico & ludificor.
Lacrymo, & *usitatiùs* lacrymor.
Medico, & *usitatiùs* Medicor.
Mereo, merui, & Mereor, meritus sum.
Modero, & *usitatiùs* Moderor.
Munero & Muneror.
Nutríco & Nutrícor.
Obsóno & Obsónor.
Pópulo, *& usitatiùs* Populor.
Punio *usitatiùs*, & Punior.
Palpo & Palpor.
Præverto & Prævertor.
Quiríto & Quiritor.
Rumino & Ruminor.
Remunero & Remuneror.
Ringo, & *usitatiùs* Ringor.
Reverto, & Revertor.
Velifico, & Velificor.

[*Accensentur his etiam* Fœnero & Fœneror, *id est, ad usurã do. cum Dativo vel Accusativo. Sed fœneror cũ præpositione A significat, fœnori accipio.* Mutuo & mutuor, *id est, mutuũ accipio: Mutuet causa mea, Cæcil. Mutuo etiam significat mutuũ do.* Mereo & mereor, *merui & meritus sum. Itẽ mereo, merui, id est stipẽdia facio. Stabulo, id est stabulis excipio, & stabulor, id est stabulis excipier, nõ huc pertinet, licet à Prisciano & aliis inter Abundantia referatur. Prius enim de pastoribus &c. posteriũ de pecoribus dicitur. Cõperio & comperior activè usurpata, tamen cómperi præteritũ habent. Nã compertus sum passivè significat. Iurgo est apud Cic. 4. De Rep. citante Non. Iurgor, Hor. 2. Itẽ satyr 2. Medico, Virg 1 Georg. Ovid. 1. Amor. Unde medicatur passivè Plin. l. 16 c. 27. Unde vinũ medicatũ, passivè. Frustrabo est apud Cæs. Moderabit, Sallust moderat. Acc. populat, Virgil. Unde particip. populatus activè & passivè Luxurior, Col. & Plin. Luxurio ferè usitatiùs. Nutrico. Plaut. in Mil. & Merc. Nutricor, Cic. 2. de nat. Deor. Rumino, Colum. Virg. Plin.*

Plin Rumior, Varro, citante Non. Punio, Cic. Plin. Punior, activè, Cic pro Milone. Nonius etiã duo alia loca ex Cic. activè citat, punitur & puniuntur. ubi tamẽ quædam editiones hodiè legunt punit & puniunt Ludifico, Plaut Cist & Amphitr Ludificor, Cic. Terent. Liv. Lachrymo, Terent. Ovid. Lachrymor, Cic. Palpo, Iuven. Palpor, usitatius. Altercastis, Terent. Altercor, usitatius. A Ringo exemplum non reperire potuimus. Sed Ringor habent Terent. Rinxi præteritum esse vult Despauterius. Depavit in præterit. Columell. lib. 7. Depascit, Virg. 1 Georg. Depascitur, Plin. l. 11. c. 19. Virg. Tib. & alii activè. Depasci, passivè, Cic. Sic etiã simplex Pasco, activè, & Pascor modò activè modò passivè. Activè, ut Pascuntur sylvas, rubos, dumos. Virgil. Apes pascuntur arbuta, salices, Id. 4. Georg. nisi malis dicere esse græcismum. Sic & impasci pratũ apud Columell. l. 2. activè. Censeor, id est profiteri, & censere bona sua, apud Cicer. aliquoties Cachinno, Lucr. Cachinnor. Cic. Quirito, Varro, & Non. Quiritor, Prisc. Velifico, Plin. Propert. Vnde particip. passivũ Velificatus, Iuvenal. sat. 3 Velificor activè, Cic pro lege Agrar. Bellantur dixit Virg 11 Æneid. Comito, Ovid. 2. de ponto & 8 Metamorph. & 14. Metam. Vnde comitatus passivè. Cic Virg. & alii Comitari passivè, Lucret. Comitor, activè frequentius. Cic. Plin & alii pleriq; Diverto, & divertor, præverto & prævertor, unum præteritum activa forma habent. Revertor verò geminum. His addere licet & Nutrio: vel nutrior activè. apud Virg 2. Georg. Multo & multor. Multatus est, activè. Sueton. August. Sacrifico, & Sacrificor apud Varr. l. 2. de re rust. activè Plurima alia è vetustate repetita recensentur apud Prisc. lib 8 Diomedem, Donatum, Marcell Nonium, Aus. Popm. lib. 1. c. 11. antiq. locut. quæ consultò omittimus, tanquàm abhorrentia nimium à probato usu purè loquendi.]

† Ex his nonnulla Communia sunt, quæ in una forma seu terminatione OR promiscuè vel activè vel passivè significant, ut sunt: Frustror, Punior, Pascor, Depascor.

Ludifico & ludificor.
Lacrymo, & *usitatiùs* lacrymor.
Medico, & *usitatiùs* Medicor.
Mereo, merui, & Mereor, meritus sum.
Modero, & *usitatiùs* Moderor.
Munero & Muneror.
Nutríco & Nutrícor.
Obsóno & Obsónor.
Pópulo, *& usitatiùs* Populor.
Punio *usitatiùs*, & Punior.
Palpo & Palpor.
Præverto & Prævertor.
Quiríto & Quirítor.
Rumino & Ruminor.
Remunero & Remuneror.
Ringo, & *usitatiùs* Ringor.
Reverto, & Revertor.
Velifico, & Velificor.

[*Accensentur his etiam* Fœnero & Fœneror, *id est, ad usurã do. cum Dativo vel Accusativo. Sed fœneror cũ præpositione A significat, fœnori accipio.* Mutuo & mutuor, *id est, mutuũ accipio: Mutuet causa mea, Cæcil. Mutuo etiam significat mutuũ do* Mereo & mereor, *merui & meritus sum. Itẽ mereo, merui, id est stipẽdia facio. Stabulo, id est, stabulis excipio, & stabulor, id est stabulis excipier, nõ huc pertinet, licet à Prisciano & aliis inter Abundantia referatur. Prius enim de pastoribus &c. posteriùs de pecoribus dicitur. Cõperio & compertor activè usurpata, tamen cómperi præteritũ habent. Nã compertus sum passivè significat. Iurgo est apud Cic. 4. De Rep. citante Non. Iurgor, Hor. 2. Itẽ satyr 2. Medico, Virg 1 Georg. Ovid. 1. Amor. Vnde medicatur passivè Plin. l. 16 c. 27. Vnde vinũ medicatũ, passivè. Frustrabo est apud Cæs. Moderabit, Sallust moderat. Acc. populat, Virgil. Vnde participium populatus activè & passivè Luxurior, Col. & Plin. Luxurio ferè usitatiùs. Nutrico. Plaut. in Mil. & Merc. Nutricor, Cic. 1. de nat. Deor. Rumino, Colum. Virg. Plin.*

Plin. Rumior, Varro, citante Non. Punio, Cic. Plin. Punior, activè, Cic. pro Milone. Nonius etiã duo alia loca ex Cic. activè citat, punitur & puniuntur, ubi tamẽ quadam editiones hodiè legunt punit & puniunt Ludifico, Plaut Cist & Amphitr. Ludificor, Cic. Terent. Liv. Lachrymo, Terent. Ovid. Lachrymor, Cic. Palpo, Iuven. Palpor, usitatius. Altercastis, Terent. Altercor, usitatius. A Ringo exemplum non reperire potuimus. Sed Ringor habent Terent. Rinxi præteritum esse vult Despauterius. Depavit in præterit. Columell. lib. 7. Depascit, Virg. 1 Georg. Depascitur, Plin. l. 11. c. 19. Virg. Tib. & alii activè. Depasci, passivè, Cic. Sic etiã simplex Pasco, activè, & Pascor modò activè modò passivè. Activè, ut Pascuntur sylvas, rubos, dumos. Virgil. Apes pascuntur arbuta, salices, Id. 4. Georg. nisi malis dicere esse græcismum. Sic & impasci pratũ apud Columell. l. 2. activè. Censeor, id est profiteri, & censere bona sua, apud Cicer. aliquoties Cachinno, Lucr. Cachinnor. Cic Quirito, Varro, & Non. Quiritor, Prisc. Velifico, Plin. Propert. Unde particip. passivũ Velificatus, Iuvenal. sat. 3 Velificor activè, Cic pro lege Agrar. Bellantur dixit Virg 11 Æneid. Comito, Ovid. 2. de ponto & 8 Metamorph. & 14. Metam. Unde comitatus passivè. Cic Virg. & alii Comitari passivè, Lucret. Comitor, activè frequentiùs. Cic. Plin & alii pleriq; Diverto, & divertor, præverto & prævertor, unum præteritum activa forma habent. Revertor verò geminum. His addere licet & Nutrio: vel nutrior activè. apud Virg 2. Georg. Multo & multor. Multatus est, activè. Sueton. August. Sacrifico, & Sacrificor apud Varr. l. 2. de re rust. activè Plurima alia è vetustate repetita recensentur apud Prisc. lib 8 Diomedem, Donatum, Marcell Nonium. Aus. Popm. lib. 1. c. 11. antiq. locut. quæ consultò omittimus, tanquàm abhorrentia nimium à probato usu purè loquendi.]

† Ex his nonnulla Communia sunt, quæ in una forma seu terminatione OR promiscuè vel activè vel passivè significant, ut sunt: Frustror, Punior, Pascor, Depascor.

[Item comitor, Multor, Velificor, Nutrior, Prævertor. Ubi tamen usus respiciendus. Hinc patet Communia verba activè & passivè simul significare vigemina & abundantia terminationis: ideóq; commodius inter Anomala abundantia referri quàm distributioni Verborum generali subjici. Passivam enim significationem habent à terminatione O, quæ adhuc in usu fit. Tradit Brassicanus decem verba à Grammaticis haberi pro communibus: Criminor, amplector, moror, osculor, hospitor, hortor, Largior & veneror, interpretor, experiorq;: ipse etiam plura addit. Sed suprà pag. 16[illegible] dictum est, illa esse antiquata & non usurpanda. Quare nec vulgati versiculi pueris proponi debent, Osculor, amplector, Moror autem non ad communia pertinet, sed ad superiorem classem, quia neutraliter & activè, promiscuè significat.]

¶ 3. ***Vel denique diversis conjugationibus simul conjugantur, ut*** : Lavo, ās, āre : & lavo, is ĕre: Tergeo, es, ēre : & tergo, is, ĕre. Ferveo, es, ēre: & fervo, is, ĕre. Strideo, es, ēre : & strido, is, ĕre. Fulgeo, es, ēre: & fulgo, is, ĕre.

Sic & Deponentia quædam : ut Tueor, ēris, ēri, *usitatè* : & Tuor, tuĕris, tui, *inusitatè, in tertia conjugatione.*

Potior, potĭtur & potĕrer, *in tertia conjug.* & Potior, potīris, potīri *in 4. conjugat. integrè usitatius.*

Orior, orĕris, orĭtur, *in 3. usitatè*, & Orior, orīris, orīri, *i longa. Qui infinitivus ex 4. conjug. solùm usurpatur, non ex tertia.*

Morior, ĕris, ĭtur, *in tertia conjug. usitatè: (& antiquè in quarta* morīmur, *apud Enn.* morīri *apud Terent. Eunuch. & Ovid. 14. Metam.)*

[*Sic*

[*Sic oleo, ere usitatè, & olo, olis, ólere inusitatè apud Plaut. Sugo, is, sugere, usitatè, & sugeo, es, sugére, apud Plaut. Plura vide apud Popm. l. 1. c. 11. Verbum potior integrè in quarta conjugatione flectitur: & in paucis personis reperitur etiam in tertia, ut Auro vi pótitur, Virg. Nos te poteremur Achille, Ovid. Orior ex tertia conjugatione habet óritur tantùm (non orítur) Ex quarta oriri (non ori.) In cæteris temporibus & personis promiscuum est.*]

II. VARIANTIA.

¶ *Variantia verba sunt, quæ integra in plerisq; temporibus à consuetâ conjugandi formâ deflectunt, ut potissimum sunt* Fero, Sum, Possum, Volo, Nolo, Malo, Fio, Eo, Queo, Nequeo, Veneo, Edo.

Scholia ad verbum Sum.

[*Sic conjugantur & composita, ut Absum, adsum, Desum, Insum, Intersum, Obsum, Prosum, Præsum, Subsum, Supersum. Sed de Prosum notandum, quod si præpositionem Pro, sequatur vocalis, interponatur D. ut* prodes, prodest, prodessem, &c. *A Præsum fit participium* præsens, *id est, qui adest. Ab Absum fit* Absens. *Cætera non habent præs. participium Etiam simplex ~~Ens, philosophicum potiùs vocabulum est, quàm Latinum~~.*

Fore etiam cum participio uspiam legitur, ut fore venturum, Cic. fore expectandum. Id. Epist. fam. Visuros fore, Id. pro Milon. Composita sunt, Affore, Profore, Horat. Perfore, Cic. Confore, Terent. Defore, Cic. Videtur potiùs referendum ad defectivum Forem, fores, foret, de quo infrà.]

Scholia ad verbum Possum.

[*Potestur, pro potest, frequens est apud veteres, Lucret. non, &c.*

Scholia ad verbum Volo.

[*Nonnulli Supinum esse dicunt vultum, licet inusitatum, unde fit nomen vultus, quia ex vultu animus & voluntas hominis cognoscitur.*

Scholia ad verba Nolo, Malo.

[*Invenitur & noltis, apud Lucil. ut citat Diomed. libr. 1. Vultis empta est.. oltis non empta est.*]

[*Leguntur & Mavelim, Mavellem & Mavolam, apud Plaut. in Asina. & Amphitruon.*]

Scholia ad verbum Fio.

[*Verbum Facior est inusitatum in præsentibus, Imperfectis & futuris: ideoq; ejus loco sumitur verbum Fio. Caret etiam Gerundiis, pro quibus dicimus faciendi, faciendo, faciendum. Nec in usu sunt imperativi, quos recenset Aldus. Fi, fito, fite, fitote fiunto. Apud veteres legitur & fitur, facitur & faciatur, teste Prisciano.*]

[Fiens, fiendus, *barbara sunt.*]

Scholia ad verbum Eo.

[*Ambio compositum, quia terminationem regularem in io assumit, ideò etiam per omnia ferè est regulare, Dicitur enim Ambio, ambivi, ambitum. In Imperfecto, Ambiebam & ambibam. Sic & participium Ambiens, ambientis. Futuro, ambiam, ambies, ambiet. Porrò legitur etiam à cæteris interdum futurum regulare, ut Transiet, præteriet, iniet, &c. apud veteres.*]

Passivum ab Eo in tertiis personis.

Indicativi præsens: Itur. [*Itur in antiquam sylvam. Virg. Itur ad me, Terent.*]

Imperfectum: Ibatur. [*Ibatur in eam sententiam, Cic. ad Q. Fr. l 2.*]

Perfectum: Itum est vel fuit. [*Tum primùm audacia obviam itum est. Sallust.*

Futurum: Ibitur. [*Plaut. Truculent.*]

Impe-

Imperativi præsens: Eatur. [*Senec. in Medea.*]
Subjunctivi præsens: Eatur.
Imperfectum: Iretur. [*Iudice defuncto, priusquàm ad eum iretur. Papinian*]
Perfectum: Itum sit vel fuerit.
Plusquamperfectum: Itum esset vel fuisset.
Futuro: Itum erit vel fuerit.
Infinitivo: Iri: *ut amatum iri, monitum iri, &c.*
Perfecto: Itum esse vel fuisse. [*Antè non esse itum obviam, Cic.*]

[*Composita autem ab Eo, activè significantia, integrè in passivo conjugari possunt: ut, subeuntur prospera castra, Iuven. Morte obita, Virg. Granaria scalis adeuntur, Colum. l. 1. pericula adeuntur, Cic. Imò à Neutro intereo, Interitis multis, id est, occisis, dixit Claud. Quadrig.*]

Scholia ad verbum Queo.

[*Lucret. passivè Queatur dixit, lib. 1. & Quita est, pro quivit. Terent.*]

Scholia ad verbum Veneo.

[*Veniens participium, veneuntis, &c. Aldus format: Sed Brassicanus rejicit. Veneatur, in passiva forma usurpavit Ticinn. citante Diomede.*]

[*Supinum juxta nonnullos est* venum: *quod quidam adverbium esse contendunt sicut* pessum.]

Scholia ad verbum Edo.

[*Sic composita, Comedo, comest. Ambedo, ambest, Exedo, exest, quæ duo posteriora, Lamellot. ab Edo, alij defectiva composita à Sum esse voluit, Alterst. in vocab.*]

[*Apud Ovid. est Estur passivum: Estur ut occulta vitiata putredine navis.*]

III. DEFICIENTIA.

¶ *Deficientia verba sunt, quæ vel præsentibus, vel perfectis temporibus deficiunt: Præsentibus, ut Odi, Memini, Cœpi, quæ significationem præsentis &*

 præter-

præteriti habent, velut: Odi, ich haß / vnd hab gehaßt / *Memini*, ich gedenck / vnd hab gedacht / *Cœpi*, ich fang an / vnd hab angefangen.

[*De Rorat, Fulminat, Grandinat, Pluit, &c. quæ primis personis carere volunt, vide supra in definitione Neutrorum. Nam Scaliger verba hæc, Pluere, Ningere, (& sic Rorare) asserit non destitui primis personis.* Cœpio *etiam in præsenti Indicativo, &* Cœpiam *in præsenti subjunctivo apud Plaut. reperitur. Item apud Caton.*]

Indicativo modo, tempore præsenti, & præterito perfecto.
S. Odi, Memini, Cœpi, isti, it, P. imus, istis erunt vel ēre.

Præterito imperfecto & plusquamperfecto. S. Oderam, memineram, cœperam, ras, rat, P. ramus, ratis, rant.

Imperativo modo, tempore futuro. S. Memento tu, memento ille. P. Mementote.

Optativo modo, tempore præsenti, & præterito perfecto.
S. Utinam oderim, meminerim. cœperim, ris, rit. P. rimus, ritis, rint.

Præterito imperfecto & plusquamperfecto. S. Utinā odissem, meminissem, cœpissem, es, et. P. emus, etis, ent.

Subjunctivo modo, tempore præsenti, & præterito perfecto.
S. Cùm oderim, meminerim, cœperim, ris, rit. P. rimus, ritis, rint.

Præterito imperfecto & plusquamperfecto. S. Cùm odissem, meminissem, cœpissem, es, et. P. emus, etis, ent.

Futuro. S. Cùm odero, meminero. cœpero, ris, rit. P. rimus. ritis, rint.

Infinitivo. Odisse, meminisse, cœpisse.

Supina sunt: Cœptum, cœptu.

Participia: Osus, cœptus, & osurus, cœpturus.

[*Priscian. lib.* II *citat ex Livio Andronic. participium præsens Meminens: Osasum, id est, odio habui, Plaut. Amphitr.*]

§ *Præ-*

¶ *Præteritis deficiunt sequentia.*

Nexo, Labo, Sido, Fer.o, cum Polleo, Vado.
Ambigo, Vergo, Ajo, Satago, cum Liveo, Glisco,
Mœret, Avet, Nídetque, Furit, sic Hisco, Fatisco,
Et Ringor, Vescor, Liquor, Medeor, Reminiscor.

[*Mutuantur igitur Præterita ab aliis verbis idem significantibus, ut Ferio, percussi. Recentiores quidam dixerunt, Ferij. A Mœreo multi Grammatici formant præteritum mœstus sum, quos suprà secuti sumus. Quidam verò mœstus dicunt esse Nomen, & non præteritum. A Medeor sunt qui medicatus faciant. Sed illud est à Medicor.*]

¶ *Sic Passiva quoque, quorum activa Supinis carent, Præteritis destituuntur.*

[*Eorum igitur loco æquipollentia verba substituenda sunt, ut, poscor non habet præteritum passivum, sed ejus loco dicendum, postulatus sum, vel requisitus sum, vel simile aliquid. Eodem modo Infinitivi futurum & participium futurum, in verbis Supino carentibus, circumloquendum est, ut à psallo, dicendum psallere volens, psallere parans vel cantaturus: fore ut psallat, cantaturum esse, vel alio modo simili.*]

† Supinis carent sequentia:

Luceo, compesco, sapio, conniveo, disco,
Strideo, posco, mico, paveo, timeo, sileoque,
Arceo, dispesco, dego, urgeo, turgeo, glisco,
Ambigo & emineo, vergo, nolo, hisco, fatisco,
Prodigo, vado, tremo, satago, ferioque, refello,
Et batuo, psallo, cernoque, excelleo, sterto,
Respuo, promineo, volo, congruo, & ingruo, fido,
Et clango, mingo, malo, furo, liveo, pedo,
Et vescor, liquor, medeor, reminiscor, & ango,
Et liqueo, studeo, labo, polleo, mœreo, & ajo,
Accido & irascor, moereor, singultio, nexo,
Quæque secunda in Eo dat cæteraque pleraque Neutra:
Nideo & immineo, caleo, albeo, calleo, fio.
Candet, eget, fulget, flavet, flaccetque, cluetque,

Frondet,

Frondet, avet, muetq;, rubet, palletq;, macetq;,
Atq; madet, pinguet, raucet, riget atq; renidet,
Et fordet, splendet, torpet, salvetq;, tumetque,
Horret, itemq; viget, languet, mœretque valetq;.
His adde: abstineo, præsagit, obedit, ineptit.

† Ovat, *id est, lætatur,* & Ovans particip. præsens tantùm reperitur.

[*Negant pluribus personis usurpandum esse, quàm in tertia singulari Indicativi, & in participio Ovans, ovantis. Sed quid prohibeat, exigente rei conditione, etiam pluribus uti juxta analogiam?*]

SALVE, AVE, VALE.

Imp. præs. S. Salve, Ave, Vale, *P.* Salvete, avete, valete.
Futuro. Aveto.
Infinitivo. Salvere, avere, valere.
Dicitur & salvebis *&* valebis *apud Ciceronem.*

[*Vale non videtur esse defectivum, cùm significatione non admodùm differat à verbo Valeo, quod integrè usurpatur. Salveo etiam in præs. Indicativo dixit Plaut. Truc. Salve & Vale conjungebant veteres discedentes ab iis, quos nunquàm visuri essent. Et sic, Varrone teste, mortuos salvere & valere jubebant. Vide Taubm. in Plaut. captiv. pag. 218.*]

† Sunt etiam in quibusdam verbis primæ personæ inusitatæ, ut: non dicitur Dor, For, Furo, Der, Fer *id est, loquar.*) *Sic in Imperativo* Sci, *non usurpatur, sed Scias, in Subjunctivo.*

[*Despauter. recenset plura defectiva, taxis pro tangas, excessis pro excedas, prohibessis, prohibessit, pro prohibeas, at: Danunt pro dant: Levasso, pro levabo, vel levavero, &c. Sed hæc possunt referri ad antiquatas temporum formationes, de quibus suprà.*] p. 174. f. 130.

IV. DEFICIENTIA ET VARIANTIA SIMUL.

¶ Deficientia & variantia simul sunt: *Inquio, Ajo,*

Ajo, Ausim, Cedo, Faxo, Forem, Quæso, Infit, Desit, Age, Apage.

INQUAM, seu INQUIO, & AIO.

Indicativo modo, tempore præsenti.

S. Inquam, & inquio *rarius:* Ajo: inquis, ais, inquit, ait. P. Inquimus, inquitis, inquiunt, ajunt.

Præterito imperfecto.

S. Inquiebam, ajebam, bas, bat. P. Bamus, batis, bant.

Præterito perfecto.

S. Inquisti, aisti, inquit, P. Aistis.

Futuro.

S. Inquies, inquiet [*Apud Ciceron. in 4. Verrin.*] P. Inquient.

Imperativo præsentis.

Inque, Ai, *apud Nævium & Plaut & Inque etiam apud Terent.*

Futuro.

Inquito. [*Apud Plaut. Aulular.*]

Optativo futuro, & Subjunctivo præsenti.

S. Ajas, inquiat, ajat. P. Ajamus, ajant,

Participium est, Inquiens, Ajens.

AUSIM.

Subjunctivo. S. Ausim, ausis, ausit. P. Ausint.

CEDO.

Hæc vox Cedo *pro Dic aut Porrige extat, Imperativi significatione. Plurali* cedite, *apud Ennium.*

FAXO.

Indicativi futuro. Faxo, *id est*, faciam.

Subjunctivo. S. Faxim, faxis, faxit. *Plur.* Faxitis, faxint.

FOREM.

Optativo & Subjunctivo, Sing. Forem, fores, foret. P. Forent.

Infinitivi futuro, Fore.

QUÆSO,

QUÆSO.

Indicativo præsenti. S. Quæso. *Plur.* Quæsumus. INFIT, *id est, ait, vel incipit.*

[*In prima persona infio dixit Varro, citante Prisciano. Quæsit apud Lucret. & Quæsere apud Cic. allegante Altenst. in Voc.*]

DEFIT, *id est, deest*, defiet, defiat, defieri.

AGE, APAGE. P. Agite, Apagete.

[*Apud Comicos frequenter occurrunt cave sis, vide sis, apage-sis, Sultis, sodes, capsis (id est. si vis, si vultis, si audes; cape si vis) quæ sive verba sint, sive interjectiones, adduntur imperativis, ut eorum asperitatem & austeritatem emolliant.*]

DE IMPERSONALIBUS.

[*Suprà pag.* ... *dictum, verba alia esse Personalia, alia Impersonalia. De personalibus hactenus egimus. Impersonalia verò etiam ad Defectiva commodè referri possunt, quia non nisi in tertia persona conjugantur Iure igitur de iis hoc loco agitur post Personalium & Defectivorum doctrinam. Quamvis autem plerunque conjugatio ex præcedentibus cognosci possit (referuntur enim ad suam quæque conjugationem) tamen quia nonnulla discedunt à regulari forma, seorsum de iis agendum.*]

† Quædam Impersonalia Activa (ut vocant) interdum integrè & personaliter usurpantur, ut Præsto, Placeo, Vaco, Conduco, Delecto, &c. Ac tùm huc non pertinent.

[*Sic Pudeo, Plaut citante Lossio: Et Lucan. quem sæva pudebunt, &c. Pertædeo, Gell. lib. 1. cap. 2. lib 16. Etiam Pigeo, Tædeo, Pœniteo, Liqueo, Liceo, Libeo, Oporteo, veteribus usurpata fuisse Priscianus ex Capro docet lib. 11. Verùm ista nequaquam sunt imitanda.*]

† Conjugatio sequitur regulas Personalium. Nam,

Primæ

Primæ conjugationis sunt: Iuvat, Delectat, Præstat, Restat, Constat, Vacat.

Secundę sunt: Decet, Libet, Licet, Liquet; Miseret, Oportet, Piget, Pœnitet, Pudet, Placet, Solet, Tædet.

A Libet, fit Libuit & Libitum est.

A Licet, Licuit, & Licitum est.

A Tædet & Pertædet, Pertæsum est.

[*Tæduit, Tæsum est, sunt in rara usu, Loss. licet Gellius pertæduissent dixerit.*]

A *Liquet non est Præteritum.* [Brassicanus tamen non veretur formare Licuit.]

A *Miseret, Misertum est.*

[*Et apud Terent. Phorm. Miseritum est: Legitur & Miseretur eodem sensu apud Turpil. teste Nonio.*]

A *Piget, Piguit,* [Et apud Stat. l. 7. Pigitum est.]

A *Placet, Placuit, & Placitum est.*

A *Pudet, Puduit & Puditum est.* [Puditum est apud Cic. & Plaut.]

Tertiæ conjugationis sunt; Accidit, Contingit, Conducit, Sufficit.

[*Accidit, in præt. accidit, Contingit, præterit, contigit: Conducit, præt. conduxit apud Colum. lib. 1. Id minime conduxit agricolæ. Sufficit, præterit. Suffecit. Sicut Ovid. 3. trist. personaliter dixit, suffecitq; malis animus. Miserescit, quod Aldus addit, eodem autore habet misertum est.*]

† Quartæ conjugationis sunt, Evenit, Expedit.

[*Præterito Evénit, Expedivit, teste Brassic. Apud Plaut. in Amphitr. Expedivit impersonaliter usurpatur, pro successit vel evénit.*]

† Cætera, Est, Interest, Potest, Refert,

xe A-

ex Anomalorum conjugationibus manifestà ſunt.

[*Præteritis Fuit, Interfuit, Potuit; Retulit. Parvi retulit, Terent. Phorm. act. 4. ſcen. 3.*]

† Idem prorſus judicium eſt de Paſſivis Impersonalibus.

[*Vt, curritur, curſum eſt vel fuit. Ventum eſt, Ventum erat. Horat.*]

† Carent autem Supinis & Gerundiis pleraque Impersonalia : *& ſic Futuris Infinitivi quoque.*

[*Legitur tamen Pœnitendum ſit, Pœnitendum eſſe, apud Salluſt. Iug. & Cic. Attic Pœnitendi vis, in Tuſcul. Cauſſas pœnitendi, id. Epiſt fam. Pudendum ſit, Cic. 5. Phil Pudendo, Id. Non pudendo, ſed non faciendo id quod non decet, impudentiæ nomen effugere debemus. At pigendum, apud eund. A Libet dicitur Libitum. A Licet, Licitum: A Miſeret, Miſertum: A Pertædet, Pertæſum: A Piget, pigitum: A Placet Placitum: A Pudet, Puditum, in Supinis, teſte Braſſicano. Cæterùm Impersonalia Activa his verſibus comprehenſa ſunt:*]

Evenit atq; Licet, Præſtat, Reſtatque, Vacatque,
Sufficit & Conſtat, Liquet, Expedit & Contingit,
Convenit, atq; Placet, Libet, Accidit & Conducit,
Et Solet, atq; Poteſt, Refert, Eſt, Intereratque,
Pœnitet atq; Piget, Tædetque, Pudet, Miſeretque,
Cum quib. adde Iuvat, Decet & Delectat, Oportet.]

CAPUT XXII.
DE VERBI SPECIE ET Figura.

* Species verborum ſunt, primitiva, ut *Lego dico*: Derivativa, ut *Lectito, dictito.*

[*Illa*

[*Illa ab aliis dicitur forma verbi perfecta, quòd à nullo alio descendat, hæc contrà imperfecta. Derivata, appellare mavult Scal. quàm Derivativa quia derivantur, non derivant.*]

¶ Sed quæ Derivata sunt, eorum Inchoativa quædam dicuntur, quædam Frequentativa, quædam Meditativa, quædam etiam Deminutiva.

[*Et hæ sunt species principales & magis usitatæ, quibus adduntur ab aliis Apparitiva, quæ apparentiam significant, ut albico, id est, albus appareo, quæ tamen referri possunt ad frequentativa. Et imitativa, quæ imitationem significant, ut Pitisso apud Lucretium, Petesso apud Terentium. Sic Patrisso, Atticisso, Græcizo, Platonizo, qui Græcismi sunt, à Latinis redditi per or, ut Græcor, Poetor, Philosophor. Sic bacchor à Baccho, cornicor à cornice, vulpinor à vulpe. Referuntur hæc itidem ad frequentativa. Imitativorum tres modos Scaliger constituit pulcherrimè. 1. Aut enim significant apertam imitationem, ut Atticisso. 2. aut minus apertam, ut φιλιππίζω: neq; enim Æschines potiùs imitabatur Philippũ, quàm sequebatur. 3 Tertius modus est cùm dicimus Cyathissare. Neq; enim aut imitamur aut sequimur cyathũ, sed trãslatum est significatum à causa efficiente in instrumentum.*]

¶ Inchoativa sunt, quæ inchoationem, aut gliscere, & intendi significant, atq; in Sco desinunt.

[*Illa tamen, quæ in sco aut Scor desinunt, Valla refert ad meditativa seu continuativa, à quo dissentiunt Scaliger & Saturnius Curius, & rectè.*]

¶ Inchoativa fiunt vel à Verbis, & quidem secunda persona singulari præsentis indicativi, additâ syllabâ Co, ut: labo, labas, labasco: ferveo, ferves, fervesco: vel à Nominibus tam substantivis, ut sylvesco à sylva, vilesco à vilis, repuerasco à puer, &c. quàm adjectivis, ut ditesco, mitesco, dulcesco, hebesco, &c.

¶ *Excipiuntur illa, quæ pro thematibus usurpantur, ut Hisco, Fatisco: unde defetiscor, (quod est defatigor.)*

[*Vulgò in Inchoativis descendentibus à Nominibus Substantivis afferunt & Senesco à Senex. Sed malè: Cùm enim senesco habeat præteritum senui, non derivabitur à nomine senex, sed à verbo seneo, quo usus est Catullus. De natura & nomine Inchoativorum pulchra tradit Scaliger libr. 5. cc. l l. cap. 123. At Inchoativa, inquit, quæ in Sco facerent: ut, Fervesco: recepta quidem sunt ab omnibus: sed recentiores in ipsis negarunt Inchoationem, idemq́ velle, quod ea quæ à Fio componuntur: ut sit calesco, quod calefio, quorum Præterita exponuntur per factum esse: sic, macruit, macrefactus est: quæ præterita, si sint à primitivis, per Fuit interpretemur: Sic, macruit, id est, macer fuit: quo macreo sit, macer sum. Igitur non significare Inchoationem, propterea quòd apud Virgilium sit, incipiunt agitata tumescere. Cæterùm eorum sententia sic est perpendenda: tumere alio modo accipitur, alio tumescere: At fluctus & tumet & tumescit. Item ignis calet, non calescit: at ferrum igne calescit: ut sint verba quæ habent significatum μέσον, quale θερμαίνομαι calesco. Ergo, quemadmodum dicebamus, qualitates aut accidentia illa, quæ his verbis significantur, interdum sunt in fluxu, & ut ait Plato in Cratylo, ἐν τῷ ῥεῖν: interdum jam fixa. Etenim in mente tumor jam non movetur, iccirco eum temere dicimus. At dum fluunt, per verbum in Sco explicantur. Iccirco ubi erit verbum in Sco, poterit esse etiam primitivum & non è contrario, propterea quòd habitus jam introductus est, quem habitum ipsum verbum significat, sed non est idem modus, nam modus ille augescendi, aut procedendi, à primitivo declaratur. Igitur fluctus, & tumet, quia in eo est tumor: & tumescit, quia tumor tendit ad altum gradum: Sic crescere est creascere, id est, accipere augmentum in carne παρὰ τὸ κρέας, Ex quibus constant, non ineptè dicta à veteribus inchoativa, &c.*]

† Obser-

† OBSERVATIONES. Omnia verba inchoativa ſunt conjugationis tertiæ.

Verba inchoativa non habent perfecta propria, ſed ſuorum primitivorum adoptant, ut: Seneſco, ſenui: caleſco, calui: obdormiſco obdormivi.

Ergò quæ in Sco deſinunt, & propria præterita habent, inchoativa non ſunt, ut: Paſco, pavi, Sueſco, ſuevi. Compeſco, compeſcui, Diſco, didici. &c.

[Carent autem inchoativa præteritis non propter ſignificationem, ut ajunt: Nam & ipſum incoho, habet præteritum: ſed quia non patitur formatio: & cùm mutuantur à primitivo, facilè confunduntur interpretationes, ut macruit, macer fuit. & pro eo, quòd eſt, macer factus eſt Scalig.]

Quæ inchoativa fiunt à nominibus, præteritis perfectis carent, ut: repueraſco, ſylveſco, dumeſco, ſterileſco.

Quæ à verbis derivantur, præteritum à ſuis primitivis, mutuantur, ut: Caleſco, calui, à caleo: Sic erubeſco, obmuteſco, exardeſco, adoleſco, &c.

¶ *Frequentativa ſunt, quæ in* To, So, *aut* Xo *exeunt, & aſſiduitatem vel conatum ſignificant, ut: agito, (crebrò ago:) pulſo (valdè impello:) viſo, (eo ad videndum:) capeſſo, (eo ad capiendum:) nexo, (frequenter necto:) Vnde & à nonnullis vocantur Iterativa. Reperiuntur etiam, quæ in* Co *aut* Or *exeunt, ut vèllico* [à vello,] *fódico* [à fodio,] *minitor* [frequenter minor.] His adduntur Sector, Scitor, Sciſcitor; à ſecutum, ſcitum & ſciſco.

[Est qui de tribus terminationibus To, Xo *&* Co *nihil dubitat, de terminatione verò* So *vehementer. Nam, inquit, in* So *desinentia sunt desiderativa, si credimus Saturnio: Si credimus Vallæ, sunt inchoativa, & conatum significant. Atqui hoc modo de terminatione* To *etiam dubitandum, eaq; referenda esset ad verba desiderativa. Nonnulla enim verba in* To *conatum aut desiderium significant, ut capto, id est, conor capere. dormito, id est, cupio dormire. Quædam etiam in* To *potiùs deminutionem quàm frequentationem notant, ut Esito, Cœnito. In eo autem errat Valla, quòd ea quæ conatum aut gestum significant, ad inchoativa refert, cùm revera sint frequentativa, ut viso, id est, eo ad videndum, proviso, id est, eo ad providendum. Quomodo enim incipiat videre qui eat ad videndum? nondum enim videt.]*

† Observatio. Verba formæ frequentativæ sunt primæ conjugationis, exceptis paucis conjugationis tertiæ, ut: Accerso, arcesso, capesso, facesso, incesso, lacesso, viso.

† Regulæ. I. Quæ habent *Gi* in præterito perfecto, faciunt frequentativa à tertia persona indicativi præsentis, addita litera O, ut Ago, agit, agito. cogo, cogit, cogito: fugio, fugit, fugito. *At à Lego, fit Lectito.*

II. Quæ verò ab ultimo supino fiunt, ea vel U in O mutant, ut à cursu fit curso, à nexu nexo, à visu, viso: vel A longum in I breve convertunt, ut ab imperatu imperito, à clamatu clamito, à volatu, volito, &c.

III. Quædam fiunt à secunda persona præsentis indicativi I in E mutato, addendo So, ut ab Arcio, arcis, fit arcesso: à lacio (*verbo prisco*) lacis, lacesso: capio, capis, capesso: facio, facis, facesso.

[*Rati-*

[Rationem quod Frequentativa à supinis ducta sint, Scal. reddit istam; quia alterum significat terminum unde fit motus, alterum quo fit motus. Itaq; vecto significat veho, sed ita, ut semper in ipsa sim actione, quæ ad finem tendit, quasi vectum eo: nunquam igitur absolvit, sed iterat actiones. Vulgò generaliter dicunt, Frequentativa formari ab omnibus verbis. Non placet: quia tantùm ducuntur ab illis quibus autores probati utuntur frequentiùs. Non enim invenitur Docto à doceo, amito, ab amo, audito ab audio, &c. Veteres verba frequentativa sæpe usurparunt pro suis primitivis, ut Cato, Dolito. Emito, Redemtito. Salust. Agito, ducto, Lucret Coepto Discrepito, Fugito. Imperito, Negito, Nominito, Renuto, Gell. Soluto, Mutuáto, &c.]

¶ *Meditativa sunt, quæ in* rio *desinunt, ut Esurio, lecturio.*

[Sic dicuntur, quia meditationem, affectum, & voluntatem multiplicem significant, ut patet in Esurio. Qui enim esurit, nihil aliud auditq; videtq; quàm esculenta & potulenta. Unde Scalig dicit, quòd his formis tantùm affectum ostendimus, tamq; intensum, ut nihil aliud meditari videamur. Quia verò multi ambigunt de pronunciatione literæ U, *observandum omnia verba meditativa illam corripere, adeò ut meditativa non sint, quæ eam producunt, secundùm Verepæum. Dicendum igitur: Esurio, ésuris, ésurit, media correpta. Sustulit esuriens minùs hoc jucundus amici. Hor. &: Esurit intactam Paridi nisi vendat Agavē, Iuven. Pârturis, apud Flaccum. Cœnáturis apud Mart. li. 11. epig. 78. Micturis, apud Iuv. Noctibus hîc ponunt lecticas, micturiunt hic. Ligurio tamen Horatius producit lib. 2 serm. sat. 2. Puer unctis tractavit calicem manibus, dum furta ligurit. Sed illud omnes eruditi legendum putant per* rr *geminatum, ut annotat Antonius Muretus in suis ad Terentium scholiis. Neq; Meditativum est, cùm non à supino fiat, sicut nec Scaturio, & Scalpurio. Meditativorum verò nomen recentiores nonnulli mutaverunt, & Desiderativa appellare maluerunt. Reprehendit hos*

 Scalig.

" Scalig. Nam desiderii causa cognitio est: meditatio autem re-
" petita cognitio ex memoria. Desideramus ea, quæ in potestate
" nostra non sunt: at meditamur etiam ea, quæ in nobis sunt, ut
" ea exequamur. Ab aliis vocantur etiam exercitativa.]

† OBSERVAT. Verba meditativa propriè fiunt à supinis, & ad quartam conjugationem pertinent.

[*Negat Scalig. Meditativa venire à Supino, sed à Futuro participio Activo, ut; Quò tendit Gnatho? ad Pamphilum; Cujus rei ergò? Cœnaturus. Inde Cœnaturio. Nos dissentimus, propterea quia U in his verbis corripitur, ut jam dictum. Vide & Taubm. in dissertat. de ling. lat.*

Tradunt nonnulli libelli Grammatici, omnia verba Meditativa carere præterito, præter Parturivi, Esurivi. Et facilè concedimus pauca extare apud autores. Si tamen ad Analogiam respiciamus, quid vetabit quò minus dicamus de sorore quæ annis nubilibus maturuit, soror mea nupturivit? Nupturisse Apulejus habet in Apolog. Sic & empturivit, micturivit, proscripturivit, &c.]

¶ *Deminutiva in* Lo *desinunt, & deminutionem primitivi significant, ut à sorbeo sorbillo, à canto cantillo, id est, modicè sorbeo, parum canto.*

[*Diminutiva omnes dicunt in Lo desinere, quos & nos sumus secuti: Unde Scaliger dicit, Deminutiva non esse controversa, & neminem dubitare in Lo desinentia esse Deminutiva: qualia Sorbillo, Conscribillo. Si autem significationẽ verborum nonnullorum intimiùs consideramus, videmur & dare nos posse Deminutiva in To & Co. Dormito enim, quod cum vulgo ad frequentativa retulimus, non est frequenter dormio, juxta ipsum Scalig pag 318. sed leviter dormio. Sic albico, candico, nigrico, videtur idem significare, quod parum albeo, candeo, &c. Ergo cui hæc sententia arridet, potest sic dicere: Deminutiva in Lo, Co, To desinunt, &c. Non tamen desunt qui ea dicere malint Apparitiva, quòd tantùm ostendant apparentiam.*]

† OBSER-

† Observatio. Omnia verba deminutiva ſunt primæ Conjugationis.

* Figuræ Verborum ſunt: ſimplex, *ut lego*, Compoſita, ut *perlego*.

[Componitur Verbum 1. vel cum Nomine, ut magnifico 2. vel cum Verbo, ut calefacio. 3. vel cum Adverbio, ut benefacio, Satago. 4. vel cum Præpoſitione, ut perficio, proficio]

Cap. XXIII.

DE PARTICIPIO.

* Participium eſt nomen verbale ſignificans tempus. Vel: *eſt Vox variabilis per caſus, ſignificans rem cum tempore.*

[Participium diſtinctam eſſe orationis partem, pulchrè oſtendit Scal. cap. 141. l. l. Non enim eſt Verbum, quia conſtat Genere & Caſu: Neq; Nomen, quia habet differentiam temporis. Item quia habet verbi conſtructionem. Nam ſi quem caſum Nomina ſortiuntur, id Scaliger dicit evenire aut vi orationis aut Verbi cujuſpiam merito, ut potens lyræ *(ſicut, dominus lyræ)* amicus illi *(id eſt, favet, vel adeſt illi)* Superbus pecuniâ *(id eſt, factus à pecuniâ.) &c. Quidam ad Verbum referunt, quia derivatum ſit ejuſdem cenſus cum ſuo primigenio. Perperam. Derivatum enim vel ſequitur rationem primigenii, vel excedit, vel exceditur. Si ſequitur, ejuſdem ſpeciei ſive claſſis eſt, ut* Rex, regius, *utrumq; Nomen eſt. Si excedit aut exceditur, nequaquam manet in eadem claſſe.* Malus, Malè, *Malè enim adverbium derivatum, exceditur à primitivo, Numero, Caſu & Genere. Sic* Contra, Contrarius: *derivatum Nomen excedit primitivum iiſdem. Sic & participium cùm excedat Verbum Genere & caſu, verbum nullo modo eſſe poterit, Adhæc, ſi à canendo eſt cantor, cantor Verbum eſſet non Nomen, quod abſurdum. Participium itaq; à verbi ortum, traxit ſecum tempora & ſignificationem, adjunxitq;*

junxitq; generi & casibus. plus enim Verbi quàm Nominis obtinet. Scalig. ad l. Versor ita: Convenientiam majorem Participium cum Verbo habet, quàm cum Nomine, tàm in voce quàm in significatione. Festivè Scalig. sicut, inquit, Cæsar & cursus uno codemq; corpore continetur, ita inventa est à priscis nota, idem efficiens suo significatu, quæ quasi insitione quadam unum statueret. Quare sicut ex equa & asino fit mulus, servatis utrinq; aliquot utriusq; naturæ particulis, ita ex Nomine & Verbo confectum est participium cap. 72. l.l. Inventum est participium propter elegantiam, brevitatem & facilitatem. Multa enim verba sunt, quæ breviùs, elegantiùs & faciliùs efferri non possunt, quàm per participium. Imò & propter necessitatem, & vi quadam naturæ, ut docet Scal. cap. 142 l.l. Dictum volunt Participium, quòd partem nominis, puta genera & casus: partem verbi, puta tempora & significationem, & ab utroq; numerum & figuram capiat. Sed maculè Scalig. ita: Accidentia participii sunt partim à Nomine solo: partim à Verbo solo: partim utriq; communia, capit. 141. Quæ Scaliger accuratè differit de necessitate participii, ea fere eodem sensu brevissimè Versor sic tradit: Duplici de causa inventum fuit. 1. ut duo actus possent immediatè coniungi sine copula media, ut Cæsar amans pugnat. 2. ut duo actus casibus obliquis possent conjungi, ut Verbero Cæsarem pugnantem.

Movet Versor quæstionem. Dapifer, Armiger, &c. *partem capiunt à Nomine, & partem à Verbo. Ergò erunt participia. Respondet, capere quidem à verbo partem exteriorem, scilicet compositionem: sed non interiorem, scilicet modum significandi: qui est essentialis cuilibet parti Orationis. Nos respondemus e definitione, deesse partem principalem, differentiam scilicet Temporis, itaq; participium non esse.]*

* Omnia autem Participia adjectiva sunt; & terminantur in Ans, Ens, Xus, Tus, Sus, Rus, & Dus.

[Vnde & Comparatio quibusdam accidit, ut Honoratior, hono-

honoratissimus: Commendatus, commendatissimus. Desideratus, desideratissimus. Vide Scalig. capit. 101. l.1. Quamvis Grammatici talia degenerare velint in Nomina, quod Scaliger negat, cap. 101 l.1. Reperitur etiam terminatio in Us purum, ut mortuus. Quod tamen Participium esse negat Lancellottus & Augustin. in Grammat. Quòd verò Participio non ob id tribuitur Qualitas, sicut Nomini, inde est, quia ei non competit secundùm utranq; differentiam Substantivi & Adjectivi, sed solùm secundùm alteram, nempe Adjectivi. Sicut Versor ob eandem causam negat Participio competere speciem. Nam quod alicui assignatur pro accidente, illud eidem convenire debet secundùm omnes suas differentias sive species.]

*Participio accidũt: Significatio, Numerus, Persona, Casus, Declinatio, Genus, Tempus, & Figura.

[Participio Species non tribuitur, quia à Verbis derivatum est, nisi fortè quis eo respectu, quatenus participium à participio descendit, speciem ipsi attribuerit ut à monens monendus. Scaliger etiam Modum Participiis tribuit, neq; modum ipsum excludi statuit à Participiis, sed modi variationem. Nam diversis modis dici, doctus essem vel fuissem, sum vel fui, doctum esse vel fuisse: Item pugnans vinco. Utinam pugnans vincerē. Quod ait à veteribus omissum esse. Atqui movit hanc quaestionem jam olim Versor: & respondet, actum quem Participiũ importat, terminari per hoc quod est unitum substantiae, ideoq; Modum, qui denotet inclinationem non terminatam, non posse tribui Participio.]

* Significatio, ut in Verbo, quadruplex est: Activa, ut *legens, audiens*. Passiva, ut *lectus, auditus*. Neutralis, ut *sedens, vigilans*: Deponentalis, ut *indignatus, hortatus*.

Numeri Participiorum sunt, singularis, ut *legens*: pluralis, ut *legentes*.

* Personae sunt ut in Nomine.

* Casus quoq; iidem qui in Nomine.

* Declinatio itidem perinde est ut in Nomine: in US enim, a, um, desinentia, in prima & secunda Declinatione: in NS in tertia variantur.

¶ *Vbi nota* Iens *cum compositis; quæ obliquos in Euntis faciunt.* Ambiens *tamen, (ab Ambio) ambientis facit, regulariter.*

[*De terminatis in Ns notandum, quod Ablativum singularem in E forment, si designent consequentiam, ut, Deo dante: Aliàs promiscuè in E vel I, juxta regulam in Nominibus suprà traditam.*] p: 63. p: 106.

* Genus ex regula quinta generali Nominum cognosci potest: Nam generis Omnis ea sunt, quæ Ns finiunt. ut *hic & hæc & hoc amans, legens.* Cætera mutant genera per terminationes, ut *hic lectus, hæc lecta, hoc lectum.*

* Tempora participiorum tria sunt, præsens, præteritum & futurum.

[*Quomodo tempus participiis tribui possit, cùm motus eis non accidat, tempus verò sit mensura motus, quærit Doctor, sanct. super Donat. Et respondet, tempus non accipi hìc realiter & physicè, sed Grammaticè, per quandam transsumptionem. Verùm cùm Participium rem sub tempore significet; non minùs quàm verbum, eidem quoq; significatio motus seu fluxus non denegandus fuerit. Ortum enim à verbo traxit secum temporis differentiam, & rei fluxum atq; ipsius fluxus mensuram connotat, Vnde & à Nomine differt. Vide Scalig. cap. 72. l. l. Hinc Versor inquit: Participium principaliter significat actum, & minùs principaliter substantiam, ideò indiget subjecto. Item: Participium significat actum unitum substantia. Idem tradit, participium significare tempus indeterminatè,*

minatè, quia ad omnes temporum differentias trahi possit. Verbum verò determinatè.]

* Præsens vocum est, quæ in Ns desinunt, ut *amans, legens, monens.*

¶ *Formantur à prima persona præteriti imperfecti, ultima syllaba* bam *vel* bar *in* Ns *conversa, ut: Amo, amabam, amans: Moneo, monebam, monens. Audio, audiebam, audiens. Loquor, loquebar, loquens.*

¶ *Excepto* Iens, *& quæ inde fiunt, ut rediens abiens, &c. quæ E assumunt: Ab Eo enim Ibam imperfectū fit, non Iebam.*

* Futurum vocum est Rus vel Dus finientium, ut *Lecturus, legendus: Amaturus, amandus.*

¶ *Fiuntq́, ea quæ in* Rus *exeunt, à supinis, addito* Rus; *ut lectu, lecturus: amatu, amaturus.*

¶ *Illa autem quæ in* Dus *exeunt, formantur à Participio præsenti, ultimâ consonante in* Dus *mutatâ, ut: legens, legendus: amans amandus.*

[*Notandum hic antistœchon literæ E. Nam quæ in* Endus *exeunt, sæpè in* Undus *efferuntur; ut faciundus, experiundus, pro, faciendus, experiendus. In Participio Oriundus, hoc perpetuum est: & in nomine Participiali Repetundæ. Fit hoc idem in Gerundiis quoq;, ut faciundum, potiundi, ferundo, &c.*]

* Cæteræ voces in Tus, Sus, Xus, Præteritum tempus significant.

¶ *Fiuntq́, à supinis additâ consonâ* S: *ut lectus à lectu, amatus ab amatu, visus à visu, auditus ab auditu.*

Quærit

[Quærit Scaliger, cur Latini non formaverint Participium præteritum activum, nec Participium præsens passivum, cùm Græci habeant, etiam cum superfluitate? Et rectè censet, nihil responderi posse, præter negligentiam. Sunt enim certè talia Participia valde necessaria, ut mirum sit, ab illis omissa. Ex Deponentibus quidem dantur participia præterita activa & à Neutro-passivis, ut Hortatus, Gavisus. Sed vicissim destituuntur illa participiis præteritis passivis, præterquàm in paucissimis passivè usurpatis, de quibus paulò pòst dicemus.]

¶ *Porrò ab Activa voce duplicia veniunt Participia. Præsens in* Ns, *ut legens, audiens: Et Futurum in* Rus, *ut lecturus, auditurus.* Similia & à Neutris cadunt: Præsens, ut errans, carens, Futurum, ut erraturus, cariturus, Itemq; à Neutrali passivo, Vapulo, ut, vapulans, vapulaturus.

¶ *A passivo item duplicia fiunt Participia: præteritū, ut lectus: & Futurum in* Dus, *ut legendus, audiendus.* Fiunt & à Neutris vulgò dictis passiva Participia, ut decursus, decurrendus, aratus, arandus, potatus, potandus.

¶ *A Deponenti triplicia veniunt Participia: Præsens, ut loquens: Præteritum, ut locutus: & Futurum, locuturus. Interdum tamen & Futurum in* Dus *accedit: ut, tuendus, hortandus, sequendus.* Eodem modo & quæ Neutro-passiva vocant, triplicia Participia faciunt: ut, Gaudeo, gaudens, gavisus & gavisurus. Audeo: audens, ausus & ausurus. Fido, fidens, fisus & fisurus. Sic Juro, jurans, juratus & juraturus: Cœno, cœnans, cœnatus, & cœnaturus: Prandeo, prandens, pransus, & pransurus.

[Par-

[*Participio* Volens *passivè usus est Sallust. 4. histor. Volentia verba, id est, placentia, teste Nonio. Sic* Evidens, *passivè significat. Item genibus* volutans, volventibus *annis, & vol*ventia *plaustra, Virg. passivè.*

Livius ab Audeo, audendus *dixit: Res audenda magno futuro Duci.* Jurandus *aras, Horat* Cœnanda *olla, Pers.* Regnanda *Alba, Virg* Carendus & Dolendus. *Ovid.* Reviviscendus; *Plin. lib. 7. c. 55.* Potanda *vina, Ovid. A Soleo,* Solens *apud Plaut. Amphit. & Epid*) solitus, & solicurus, (*teste Prisciano.*)

A Deponentibus leguntur hæc Participia in Dus passivè significantia: Adipiscendus, *Cic. aliquoties.* Æmulandus, *Plin. Epist.* Cohortandus, *Cic.* Adhortandus, *Teren.* Experiendus. *Ovid.* Fatendus, *id.* Profitendus, *Cic.* Fruendus; *Cic. & Horat.* Medendus, *Sueton.* Imitandus. *Ovid.* Metiendus, *Cicer.* Miserandus. *id.* Moderandus, *Ovid.* Modulandus, *Horat.* Morandus, *Ovid. libr. 3 trist. eleg. 9.* Nascendus, *neutrali significatione, Gell. libr. 3.* Obliviscendus, *Horat.* Oriundus, *usitatiss. de quo vide Scalig. cap. 149 l.* Adoriendus, *Cic.* Sequendus, *Ovid.* Precandus, *Ovid* Persequendus; *Cicer.* Patiendus. *Id.* Potiundus, *id* Solandus, *Ovid.* Consolandus, *Plaut.* Recordandus, *Cicer.* Tuendus, *Cicer.* Tutandus, *Terent.* Verendus, *Ovid.* Venerandus, *Virg. Martial.* Vescendus, *Plin.* Ulciscendus, *Cicer.* Utendus, *Ovid.* Fandus, *unde infandus, nefandus. &c.*

Exempla passivorum Participiorum à Neutris: Aratus, *Ovid.* Status, *Plin. &c.* Cessata arva, *Ovid. 4. Fast.* Vigilati labores, *Ovid. 2. Trist.* Potæ *aqua. Ovid.* Potata *aqua, Plin.* Laboratæ *vestes, Virgil.* Regnata *terra, Ovid. 4. de Ponto, eleg 15. regnata rura; Horat.* Triumphatas *gentes Virg Plin. Vestigia* titubata, *Virgil.* Erratis *agris, Ovid 3. Fast. Orbis* pererratus, *id. finibus pererratis, Virgil.* Cassus *lumine, Virg.* Decurso *limine vitæ; Lucret. &c. cibo* defecti. *Fab. lib. 3. defecta lingua. Mart.* Evasus *exercitus, Liv. l. 22.* Occaso *sole, Gell. l. 3. c. 2. bis.* Successa *omnia, Cicer. ad Att.*

Att. Requietus *animus, Sen. requietum arvum, Colum. l. 2.* *Sic* obitus, interitus, *de quibus suprà cap. 21.* [*Quòd autem Deponentia futurum passivum de se formant, id Scaliger dicit provenire ab inusitata & antiquata forma in* O. *Versoris verò responsio huc tendit, quædam Deponentium Participia formari ex ratione significationis, quædam ex ratione terminationis. Sed dubium non solvit hæc distinctio. Præteritorum Participiorum passivè usurpatorum catalogus:* Commenta *sacra Ovid. 1. de arte,* Complexa *scelera omnia uno maleficio. Cic. pro Rosc.* Conata *perficere, Cæs. 1. Gall. id est, inchoata.* Confessa *res & manifesta, Cic. 1. Verr. Sic:* in confesso est res *frequens locutio.* Dignate *conjugio Veneris, Virg. 3. Æneid.* Professa *culpa, id est, revelata, Ovid.* Exhortatus *à scorto, Cic. de Sen. Vide & Gell. lib. 15. capit. 13.* Exorsa *cuique sua laborem ferent, Virg. 10. Æneid.* Experta *atque perspecta virtus, Cic. pro Balb.* Largita *conditio, id est, præstita, Plin. l. 17 capit. 11.* Meditata *consilia Terent.* Meditati *doli, Plaut. Pseud.* Mensa *spacia, Cic. de nat. Deor.* Dimensa *& descripta, Cic. de Sen.* Remenso *mari, Virg. 3. Æneid.* Mentita *tela, Virg. 2. Æneid.* Mentita *& falsa Cic. de nat. Deor. Sic* Emẽtitus *passivè.* Pactæ *cum hoste induciæ, Cic. 1. off. Conjux pacta, Ovid.* Polliciti *tori jura, Ovid 20. Epist.* Testata *& clara res, Cic 4 Verr.* Tutus *à vi, Liv. 3. libr.* Adepto *nomine, Gell. l. 18.* Interpretatum *somnium, Cic. 1. divin.* Venerata *sacerdos, Virg 3. Æn.* Oblita *carmina, Virg Ecl. 9. Cic. l. 9. Epist. 15* Metata *porticus, Horat 2. carm. bella* detestata *matribus, Id l. 1 Od. 1.* Emeritis *auspiciis, Cic. in Anton.* Auxiliatus *à me, Lucil. teste Prisc.*]

OBSERVATIONES
De significatione & Usu Participiorum.

1. † Sunt quædam anomala Participia, quæ passiva voce actionem significant, ut: tacitus qui tacet, cautus qui cavet, disertus qui benè disserit. Sic

Sic & argutus, adultus, circumſpectus, perfectus, conſideratus, ſciens, aſſuetus, conſuetus, inſuetus, falſus, profuſus, & ſimilia.

[*Valla lib.1.cap.30. Cautus, falſus, profuſus, tacitus, &c. etiam paſſivè uſurpantur. Sic & Scaliger, ex his multa verò paſſiva eſſe, nec ſignificationem mutâſſe ſentit, ut falſus, tutus, diſcretus, circumſpectus, ca.149.l.1. Et falſus quidem ſemper paſſivè accipi contendit, quod tamen neſcio an locum habeat in illo Terentii, ut falſus animi eſt.*]

2. Participia in Ans & Ens interdum tempus præteritum ſignificant.

[*Saturn.l.6.c.15. ut apud Mart. Vilior hæc nobis alio mittente fuiſſet (id eſt, ſi alius miſiſſet.) Offendi adveniens (id eſt, poſtquam adveni,) quæ tũ volebam collocatam filiam. Teren.*]

3. Interdum etiam eadem Participia tempus futurum notant.

Saturn.l.6 cap. 12. ut: ſocium conjunge volentem, id eſt, qui voluerit. Nec dubito, quin te legente has literas confecta jam res ſit futura, id eſt, cùm tu has literas leges.]

4. In Tus, Sus, Xus, interdum præſens & imperfectum ſignificant.

[*ut: Lacus exhauſtis aquis minuitur, id eſt, ſi exhauriatur. Plin. Vimq; addere victus, id eſt, qui vincebantur. Virg.*]

5. In Rus etiam promptum animum nonnunquam ſignificant.

[*Ego Vtinium adieram defenſurus, id eſt, hoc animo, ut defenderem.*]

6. Participia in Dus etiam præſens tempus ſæpe ſignificant.

[*ut: Volvenda dies en attulit ultrò, id eſt, dies quæ volvitur, Virg. Exercenda eſt memoria ediſcendis ſcriptis. Cic.*]

7. Perſonalia verba ferè omnia, ex ſe Participia pariunt.

[*Sed*

[*Sed est tamen observandum, quid usus probet. Nam fiens & fiendus à fio: aut naturus à nascor, nemo dixit, quamvis. Gell. Nascendus dixerit, & Latro nasciturus. At naturam dicimus: & à Sum veteres fecerunt Ens.*]

8. Ab Impersonalibus, quæ non recipiunt personalium voces, nulla extant Participia.

¶ *Excipe Pudens, Pudendus, Pœnitens, Pœnitendus, Pertæsus, Licitus, Libens.*

[Pudens (*apud Cic. sæpe & Terent.*) Pudendus (*frequens*) *à Pudet: Est &* Pudıturus *apud Plinium. A Pœnitet,* Pœnitens (*apud Sueton. in Claud. & Vitell.*). Pœniturus (*Accius, citante Nonio & Sallustius citante Quintil. lib. 9. ca. 3.*) Pœnitendus (*usitate*) *A Piget*, Pigendus, (*Ovid. Epist. 7.*) *A Tædet*, Pertæsus (*active cum accusativo, Sueton.*) *A licet*, Licens (*à quo licentior, & licentius, Plin. Cicer. Valer. Max.*) Licitus, *passive usitatum*, Liciturus, (*Cic. 2. Attic.*) *A Libet*, Libens, *usitate.*]

9. A defectivis etiam præterita quædam extant, ut *Cœptus, Osus, Exosus, Perosus.*

[*Quæ duo active significant*, (*& cum Dativo constructa, passive.*) Cœptus *passive tantum*: Osus *active tantum.*]

† 10. Participia quandoque degenerant in Nomina; unde ab aliis Participialia nomina appellantur.

[*Idq; Grammatici tradunt fieri quatuor modis.* 1. *Compositione, quando componuntur cum Præpositione, cum qua Verbum non componitur, ut* indoctus, insulsus, innocens. 2. *Constructione, quando constructionem mutant*, amans pecuniæ, servans æqui, sitiens famæ, consultus juris. 3. *Amissione temporis: ut* amandus, *id est, dignus qui ametur*, laudandus, *id est, dignus, qui laudetur.* doctus, *id est, homo gnarus & doctrinâ præditus.* 4. *Comparatione, ut:* Nemo est me amantior Præceptoris: Homerus fuit doctior Antimacho.]

11. † Similia

11. † Similia participiis ſunt: tunicátus, barbátus, galeátus, ocreátus, prægnans, obærátus, perſonátus, aurítus, præditus, pellítus, &c. quæ nullum tempus, ſed habitum quendam ſignificant, aut poſſeſſionem, nec certa verba habent, à quibus formentur.

12. † Pleraq; verba, quæ ſupinis carent, carent quoque Participiis Futuri in Rus, & præteriti temporis in Tus, Sus & Xus.

[Et conſequenter futuris Infinitivi: Præteritis paſſivis omnibus: Et futuris paſſivis in Subjunctivo & Infinitivo. Suprà autem cap. 21. enumerata ſunt verba ſupinis carentia.]

* Figuræ Participiorum ſunt, Simplex, *ut ſpirans*: Compoſita, *ut reſpirans.*

[De figura Decompoſita, quam nonnulli addunt, ſuprà dictum eſt pag. 3[illegible]. De eadem Verſor ſic ait: Nec debet hic (in participio) poni decompoſita, tanquàm diſtincta ab ipſis, quæ eſt potiùs ſpecies quadã determinationis, quàm figura. Porrò priſci negabant participia per ſe componi, ſed compoſita ſolùm à compoſitis verbis derivari: Idcircò Figuram à verbis trahere, non ipſa illam conficere. Sed rectè hoc Scaliger reprehendit cap. 147. l. l. Dantur enim Participia, quæ ſuo in genere compoſitionem admittunt, ubi in Verbo non eſt; ut omnítuens, omnípotens, omnípatens, *ut apud Virg. Olympus (juxta quorundam lectionem) appellatur. Sic Injuratus, Impranſus, Imperterritus, Inconſideratus, &c.]*

CAPUT XXIV.

DE ADVERBIO.

§ Voces variabiles hucuſq; fuerunt, ſequuntur invariabi-

variabiles, quæ terminationem fixam retinent, ut Adverbium, Præpositio, Conjunctio, & Interjectio.

[Quæritur num partes declinabiles rectè præcedant indeclinabiles? Pro sententia negante afferri potest illud: Simpliciora sunt priora Compositis. At partes indeclinabiles sunt simpliciores. Ergo priores. Itē Nobiliora & perfectiora præcedunt ignobiliora. At partes indeclinabiles sunt nobiliores quædam quibusdam, nonnullæ omnibus: magis necessaria est Præpositio quàm Pronomē: perfectior est Interjectio quàm vel Verbum, vel Nomē, integra enim oratio est Heu. His ita respondet Scaliger lib 8. de cc.l.l. cap. 151. Faciliùs cognosci potuisse Pronomen cum nomine, quàm si differretur. Simplicitatem autem illam mancam esse, neq; posse percipi illorum naturam sine declinabilibus: quia hæ illarū conjungendarū notæ sunt. Præterea non est simplicitas carere declinatione, sed defectus. Quare non possis intelligere, quemadmodum Adverbium Personis careat, nisi scias prius quid persona sit. Nescias quid sit Persona, (est enim accidens) nisi noris essentiam ejus cujus ipsum accidens. Donatus Adverbium tradidit ante Participium, quod excusat Versor, quoniā Adverbium sit determinatio verbi. Determinatio autē immediatè sequi debeat suum determinabile. Concedit tamen Participiū prius esse debere Adverbio, quatenus illud est pars Orationis declinabilis, hoc pars indeclinabilis. Sed nec ratio Versoris bona est: Nam Participium quoq; determinatur ab Adverbio, fatente Versore, ut Benè legens, prudenter agens, &c. Ergò Adverbium ut determinans, rectè sequitur participium ut determinatum: Boëtius ideò vult tradi post participiū, quia minùs principaliter requiratur ad constitutionē Orationis. Scaliger Adverbium postponit Præpositioni, eò quòd minùs necessarium sit in oratione. Verùm hac ratione etiam pronomen participio postponendum esset, si tantùm respicienda esset necessitatis ratio. Commodiùs autem Verbo & Participio subjungitur, quia utrunq; determinat, ut jam dictum.]

*Adverbium est pars orationis invariabilis,

quæ

quæ actionis aut passionis circumstantiam unâ voce effert, ut *dicit graviter, venit properè.*

[Adverbia ita dicta sunt, quòd verbis adhæreãt: non tamẽ iis tantùm, sed etiam nominibus adhærent, ut admodùm puer, satis magnus: & participiis, ut frustrà irascens, temerè loquens; aliisq; adverbiis, ut sat citò si sat benè. Hinc fit ut Scaliger reprehendat veteres quòd non solùm nomen Adverbii malè fabricarint, sed etiam imprudenter signarint definitionem, cùm neq; solius verbi temperamentũ sit, sed nominis quoq; At nos facimus cũ illis contra Scaligerũ: qui & nomen & definitionẽ Adverbii sumpserunt ab eo quod est principalius, frequentius, clarius & magis naturale. Vnde Versor dicit, Adverbiũ principaliter significare verbũ: Participiũ, mediante verbo, & nomen minùs principaliter, aut naturaliter. Hinc Scal. ipse dicit, Adverbia excogitata esse propter verbũ, subintellige potissimùm & primariò & maximè, ut definit Adverbium Linacer: Adverbiũ, ait, est pars orationis, quæ ut proprij vel appellativi Adjectivũ, sic ipsa verbi maximè, aliquãdo etiã Adjectivi significationẽ vel determinat, ut rectè facio, valdè gravis, vel destruit: ut: nõ scribit. Pertinet huc regula Logica apud Thomã Aquinatẽ, quã explicat Perer l. 1. de Philos. Quandocunq; definitũ habet sub se membra analogata, tunc non oportet definitionẽ illius definiti convenire mẽbro minùs tali, quantùm ad omnes particulas, sed sufficit quòd cõveniat secundũ aliquas principales. *Porrò necessitatẽ Adverbii Versor &, Scal. agnoscũt duplicẽ sicũt duplex est vocũ temperamentũ per adjectionẽ. Namq; aut adjicitur accidens substãtia, aut gradus accidenti. Exẽpla hæc sunto: Vir fortis: hic accidens substantia additum est. At cùm dico fortior: tum gradus accidenti additus est. Igitur quod faciunt adjectiva substantivis, ut secũ afferant accidentia: hoc ut agant Adverbia verbis, excogitata sunt, neq; enim si dicas, velox scribo, aut velocia scribo: intelligas scriptionis velocitatẽ, sed velociter scribo, si dicas: intelligas Sic igitur cum explessent verba, adhuc superat aliquid agendum. Itaq; etiam gradus illi designandi fuere. Quare*



cùm bonitas atq; aliæ qualitates, intendi ac remitti queant, neq; comparativo, aut superlativo ita plenè possint explicari, Adverbii ope factum est, ut explicarentur: Valdè bonus, nimis sævus. Longè alienus, multò fortissimus, ut etiam illa nomina gradus significantia, hoc indigerent, paulò doctior.]

* Adverbio accidunt: *Significatio*, *Species*, & *Figura*.

[*Nonnulli adjiciunt comparationem, ut doctè, doctius, doctissimè. At sciendum est, hæc esse adverbia derivata à nominibus adjectivis comparationem sustinentibus. Quid quòd ad significationem adverbiorum comparandi referri potest? Adhæc si adverbium est vox inflexibilis & invariabilis, quæ comparatio eidem attribui poterit? Veruntamen hæc posterior ratio ἔνστασιν pati potest, Nam & præpositio vox invariabilis est, & tamen, si credimus Scaligero, comparationem admittit, ut propè propiùs, &c. Neq; verò necesse habemus, eam inter accidentia Adverbii ponere cum Donato, cùm non accidat Adverbiis omnibus, sed iis tantùm quæ descendunt à nominibus.*]

* Significationes adverbiorum sunt variæ.

[*Significationes has Grammatici sequentibus versibus, memoriæ juvandæ causâ incluserunt, non tamen eo ordine, quem nos exprimimus:*

Temporis atq; Loci, Quali, Quanti, atq; Negandi,
Da Confirmandi, Jurandi, da Prohibendi,
Optandi, Eventus, Hortandi, daq; Remissum.
Congregat, Intendit, Numeri, Simili, Dubitandi,
Excludeatq; Voca, Mõstra, Elige, Con, per, & Inter,
Ordo, Responde, Separ conjungito Compar.]

Loci: hic, ibi, illic, inde, intrò, foras.

In loco, hîc, illic, isthic, ibi, ubi, ubicunq; ubique, ubivis, alibi, intus, foris, suprà, præstò, (*pro coràm aut juxtà*) usquam, alibi, belli, domi.

Ad

Ad locum: Huc, illuc, istuc, eò, quò, aliquò, siquò, nequò, eòdem, quocunq;, intrò, foràs, introrsum, retrorsum, & *vulgò* prorsum, rursum, sursum, deorsum, lævorsum, dextrorsum.

De loco: Hinc, illinc, isthinc, inde, unde, alicunde, cœlitùs, funditùs, radicitùs, infernè, supernè.

Per locum; Hâc, illâc, isthâc, nequà, siquà.

[*Dicimus* vulgò, *quia Scaliger hæc*, prorsum, rursum, sursum, *negat loci esse: neq; enim, inquit, locum significant, sed motum ad locum. Iudicamus tamē excusari posse Grammaticos si dicatur, eos loci significationem hic latè sumere, pro omni eo quod respectū habet ad locum, & ad illum quacunq; ratione potest referri. Illa autem*, ostiatim, vicatim, viritim, *quæ à nonnullis huc traducuntur, vel Scaligeri judicio, Quantitatis discretæ sunt. Loci adverbia, quæ à pronominibus deducta sunt*, Hic, illic, *designant certum locum*: Alibi *incertum, &* usquam, *& alia Scal. Hic addi potest &* peregrè *quod nec in loco, nec ad locum, nec à loco significat, ut quia eramus peregrè, tutatus est domum, Plaut. Herus advenit peregrè, Idem.*

Disputant hodie nonnulli logodædali, cùm Deus sit illocalis, de eo non esse fas loqui per adverbia, Eò, ubi, ibi, & per consequens impropriè dici: Vbicunque est λόγος, &c. Falsa omnia: Quære enim ubi sint animæ justorum? Respondebo, in manu Dei: Quære ubi sit Christus? Respondebo cum Apostolo: Suprà ad dexteram Dei: ubi hic locus? Quære cum discipulis Christi, quò vadat? Respondebit veritatis os, ad patrem: ubi hic locus aut localitas? Sic dicitur Deus egredi loco, Esaiæ 26. Ire & reverti ad locum *Oseæ 5. Multa enim de Deo in scriptura dicuntur ἀνθρωποπαθῶς, quæ intelligi debent θεοπρεπῶς, ut loquitur Athanasius*]

Temporis: *vel præsentis*; hodie, nunc: *vel præteriti*, modò, pridem, dudum: nuper, antea, heri, nudius tertius: *vel futuri*, cras, perendie: *vel indefiniti*: quondam, olim, quando, siquando, aliquando, quandoq; paulisper, quantisper, tamdiu, diu, interdiu, interdum, quamdiu, aliquamdiu, &c.

[*Tempus adsignatur Adverbio Præsens, Præteritum & Futurum, non eo modo quo Verbis & Participiis. Hîc enim tantùm est significatio, illic est modus significandi, hoc est, Adverbiũ significat tempus, Verbũ significat cum tempore: Significare enim tempus, est de sua significatione principali importare tempus. Significare cum tempore, de sua significatione indicare aliquã differentiã temporis, nẽpe esse, fuisse, fore, ut loquitur Plato apud Scaliger. Exerc.63. sect.1. Adverbia loci veteres ampliora significatu esse dixerũt, quàm temporis, quia* nu'quã, *plus amplectatur, quàm* nunquam. *sed refellit eos Scal. lib. 8. 9.cc.l.l.cap. 158 quòd sola corpora debeantur locis: at ea simul cum aliis rebus multis, quæ nullo loco continentur, sub tempore esse. Non est in loco, Qualitas, non Relatio, non alia multa prædicamenta: & tamen sub tempore sunt, aut fiunt: Igitur tempus multò plura circumscribit: Locus pauciora. Quod igitur nunquam est, nusquã item est: at non è contrario: multa enim nusquam sunt, quæ aliquando sunt. Quippe nullo in loco est hic actus scribendi meus: at alio tempore quin sit, fieri non potest.*]

Numeri, semel, bis, ter, quater, &c. sæpè, rarò, rursus, iterum, tertiùm, quartùm, &c.

Negandi, haud, non, neque, hauquaquam, minimè, nullatenus, neutiquam, ne, nec.

[*Sic nihil & nullus adverbialiter sumpta apud Terent. in Andr. Act.1.scen.2.& act. 2 scen. 2.*]

Affirmandi: Ita, certè, profectò, etiam, quidni, scili-

ni, scilicet, videlicet, quippe, nempe, nimirum, planè, maximè, næ.

Demonstrandi: En, ecce.

[Hem quoq; apud Comicos reperias Demonstrativè usurpatum, ut: Hem puer, hercle puer est, Terent. in Andr. Alii referunt ad Interjectionem corripië: is seipsum vel indignantis vel admirantis, ut Hem Hominis audaciam. Apul. Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, Cic. l. 4. Epist.]

Optandi, ut, utinam, ô si.

[Huc pertinere videtur & Sic, cùm iurandi à Poëtis usurpatur, ut: Sic pater ille Deûm faciat, sic magnus Apollo. Æneid. 10. Linacer etiam addit Si. O optandi adverbium esse tantum abest ut assentiatur Scaliger, ut etiam utinam *putat esse interjectionem: Eos autem qui præpositionem agnovere; dicit propiùs fuisse veritati. Verùm Elenchus hic est oppositorum, quoniam novum non est, ut Adverbia pro diversitate significationis fiant conjunctio aut præpositio, aut etiam interiectio, sicut paulò post in observationibus de Adverbio videbitur. Sic Hem est demonstrativũ apud Comicos, & Respondẽdi apud Terent. Heus Heus, Syre, S. Hem: quod est & Admirandi apud eundem. Quid dicit? M. firmavit fidem. S Hem. in Andr. Act. 4. scen 1. Est & indignandi, Act. 2. scen 3. in Andr. Et tamen simul est interiectio irati adversus eum qui negat se aliquid locutum esse, iuxta Donatũ Et Scal. ipse c. 161. docet quòd quædam amisso casu præpositiones abeunt in Adverbia: Sic adverbia in interiectiones, &c. Adh. ac si accuratè loqui velimus, O vix locum inveniat in præpositione, quia licet disponere videatur ad motum, non tamen indicat motum aut quietem, quod utiq; ad præpositionem requiritur, Scaligero non insistente.]*

Hortandi, Eja, age, agite, agedum, agitedum. Sis (*id est*,) si vis) Sodes (*id est*,) si audes.)

[Item Quin, sed cum correctione quadam, ut, Quin compescite

pescitis istam vocem, apud Ciceronem. Age hortandi Imperativũ exigit, militare verbum fuit, ab Ago, inquit Scaliger, semper requirit numerum singularem. Agite pluralem, Agedum admittit utrumq; numerum. Agedum, si videtur, extra portam prospicite., Cic. in Syll. Agitedũ in plurali tantùm, Agitedum, ite mecum, Liv. libr. 1. Age interdum etiam est corripientis. Age scis quid loquar. Terent. interdum est Verbum, pro Dic, ex sentẽtia Donati; ut apud Terent. Age novi tuum animum. quasi jam usquam tibi viginti mina. Nonnunquã est excitantis, & apud Poëtas plerunq; ponitur post nunc. Nunc age naturas apibus quas Iupiter ipsis indidit, expediam, Virg lib. 4. Georg. Est & cõsentientis, age age traducatur Bacchis. Ad hortandi Adverbia nonnulli referũt & Obsecro, Amabo, Quaeso Ad me obsecro te, ut omnia pscribas, Cic. Att. Amabo te advola. Id. Quaeso quid hoc est, Idẽ.]

Ordinis: Deinde, deinceps, protinus, continuò, antea, postea, deniq;, prӕterea, primò, postremò, &c.

Interrogandi: Cur, quare, quamobrem, quando; num, nunquid, nonne, utrùm, quid, quidni, quid ita?

[Vtrum semper interrogat de duobus, Vtrum ea vestra, an nostra culpa est. Cic. in Acad.]

Similitudinis: sic, sicut, sicuti, velut, veluti, quasi, ceu, tanquam, ut, uti, propè ӕquè, perinde, prout, ac si, non aliter, non secus, non minùs, quomodo, quemadmodum, item &c.

Qualitatis: Doctè, pulchrè, fortiter, viriliter, benè, malè, strictim, punctim, cӕsim, raptim, furtim, tractim, *& similia.*

Quantitatis: Multùm, parùm parumper, modicum, minimùm, nimium, plurimùm, quoad satis, ostiatim, vicatim, viritim. *Huc pertinẽt*

etiam

etiam adverbia Intendendi; valdè, prorsus, admodum, omninò, penitùs, perpulchrè, peropus, perquàm, sanè quàm, nimis quàm, tanquàm, Ut, (*quando cum admiratione profertur: Vt vidi, ut perii. Virg.*) *Et remittendi*: sensim, paulatim, pedetentim, ægre, vix, aliquantum, paulum, clanculum, longiusculè, meliusculè, sæpiusculè, rariusculè, penè, propè, propemodum, fermè, ferè. *Hæ duæ enim significationes ex qualitate & quantitate enascuntur.*

[*Penè, propè, propemodum, fermè, ferè, communiter referunt ad Adverbia intendendi, Nobis videntur referenda ad Remittendi sive diminuendi* Ferè *dicunt alij esse similitudinis: Scaliger vult esse diminutionis: Quid enim simile est, cum dico, Ferè Poëtæ nullo in honore sunt? Sed sic intelligo; apud paucos pauci Poëtæ sunt in honore, &c.*]

Dubitandi: Forsan, forsitan, fortasse, fortassis, & fors, Poëticè.

Eventus: Fortè, fortuitò, fortuitu, fortefortuna, [*casu.*]

[*Differunt enim hæc adverbia, dubitandi & eventus; Illa significant incertum esse, an res facta sit, an fieri debeat; hæc significant rem factam esse, sed præter institutum. Huc referunt etiam alij personalia,* mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, *quæ præpositiones magis cum pronomine compositæ sunt quàm Adverbia. Susenbrotus tamen dicit, personalia (ut quibusdam placeat)* meatim, tuatim, suatim, nostratim, vestratim, *id est, more meo, tuo, suo, nostro, vestro. Sed pleraq; nos apud autores classicos invenire non possumus. Tuatim tamen extat apud Plaut. in Amphitruon. Act. 1. scen. 1. si lectioni Lambini fidimus, idque ex Nonio & lib. Veter explicat I. Guiliem. pro, tuo more, vide Taubman. Plaut. fol. 43. Invenitur &* suatim, *at hoc non esse à prono-*

mine Suus, sed à Nomine Sus, vult Nonius. Et Nigid. Gram. comment. judicat esse hac assimulanter dicta, Canatim, Suatim, bovatim, *qua ab animalibus sumuntur. Inter Adverbia Eventus numeratur &* Fors, *ut apud Virg. lib. I. Æneid. Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent Effugia, & culpam hanc miserorum morte piabunt. Vsurpatur etiam pro fortuna in Nominativo, vt* fors fortuna; *Terent. Sed hac fors viderit, Cic. Ablativus* forte *accipitur pro casu, Quod cecidit forte, Terent. Et forte fortuna, In Eunuch.* Forsit *est apud Horat. l. 1. serm. Satyr. 6.*]

Vocandi: Heus, eho.

Respondendi: Hem, ehem.

Separandi: Seorsum, separatim, privatim, secretò, divisè, sigillatim, (*vel singillatim*) bifariam secùs, aliter, solùm, tantùmmodò, duntaxat.

Iurandi, Sic, Per.

[*Cum scilicet asseverandi gratiâ vsurpantur. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos. Virg. Eclog. 9. Per, secũdum Priscianum, vt in illo Virg. 10. Æneid. Per te, per qui te talem genuère parentes. Alii apponunt, pol, adepol, ecastor, herculè, me herculè, medius fidius. Sed facessant illa Deastrorum seu potiùs Diabolorum portenta à teneris Christianæ juventutis auribus. Pol enim erat Ethnicis vox jurantis per Pollucem, quod juramentum tam viris quam fœminis erat commune. Neq; pol dedi, neq; dixi, Plaut. in Amphit. At pol quin dixti rectiùs. in Asinar. Act. 4. scen. 2. Sic Ædepol. significabat juramentum per ædem Pollucis, quod itidem tam fœminis quàm viris commune erat, vt testatur Gellius lib. 11. cap. 6. Ecastor per ædem Castoris, vnde alij malunt scribere per Æ: Hoc juramẽto viros non fuisse vsos, autor est Macrobius. Sic & Mecastor & Mehercules, inquit Festus, jusjurandum erat, quasi diceretur, ita me Castor, ita me Hercules, vt subintelligatur juvet, vide Taubman. Plaut fol. 134. 246. 1208. Medius fidius, id est per Deum Fidium, quem fides præesse crediderunt homines miseri.*]

Eligen-

Eligendi sive corrigendi: Potiùs, imò, magis.

Congregandi: Simul, unà, pariter, collectim, summatim.

Prohibendi: Ne, nequaquam.

Concedendi: Sanè, sanè quidem.

Comparandi: Minùs, magis, optimè, pessimè, &c.

I. Observationes. Nomina adjectiva nonnunquam ponuntur pro adverbiis, *ut: Dulcè ridentem, pro dulciter. Horat. Sole recèns orto, Virg. Stabat acerba fremens. Idem.*

II Adverbia pro varia significandi potestate varias appellationes sortiuntur. *Sic Adverbia loci nonnunquam tempus significant; ut,* ibi *pro tum,* ubi *pro postquam,* hic *pro tunc: Hic ego illum contempsi præ me, Terent.* Usque *& temporibus & locis accommodatur: Ex Æthiopia est usque hac. Terent. Usq; ad Numantiam misit, Cicero. Inde usq; à pueritia repetens. Idem. Sic* tantùm *aliàs intendendi, aliàs minuendi vim habet. Si intendendi vim habet, rectiùs scribitur absque accentu, quia potiùs Nomen est, ut: Tantum profecit, sicut, Aliquid profecit:* Ut *aliâs similitudinis, aliâs optandi, aliâs intendendi particula est. Aliquãdo Tempus denotat; Ut illum vidi, continere me non potui, id est, postquàm vidi. Significat & Quomodo, ut: Trojanas ut opes, & lamentabile regnum eruerint Danai. Virg. Significat & Quàm; Ut ferus est, pro Quàm ferus est. Et Quamvis: Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. Et imprecativum est: Ut illum Diiq; Deæq; omnes perdant. Teren. (Vide Philipp. in syntaxi conjunctionum.)*

III. Quædam Adverbia pro diversitate significationis fiunt conjunctio, aut præpositio. *Particula* Ut *nunc adverbium est, nunc conjunctio, eaq; vel ordinativa, vel causalis. (Confer observationem præcedentem.)* Quaré, quamobrem, *adverbia sunt, cùm serviunt interrogationi: Cùm cõclusioni, sunt conjunctiones juxta communem sententiam.*

tiam. Vide de iis etiam in Cōjunction. Primùm, posteà, deinde, cum, insuper, rursus, *adverbia sunt ordinis, cùm verbo adhærent: conjunctiones, cùm verba & sententias conjungunt.* Cùm, pòst, *interdum adverbia, interdum præpositiones sunt. Idem judicato de* Per, ante, pridie, postridie, &c.

IV. Adverbia nonnunquam sibi assumunt nomina, ut: Ubi gentium, terrarum, loci.

V. Adverbia sæpe retinent casus Nominis, & nomen retinet casum Verbi, unde fit: ut, convenienter naturæ vivit, Cic. l. 3. Officior.]

* Species Adverbiorum sunt, Primitiva, ut *mox, cras, heri, pax:* Derivativa, ut; *hodie, propediem, centies, millies.*

[*Derivantur Adverbia ab omnibus Orationis partibus, præter conjunctionem & interjectionem. 1. à nomine, partim substantivo, ut partim, summatim, &c. cœlitùs, funditùs, &c. modo, initio, &c. partim adjectivo, ut falsò, seriò, &c. privatim, potissimum &c. omninò, facile, feliciter, audacter, & similia. 2. à pronomine: ut hic, isthic, illic, huc, isthuc, eò, eôdem. 3. à verbo: raptim, cursim, pedetentim, peregrè, 4 à participio: abundanter, festinanter, fidenter. 5. à seipsis; ut meliuscule, sæpiuscule, seriùs, rariuscule, &c. 6. à præpositione, ut clanculùm.*]

* Figuræ Adverbiorum sunt. Simplex; ut: *prudenter, diu:* Composita, ut: *imprudenter, interdiu.*

[*Variis autem modis componuntur Adverbia. 1. ex duobus nominibus, ut pridie, tantummodo, toper (id est toto opere:) 2. ex nomine & pronomine; ut quare, hodie. 3. ex nomine & verbo: ut pedetentim (à pes & tento:) 4. ex nomine & adverbio, ut sæpenumerò, nudiustertiùs (q. d. nunc dies tertius,) 5. ex pronomine & præpositione, ut, quicum, quapropter, propterea, postea, 6. ex nomine & præpositione, ut denuò, interdiu, de integro, ilico, extemplo, è vestigio. 7. duobus verbis, ut, ilicet (ire*

cet (ire

ut (ire licet,) scilicet (scire licet,) videlicet (videre licet,) 8. ex duobus adverbiis, ut penitùs (penè intus,) 9. ex adverbio & conjunctione, ut sicubi 10. ex adverbio & præpositione, ut adhuc, proinde, persæpe, horsum (huc versum) perdiu.

Nec silentio id est involvendum, quòd veteres pleraq; Adverbia bifariam & promiscuè protulerint, ut Here, & heri, *Horat. Terent. Plaut.* Peregrè, & peregri, *Plaut.* Vespere, vesperi: Præfiscinè, præfiscini: Cotidiè, Cotidiò; Falsè, falsò *quorum exempla annotavit Carisius.* Arcanè, arcanò, *Cæsar.* Exiguè, exiguò; Tutissimè, tutissimò, *Cic.* Proximè, proximò. *Sic* Amplè & ampliter; Durè, duriter; Longè, longiter: Probè, probiter; Avarè, avariter, *Plaut.* Avidè, aviditer, *Arnob. lib. 5. Sic* Promiscuè, Protinus, & promiscam, protinam, *Terent. Varr.* Clarè & claritùs, Communiter, communitùs; Publicè, publicitùs, *Terent.* Cautè, & cautim. Disertè, disertim: Exquisitè, exquisitim: Minutè minutim: Arctè & arctim. *Cic. 12 ad Attic.* Comparatim, Perplexim, *Plaut.* Blanditim, luxtim, Exultim, *Lucret.* Propritim vel propriatim, *lib. 2. Arnob lib. 3.* Cessim, Recessim, *Plaut.* Illim, Istim *pro illinc, istinc,* Magis & Mage, *Virgil. Cicer.* Nenu, *pro Non. Lucil. Varr. Lucret.* Postea & Postilla. *Plaut. Teren. Cato,* Primò & primùm, Postremò, postremùm, Tertiò, tertiùm: Quartò, quartùm. *Vide Auson. Popm. l. 4. de different. verbor.*

Præter hæc in usu fuerunt Adverbia, quæ fiunt ab Ablativo in utroq; numero; ut Anniversariò, Cotidianò, *Cic. Plaut.* Anno. *pro pridem &* Horno, *id est hoc anno, Lucret. Plaut.* Hesternò, Posterò, Hibernò, Matutinò, *Tacit. Venul. Apulej.* Numerò, (*pro citò*) Compacto, *Afran. Plaut.* fortuitu, *Plaut.* Noctu, Diu, Lucu, luci, *Sallust. Terent. Plaut. &c. Vide Auson. Popmam libr. 1. de usu antiq. locut. 13. Iuniores hic adhibeant judicium, & semper cogitent illud, quod Cæsar inquit apud A. Gell. lib. 1. c. 10. Habe semper in memoria atq; in pectore, ut, tanquam scopulum, sic fugias inauditum atq; insolens verbum.*] NB.

CAPUT



Caput XXV.

De Præpositione.

* Præpositio est vox invariabilis, Verbo Nomen adjungens, quod aliquam facti circumstantiam significat.

[*Præpositio conjunctionem antecedit tantò justiùs, quantò est prior simplex oratio compositæ. Conjunctio enim non nisi in compositis sententiis locum habet. Vide Scalig. c. 152. l. l. Præpositionis necessitatem idem Scaliger in hanc fermè sententiam ostendit: In superioribus hactenus Substantia, Quantitas, Qualitas, Actio, Passio, &c. tractata sunt, quarum scilicet notæ sunt partes orationis hactenus traditæ. Est autem non minimum inter summa rerum genera τὸ πῆ, seu Ubi, quod semper hæret, & loco & corpori. Omne autem corpus movetur, aut quiescit. quàre opus fuit aliqua nota, quæ τὸ πῆ significaret, sive esset inter duo extrema, inter quæ motus fit, sive esset in altero extremorum, in quibus fit quies. Natura enim omnis constat aut motu, aut quiete. Præpositio autem harum rerum nota est. Hæc subtiliter sanè Scaliger: ex quibus definitio talis extruetur.* Vox invariabilis, significans rei motum vel quietem: *Aut si mavis, consignificans rei motum vel quietem. Nam invariabiles voces potiùs rerum modos quàm res ipsas significant, ut acutè Scal. cap. 75. l. l. inquit. Non tamen satis generaliter videtur Scaliger hæc arcessere. Grammaticus enim non tam arctis Physicæ limitibus se includi patitur, sed ad ipsos Angelos & Intelligẽtias, adeoq; Deum, Præpositiones suas applicat. Sicut & ipse Scaliger exerc. 359. sect. 3. ait. Ubietatem esse affectum omnium Entium præter Deum. Cæterùm si quis objiciat, etiam adverbia loci significare motum & quietem (quæ caussa fortè, cur nonnulli Grammatici ad Adverbia retulerint) respondendum: significare motum & quietem, sed simul consignificare*

gnificare locum, Præpositiones verò nudæ notæ sunt motus vel quietis absque loci complexu.

Origines Præpositionum acutè investigantem vide Scal. cap.153. 155. l. l. Vbi etiam explicat, quomodo Ob *&* Propter *sint Præpositiones, cùm caussæ potiùs quàm motus vel quietis rationem habeant: Olim, inquit, loci rationem habuerunt, ut ob Romam obequitans Hannibal. Athesim propter amœnum. Nunc deflexa sunt ad caussam tantùm declarandam. Sic &* Absq; *tametsi verum motum non dicat, tamen significat absentiam & intervallũ, quòd possit esse locus rei motæ inter duo extrema: c.154. l. l. Nomen accepit à Præponendo, quòd aliis orationis partibus præponatur: quod tamen non de essentia præpositionis esse monet Scal. Si qua enim postponeretur (id quod sæpe fit) ergò desineret esse Præpositio, quod absurdum. Vt apud Virg. His accensa super. Quod per anastrophen dicitur, seu, (ut Servius appellat) per hysterologian.*]

* Præpositionum aliæ sunt separabiles, aliæ inseparabiles.

* Separabiles sunt, quæ in vocum compositione sejungi possunt, ut: *Ad, Apud, Ante, Adversus, Cis, Citra, Vltra, Intra, Extra, Circum, Circa, Circiter, Contra, Erga, Inter, Infra, Supra, Iuxta, Ob, Ponè, Per, Propè, Præter, Propter, Post, Penes, Secus, Secundùm, Trans, Versus*; Vulgò accusativi casus.

A, Ab, Abs, Absque, Cum, Coram, De, è, Ex, Pro, Præ, Palam, Sine, Vulgò, ablativi casus.

In, Sub, Super, & Subter. Vulgò utriusque casus. His adduntur *Clam, Procul, Tenus, Vsque.*

[*Veteribus in usu fuerunt & hæ Præpositiones.* Uls *vel* Ultis *pro Vltra: &* Am, *id est, Circum. Vide Gell. libr. 14. cap. 15.*

cap. 13. Vltis Tiberim, Pompon. de origine jur. Vls Tiberim, Gell. d. l. De Am vide paulo infrà. Palam, quia rarò casui junctum legitur, sed plerunq; adverbialiter usurpatur, à nonnullis exterminatur è Præpositionum Catalogo Sic & Ponè, Usque, Secus. *Livius: Inde rem creditam palam populo solvit. Idem lib. 40. Ponè castra. Ponè nos, Plaut. Ponè fores, Tacit. Vsque Puteolos, Cic. ad Attic. Vsque Tmolo legationem petivit; Cic pro Flacc. Vsque Ennam, Id. 6. Verr. Miletum usque Terent. Adelph. Secus fluvios, Plin. l. 24. cap. 15. Ne possent stationes facere secus hoc, Sempron. Asellio l. 14 Histor. Vsque, in allatis exemplis vel regulariter construi cum suo casu dici potest, (unde subintellecta est rectio, si præpositio omittatur) vel per ellipsin alterius præpositionis Ad vel A*]

* Inseparabiles, quæ extra compositionem nihil significant, ut: *Di, Dis, Re, Se, Am, Con.*

[Am (*Carisio & Festo*) *potius quàm An, est præpositio antiquis separatim usurpata pro circum; ut, am terminum, Cato. Quæ significatio in compositis mansit, ut amputo, ambedo. Est autem ex Græco ἀμ, quod Theocritus seorsum posuit ἀμμίγα. Vnde ἀμφι, altera præpositio. Gellius etiam mentionem facit inseparabilis præpositionis A V; ut Aufero, Aufugio, ex Græco αὐ, ut αὐερύζαν, apud Homer. Sed rectiùs Scaliger c 37. l. l. hoc negat, cùm sit mutatum ex Ab, propter euphoniam. Apud eundem mentio fit & particulæ privativæ Ne in compositione, ut Nefastus. Nefrens, quia & ipsa Græca est libr. 13. c. 21. Nisi malis in talibus compositis Ne habere pro Adverbio, vel cum Scalig pro conjunctione. Nonnulli addunt* Ve, *ut vegrandis, vesanus, vecors, quod alij scribunt vægrandis, væsanus, & volunt esse diminutivæ significationis.* Con *excludit Scaliger, quia sit Cum, facta mutatione: &* Di, *quia sit Dis, ob euphoniam mutatum.* Se *interdum mutatur in O, ut Sobrius, Socors. De mutatione præpositionum in compositione prolixè Scaliger. cap. 34. 37. l. l. & Frischlin. in paralip. Nos in Orthographia quædam monuimus. Cætera meliùs usu quàm præceptis cognoscuntur. Porrò Frischlinus è*

Prisc.

Prisc. & Valla præpositionem distribuit in Temporalem (*circiter*) Caussales, *Pro, præ, ob, propter, secundùm.*) Privativas, (*Præter, absq;, Sine, Clam.*) Comitativam (*cum*) Locales, *ut sunt reliquæ omnes, vel ad locum, vel in loco, vel per locum, vel de loco.*}

Observatio.

† 1. Præpositiones cùm casus admittunt, fiunt Adverbia, ac tùm Accentu notari solent: ut, *Multis pòst seculis. Longo pòst tempore visum. Virg. De his suprà dictum. De his infrà dicetur.*

[*Duobus modis Præpositiones fiunt Adverbia. 1. compositione, ut circumcirca. 2. Amissione casus, ut in exemplis allatis. Secundùm, nonnulli volunt differentiæ caussa semper accentu insigniri, sive Præpositio sit sive Adverbium. Non malè. Sed & idem observandum esset in Versùs, Adversùs, Adversùm, Circùm.*]

† 2. *Tenus* semper postponitur. *Versus* ferè semper. *Usq;* frequentiùs postponitur.

[*Sed hæ: Ad, Antè, Apud, A, Abs, De, nunquàm postponuntur. Cæterà nativo ordine præponuntur, & figuratè per Anastrophen seu Hysterologiã, (ut Grammatici tradunt) interdum postponuntur, ut Italiam contra. Virgil. Me penes. Ovid. Quos inter societas est. Cicer. Spemq; metumq; inter. Horat. vitiis nemo sine nascitur, id. Nonnunquam interponuntur elegantiæ caussa, ut Cujus in labris, Qua de re, Quamobrem, &c: Scaliger hanc etiam postpositionem vocat. Spectant quidem hæc ad Syntaxin: Sed & hic tanquam affectus præpositionum considerari possunt.*]

* Præpositioni accidunt: *Significatio, Species, & Figura.*

[*Frischlinus addit Ordinem, quod præpositionum alia præponantur, alia postponantur, ut* tenus & versus *Sed hoc fieri etiam figuratè, ut jam dictum. Statuat quilibet quod placuerit.*]

cuerit. Scal. etiam comparationem addit, ut prope, propius, proximè, cap. 101.]

*Significatio præpositionum varias rei circumstantias adsignificat.

[*Nos loco constructionis, eò quòd illa omnibus orationis partibus accidat vi syntaxeos, cum aliis Grammaticis præpositioni significationem attribuimus, utpote quæ perinde ut significatio in Adverbio, & potestas in Conjunctione, ita & in Præpositione se habeat. Cujus quidem pleniorem enumerationem Lexicographo relinquimus.*]

*Species, præpositionum est Primitiva, ut, *Cis*, *Ex*, *In*: vel Derivativa, ut, *Citra*, *Extra*, *Intra*.

[*Pleriq; Grammatici omisere speciem Derivativam præpositionum, quam è Scaligero Frischlinius adjecit. Negari enim non potest, Citra, Intra, Extra, Supra, ut de aliis nihil dicam, quæ Scaliger affert, derivata esse. Vide Scal. cap.* 155. *l.l. Etiam Priscianus hoc agnovit, qui ait, omnes præpositiones esse primitivas, exceptis quatuor.*]

*Figura est Simplex, ut *Ad*: Composita, ut *Adhortor*.

[*Solebant & Veteres interdum præpositiones inter se componere, ut* Insuper, Desuper, Circumcirca, *quæ adhuc in usu sunt. Item* Exante, *exante porticum, Apulej. metam.* 2. Inante, *Prop.l.* 2. Postante, *Varro lib.* 5 *l.l.* Exadvorsum, *Terent. Phorm.* Circumsecus, *Apulej. l.* 5. *&* 11. Præterpropter, *Enn. Gell l.* 19. *cap.* 10. Deprocul, *Plaut. Pers. Interdum & separatim conjunguntur & nihilominus significationem servant, in quo errat Priscian. putãs dictionis vim amittere, quoties casu carentibus apponuntur, ut Ex ante diẽ Non. Iun. usq; ad pridiè Cal. Septemb. Cic. ad Attic. lib.* 3. *In ante diem, Id. liv.* 1. *Attic. E circa prætorem, Liv. lib.* 21. *id est, ex iis qui erant circa prætorem, In corã publicã caveam, Apul. l.* 10. *Sic procul à nobis, Ovid. procul à literis, Quintil.*

Sed

Sed Versus, Usq; & Procul *aliis præpositionibus junctæ transeunt in Adverbia, ut* Versus cũ Ab, Ad, In. *Ab septẽtrione versus, Varro rust. 1. Ad Oceanum versus, Cæs. 6. bell. Gall in Galliam versus, Sallust. Catil. In forum versus, Cic. de amic.* Usque *cum* Ab, Ad, Ex, Sub. *Ab usq; Pachyno, Virg. Usq; sub obscurum noctis, Lucan. Ex Æthiopia est usq; hac, Terent. Eun. Usq; ad sidera notus. Virgil. Vide Auson. Popm. lib. 1. c. 14. antiq. loc. Porrò compositionem ingrediuntur præpositiones hæ: A, Ab, Abs, Ad, Ante, Cis: (Hoc quidã tantùm cum Nomine componi volunt, ut Cisalpinus. sed apud Plaut. est verbum Cispello, in Amphitr. Mercat. & Captiv.) Citra, (citramarinus, juxta nonnullos) Extra (extraordinarius, Cic extraclusus, Frontin.) Circum, Circa. (Quocirca, circumcirca) Contra, De, E, Ex, In, Inter, Ob, Per, Præ, Pro, Prope (propediem, propemodum.) Præter, Propter, Post, Sub, Super, Subter, Trãs, Tenus, (eatenus, hactenus.)]*

CAPUT XXVI.

DE CONIUNCTIONE.

*Conjunctio est vox invariabilis, connectens ordinansq; sententias.

[Usus Conjunctionis est, dictiones, orationes seu sententias conjungere, unde etiam nomen habet. Græcorum imitatione eam nonnulli appellaverunt Convinctionem, quos refutat Scalig. quia translatio sit nimis dura, & leniùs dicamus jungere quàm vincire. Dupliciter a. conjungit: primò per vim; sic conjungit ea, quæ nullum inter se ordinem habent. Unde in definitione dicimus, eam connectere. Secundò per ordinem, vel sequelam aliquam: Unde dicimus in definitione eam ordinare; per hunc ordinem conjunguntur Causales & Rationales. Alia tamen ratio est conjunctionum Expletivarum, quæ neq; per vim, neq; per ordinẽ conjungunt, sed solùm ornatus causâ in orationem veniunt, & necessitate rerum inventa non sunt, ut docet Scalig. c. 171. Aliter etiam conjun-

"git casus quàm Verbum substantivum. Hoc enim jungit per "modum unionis formalis, ut loqq. Conjunctio per modum "dispositionis. Conjunctionis notionem, veteres paulò inconsultius prodidisse dicit Scaliger cap. 165. de caus. l. l. Neque enim, quod ajunt, partes alias conjungit: ipsa enim partes per se inter se cojunguntur: Verbum namq; Nomini jungitur affinitate numeri & persona, sed conjunctio est, qua conjungit orationes plures, sive actu, sive potestate. Nam, Cæsar pugnat, Cæsar scribit; duæ sunt orationes separatæ, quæ conjunctione in unam coalescunt: actu igitur duæ sunt: ut, Cæsar & pugnat & scribit: potestate duæ sunt; quoniam Cæsar bis est repetendus.]

* Accidunt Conjunctioni, *Significatio vel Potestas, Ordo, Species & Figura.*

* Potestas est, qua ipsa vis & natura Conjunctionis explicatur.

Hujus species præcipuæ sunt: *Copulativa, Disjunctiva, Adversativa, Causalis, Rationalis, Ordinativa, & Completiva.*

* Copulativæ Conjunctiones sunt, quæ tam sensum quàm verba copulant; *Et, Que, Quoq, Ac, Atque, Etiam, Cum tum, Tum tum.*

(*Ex his Et interdum pro* etiam *accipitur, ut: Et tu Galilæus?* Que, *pro*, id est *ut: Manet alta mente repostum Iudicium Paridis, spretæq; injuria formæ. Virgil.* Ac & Atq; *nonnunquam pro Quàm, ut: Aliter facis, ac (vel atq;) jusseram. Copulare hic non accipitur in notione laxa, ut idem sit quod, quadam simpliciter ad invicem nectere: Hoc enim modo omnes Conjunctiones essent copulativæ: sed sumitur strictè & specialiter pro speciali potestate, qua ipsa Copulativa conjunguntur ad invicem. Gellius libr.* 10 *vocat Connexivas. Alii his addidere Suspensivas, hoc exemplo: Et fugit & pugnat, Sed frustrà. Meritò enim, inquit Scal. c.* 177. *Verbe-*

p. 274.

Verborum fit hoc; ut, Homo est, & inhumanus. Sanè est superflua curiositas.]

*Disjunctivæ sunt, quæ verba quidem conjungunt, sensum autem disjungunt : ut : *Ve, Vel, Aut, Sive, Seu Nec, Neque, Vtrum, Num, An, Ne, Necne.* Hæ quinq; posteriores etiam Dubitativæ appellantur, & interrogationibus inserviunt.

[*Vel apud Ciceronem eleganter pro etiam ponitur per Enallagen. Tu quæso ad me scribe vel quod in buccam venit. Apud Terent. sumêtur pro velut. Vel hic Pamphilus quoties jurabat Bacchidi! Prima fronte videtur contradictio esse in Adjecto, Conjunctionem appellare disjunctivam. At diversus respectus Contradictionē tollit: Disjunctiva enim Conjunctio conjungit essentialiter voces, adjungit accidentaliter significata; Vnde Boëtius dicit, Conjunctionem disjunctivam ea quæ conjungit inter se, disjungere in tertio. Veteres non malè, Scaligeri judicio, distinxerunt inter disjunctivas, & subdisjunctivas, quæ non planè rē disjungunt. Nam Disjunctivæ sunt in contrariis aut positivè: ut, Aut sanus est, aut æger: aut privativè; Aut dies est, aut nox: aut relativè, Aut pater est, aut filius, Subdisjunctivæ autem etiam in non contrariis, sed diversis tantùm, ut, Alexander sivè Paris. Nos igitur Disjunctivarum nomen generaliter sumimus, ut etiam comprehendantur Subdisjunctivæ; hoc est, pro omni disjunctione, sive è Contrariis sit, sive è Diversis, sicut in Logicis segregatio vel axioma segregativum tam latè sumitur, ut etiam sub se comprehendat disjunctionem & discretionem, vel axioma disjunctum, quod est è Contrariis, discretum, quod est è Diversis. Dubitativæ autem appellantur generalissimè, quippe ex omni oratione potest oriri dubitatio, adeò ut Sceptici etiam τὰ ἀξιώματα ponerent in disceptationem. Ramus vocat segregativas.*]

*Adversativæ sunt, quæ diversam senten-



tiam ſuperiori adjiciunt, ut: *At, Sed, Aſt, Verùm, Autem, Verò, Quidem, Porrò, Atqui, Cæterùm, Tamen, Quanquam, Quamvis, Etſi, Licèt, Dummodò, Veruntamen, Quin, Nedum, Imò*: & quæ his cognatæ ſunt deminutivæ, *Saltem, At certè*, & comparativa *Quàm.*

[*Adverſativas proximè ſubjungimus Disjunctivis, quia ad harum naturam accedunt, propoſita enim rei adverſantur; disjungunt igitur neceſſariò: quanquam Cæſar nobiliſſimis avis ortus eſt, tamen deterioris imperio paret. Servitus enim adverſatur nobilitati. Scal. cap. 170. Ramus vocat Diſcretas. Latini appellaverunt Diminutivas, Græci ἐπιτατικάς, ut, ſaltem, certè, vel, cùm accipiuntur pro ſaltem.*]

* Cauſales ſunt, quæ ſuperioris ſententiæ cauſam reddunt, ut: *Nam, Namque, Enim. Etenim, Quia, Quoniam, Quando, Quandoquidem, Quòd, Si, Siquidem, Equidem, Sin, Seu, Sive, Cùm, Dum, Ni, Niſi, Eninverò, Quippe, Neve, Neu, Quò, Quatenus, Quin, Ne, Non, Quò minus, &c.*

[*Cauſales dicuntur, quia cauſam ſive rationem exprimunt. Ad eas referimus Continuativas veterum, & Conditionales veterum, ut: ſi ſtertit, dormit. In eadem claſſe reponimus Scaligeri Abnegativas, ut, Si interfuiſſem, pugnaſſem. Ejuſdem Continuativas, ut movetur quoniam ambulat: Ejuſdem Adjunctivas, ut pugna dum vir es. Ejuſdem Approbativas, ut pugnavi, equidem læſus. Vide cap. 168. de cc. l. l. Ad Cauſales vulgò referunt & Propterea: ad Rationales, Quamobrem, verùm propriè non ſunt hæ conjunctiones, ſed constructiones ſyntacticæ. Sic & Quasobres: Præterea: Præter hæc, Quominùs.*]

*Ratio-

*Rationales sunt, quæ conclusionem rationi præpositæ accommodant, ut: *Ergò, Ideò, Igitur, Idcircò, Quocirca, Quapropter, Proinde, Ita,* Itaq;

[*Rationales vocantur, quia rei rationem reddunt: Ad eas referimus Scaligeri Collectivas, ut Homo, ergò animal. Ess autem quæ causam aliquam apponunt ad intellectum: Efficientem, quia jubet faciam: Finalem, do ut des; reducimus ad causales. NE nonnullorum huc non pertinet, quia Adverbium est. Quatinus quando per I scribitur, referunt ad Causales: Quando per E, Capro Grammatico est Adverbium vel loci vel temporis. Vide Vallam lib. 2 c. 80.*]

*Ordinativæ sunt, quæ ordinem significant, ut: *Insuper, Postea, Postquam, Cùm, Deniq;, Deinde, Deinceps, & similes.*

[*Ex his* Posteà, postquàm, deniq;, deinceps, deinde, *videntur Adverbia non conjunctiones, nonnullis imperitioribus. Distinguendum enim est: Conjunctiones sunt, quatenus tantùm respiciunt vocum & membrorum juncturas. Si autem cohærent verbis ad significandam circumstantiam, sunt adverbia.* Postea *rectius dicitur esse constructio.*]

*Expletivæ (Completivæ seu repletivæ) sunt, quæ nulla significationis necessitate, sed explendi tantùm gratiâ inseruntur, ut: *Nam, Quidem, Equidem, Sanè.*

[*Vnde etiam Expletivæ dicuntur, ut:* Nam *quis te juvenū confidentissime nostras jussit adire domos? Virg. Lutherus Wormatiæ coram Carolo Imperat. Romano egit causam suā,* & quidem *summa animi constantia. Ac quoniam plerunq; approbandi vim habent, à nonnullis Approbativæ appellantur. His annumerantur ab aliis Paradigmatica seu explanandi particulæ,* scilicet, videlicet, nimirùm, nempè,

purà. *Præter enumeratas hactenus conjunctionum potestates, Priscianus ponit Electivam, quæ collationē rerum significet, ut* Quàm : *Dives agricola esse malim, quàm pauper & nobilis. Has tamen ipsas idem Priscianus inter Adverbia comparandi refert libr. 15. Porrò Expletiva licet ornatus causa magis inventa sint, augent tamen sensum Orationis; atq; ita augent, ut penè cùm subdisjunctivis ineant societatem : Ego quidem scribo, tu verò legis. Disjungit enim sensum apposita orationis, ab intellectu proposita, Scal. c. 173. de cc. l. l.*]

* Ordo Conjunctionum est, quo in oratione præponuntur aut postponuntur.

* Ex quo sunt triplices Conjunctiones : aut præpositivæ : aut postpositivæ, aut communes.

* Præpositivæ sunt: *Atque, Ac, Et, Sed &, Sed etiam, Verùm, Verùm etiam, Nedum, Nec, Neque, Tum, Quin, Quinetiam, Sin, Ast, Extrà quàm, Imò, Sed, Quòd, Præterquàm, Quamvis, Quanquam, Aut, Vel, An, Sive, Seu, Etenim, Nam, Namque, Sic, Quapropter, Quocirca.*

* Postpositivæ seu subjunctivæ: *Queque, Que, Autem, Interea, quidem, enim.*

[Enim *invenitur etiam positum in initio orationis: Enim mihi quidem æquum est, Plaut. in Aulular. Enim jam magis jam appropero in Casin. Enim cognovi nunc, in Milit. Enim lassam oppidò tunc ajebant. Terent. Hecyr. Macroni vix videor præsto esse. Enim auctionem. Cic. 4. ad Attic. Enim distantia cùm sint, Lucr. lib. 2. Enim præsens dolor exsuperabat, Idem lib. 6. Enim potest hoc memoria non teneri, Labeo lib. 2. Pithanôn. Invenitur & positum tertio loco : Minus aurum enim non perstringit oculos, Varr. Andab. Prusia cupit enim vendere, Cicer. ad Attic. 12. Eò quoq; enim mittendos*

dos fore legatos, Liv. lib. 46. Sic & Que ponitur loco non suo, potissimum apud Poëtas: Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditq; & videt, Plaut. Captiv. Ore pedes tetigitq; crura, Horat. Messalam terra dum sequiturq; mari, Tibull. Idem contingit in Sed, *Progeniem sed enim, Virgil. Impius ex quo Tydides, sed enim scelerumq; inventor Vlysses, Idem; idque inprimis metri causâ fieri existimandum est.*]

* Communes sunt quæ nunc præponuntur, nunc postponuntur, ut: *Adeò, Etiam, Item, Itemq;, Insuper, Vel, Si, Ni, Nisi, Alioqui, Alioquin, Interim, Vt, Licet, Tamen, Porrò, Enimverò, Vt, Vti, Quòd, Siquidem, Equidem, Ne, Ergò, Ita, Itaq;, Igitur.* (*quod tamen sæpius postponitur.*)

* Ad postpositivas etiam pertinent dictiones Encliticæ, quæ tonum suum in finem præcedentis dictionis rejiciunt, ut: *Que, Ne, Ve.*

[*ut: Indoctúsq; pila discive trochive, quiescit.*]

* Species Conjunctionum sunt, Primitiva, ut *Aut:* Derivativa, ut *Verùm, Licèt.*

* Figuræ Conjunctionis sunt, simplex, ut *Nam:* composita, ut *Namque.*

[*Componuntur Conjunctiones sex modis, 1. Inter se: Etsi, Atque. 2. cum Adverbiis, Etiam: fuit enim Et, jam: & trisyllabum Etiam, quia iam bisyllabum, ut frequenter apud Comicos. 3. cum Præpositionibus, Absque. 4. Cum verbis, Quamvis. 5. cum Pronomine, Ideò. 6. Cum nomine: Quare. Scalig. cap. 174. ll.*]

Caput XXVII.

De Interiectione.

* Interjectio est vox invariabilis, animi affe-

ctum significans. *Vel è Scaligero:* Interjectio est nota animi affecti, quæ nullius indiget adjumento.

[*Est interjectio sonus rudis & inconditus, quem edunt homines exclamantes, lugentes, exultantes & tripudiantes, &c. adeò ut propemodum dictio nō sit, & pronunciando magis quàm scribendo percipiatur. An inter partes Orationis referatur suprà diximus. Dicitur ita non quòd interjaciat, sed quòd interjaciatur.*]

p. 242.

* Interjectioni accidit, *Significatio, Species & Figura.*

Significatio varia est pro affectuum varietate.

Aliæ enim sunt Admirantis, ut *Papæ, Hui: Hem, Ehem! Vah!*

Aliæ Fastidientis: *Ohe, Phy, Apage.*

Lætantis, *Evax, Io, ô!*

Dolentis, *Heu, Ah, ô, Hei, Hoi, Eheu!*

Timentis, *Oh, Atat, Hei, Au!*

Ridentis, *Ha, ha, he.*

Exclamantis, *ó, Prô* vel *Proh!*

Minantis, *Væ!*

Deridentis, *Hui, Vah, Oh!* quibus addi potest *Eja.*

Vocantis, *Heus, Eho, Ehodum!*

Approbantis, *Euge!*

Blandientis, *Sodes, Eja.*

Silentis, *Au! St! Pax!*

[*Væ Tertulliano libr. 4. adversus Marcion. est vox non tantùm minantis, sed etiam imprecantis, inclamantis, & irascentis. Chrysost. homil. 60. in Matth. malum imprecantis, &*

tis, & vehementiùs exitio destinatos increpantis. Quo sensu etiam in scriptura usurpatur, ut: Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, apud Lucam. Væ ipsis, in epist. Iudæ, v. 11. Au silentij notam Linacer docet: Alij etiam exclamandi particulam esse volunt, aut indicium conturbatæ mentis. Scaliger addit quoq; affectus jurantis, ut profectò, medius fidius. *At nos ea suprà inter Adverbia tradidimus. Idem quærit, an brutorum voces in hunc ordinem sint redigēdæ, ut* Cra, Uhu, Cucu, Be, Bau? *Concludit autem non recipi in Orationem, sicut neque alia ficta à Poëtis, nisi per jocum, aut figuram, βρεκεκὲξ, θρεττανελὼ, τήνελλα. Evax Taubman. in Plaut. fol. 600. deducit ab Ευοϊ: quæ bacchantium vox est. Vnde Evan, Liberi Patris cognomen. Eja apud Plaut. Casin. Act. 3, scen. 6. dicit esse non Hortantis aut Deridentis, sed Revocantis.*]

Observatio.

† Loco interjectionum nonnunquam ponuntur Nomina quædam & Verba: Nomina, ut *indignum, mirabile, infandum, miserum, miserabile, nefas, malùm.* Verba, ut: *Dic quæso, obsecro, amabo, age, cedò, precor,* quæ sunt amanter rogantis, & solicitè sese insinuantis.

* Species interjectionis est vel Primitiva, ut *Heu, Hem:* vel Derivativa, ut *Eheu, Ehem.*

* Figura est vel simplex, ut *Eho:* vel composita, ut *Ehodum.*

[*Scaliger tamen interjectionis proprium esse dicit carere Figurâ, contrà quàm veteres dixerint: neq; enim unam ab alia derivari: namq; Eheu compositam esse, non deductam. Igitur hoc esse consecutas, ut inter se dicantur infectæ. Species esse videtur in Heu, & Eheu, Hem & Ehem, in quibus unam derivari putamus ab alia, cuilibet tamen liberum judicium elinquentes. Alij ad derivativam speciem referunt,* Agesultis,

scilicet, *hercule*, *Hæc autem Adverbia esse suprà diximus. Nonnulli autem accidentia assignarunt etiam ordinem. Non malè. Perturbatus enim animus aut prævenit affectum oratione, aut affectu orationem. Significatio alia ratione accidit Adverbio, alia Interjectioni: illi sub ratione conceptus, huic, quatenus traducitur ad affectum.*]

CAPVT XXVIII.

DE ENALLAGE.

[Cæterùm in partibus orationis inter se collatis, etiam considerandæ venit Enallage.]

ENALLAGE est mutatio quædam concinnitatis causâ usurpata, quando eâdem manente sententiâ, partes orationis, aut illarum attributa, inter se commutantur, ut: *Frequens in templo*, (*pro frequenter in templo*:) *Eo piscari* (*pro piscatum.*) *Romanus prælio victor* (*id est* : *Romani prælio victores.*)

Enallage est triplex: Enallage partis (aliàs *Antimeria*.) Enallage accidentis (alias *Heterosis seu Alloeosis*:) & Metallage.

Enallage partis (seu ANTIMERIA) est unius partis orationis cum altera permutatio.

[*Aut enim commutatur* I. Nomen Pronomine. *Vt intelligas omnia Ciceronis patere Trebatio*, *pro*, *omnia mea tibi*: *Ille ego hæc cecini*, *pro*, *Vergilius hæc cecinit*. Verbo. *Velle suum cuiq; est pro*, *cuiq; sua voluntas*. *Scire tuum nihil est*, *pro*, *scientia tua*. Participio. *Quò potestatem neq; vocationis populi virûm neq; prehensionis* , *&c.pro* , *vocandi* , *prehendendi*. Adverbio. *Quid tibi ægrè est?*: *pro*, *molestum*. *Aper acerba tuens*. *Virg*. *vide suprà cap*. 25. *observat*, 1. Conjunctione. *Illius ergò venimus*, *pro*, *illius causâ*. Interjectione. *Quid*

Quid tu malum curas, utrum crudum an coctum eadem. Navibus, infandum, amissis unius ob iram prodimur.

II. Aut Pronomen Nomine: *Id negat Cicero, pro, ego id nego. Sic apud Iureconsultos suus ponitur pro agnato.* Adverbio. *Hinc illa lacryma, pro, ex hac causa. Quid majora sequar? pro cur.*

III. Aut Participium Nomine. *Corusca lumina, pro, coruscantia, Ora sibila, pro, sibilantia.*

IV. Aut Verbum Nomine. *Quæ tua sententia est, pro quid tu sentis. Non est mihi dubium, pro non dubito.* Participio. *Non opus est dicto, at scito mihi opus est, pro dicere, scire.* Adverbio, *penè dixerim, pro ferè.* Conjunctione, *licèt pro quanquam: adde, accedit, pro præterea* Interjectione. *Dic quæso, obsecro, &c. Sic* Gerundium mutatur Gerundivo seu nomine participiali, *visendæ matris causâ, pro visendi matrem.* Supino: *Venit spectatum principem, pro spectandi causâ principem.* Verbo, *Tempus est majora conari, pro conandi. Nunc est tempus dicere, pro dicendi. Item* Supinum Verbo: *I visere, pro visum.* Participio. *Abit spectaturus principem, pro spectatum.*

V. Aut adverbium nomine. *Sole recens orto, pro recenter. Vivunt Bacchanalia, id est. Bacchanaliter.* Pronomine. *Vnde fit, ut malim fraterculus esse gigantum, pro, ex quo fit. Qui scis istuc? pro quomodo, aut unde.* Conjunctione, *Quando hæc te cura remordet, pro quoniam.* Præpositione, *Quocunque loco fuero, meum Iesum desidero: Quàm lætus, cùm invenero, Quàm felix,* cúm *tenuero. Bernhard. cùm pro quando.*

VI. Aut conjunctio commutatur nomine. *Vide suprà cap. 26. num. 3.* Verbo. *Tu licet invitus sis, pro quamvis.* Adverbio; *Ne aliorsum atque ego fecero acceperit, pro quàm: Nihil aliud se fatigando nisi odium quærere. nisi pro quàm.* Præpositione: *Romulus cum Remo, pro & Remus.*]

Enallage accidentis (HETEROSIS vel ALLŒOSIS) est, quando permutantur partium orationis accidentia.

[*Sic I. proprium ponitur pro appellativo. Sint Mecœnates,*

id est,

cuerit. Scal. etiam comparationem addit, ut prope, propius, proximè, cap. 101.]

*Significatio præpositionum varias rei circumstantias adsignificat.

[*Nos loco constructionis, eò quòd illa omnibus orationis partibus accidat vi syntaxeos, cum aliis Grammaticis præpositioni significationem attribuimus, utpote quæ perinde ut significatio in Adverbio, & potestas in Conjunctione, ita & in Præpositione se habeat. Cujus quidem pleniorem enumerationem Lexicographo relinquimus.*]

*Species, præpositionum est Primitiva, ut, *Cis, Ex, In*: vel Derivativa, ut, *Citra, Extra, Intra.*

[*Pleriq; Grammatici omisere speciem Derivativam præpositionum, quam è Scaligero Frischlinus adjecit. Negari enim non potest, Citra, Intra, Extra, Supra, ut de aliis nihil dicam, quæ Scaliger affert, derivata esse. Vide Scal. cap.* 155. *l.l. Etiam Priscianus hoc agnovit, qui ait, omnes præpositiones esse primitivas, exceptis quatuor.*]

*Figura est Simplex, ut *Ad*: Composita, ut *Adhortor.*

[*Solebant & Veteres interdum præpositiones inter se componere, ut* Insuper, Desuper, Circumcirca, *quæ adhuc in usu sunt. Item* Exante, *exante porticum, Apulej. metam.* 1. Inante, *Prop.l.* 2. Postante, *Varro lib.* 5 *l.l.* Exadvorsum, *Terent. Phorm.* Circumsecus, *Apulej. l.* 5. & 11. Præterpropter, *Enn. Gell l.*19.*cap.*10. Deprocul, *Plaut. Pers. Interdum & separatim conjunguntur & nihilominus significationem servant, in quo errat Priscian. putās dictionis vim amittere, quoties casu carentibus apponuntur, ut Ex ante diē Non. Iun. usq; ad pridiè Cal. Septemb. Cic. ad Attic lib.* 3. *In ante diem, Id. liv.* 1. *Attic. E circa prætorem, Lib. lib.* 21. *id est, ex iis qui erant circa prætorem, In cor ā publicā caveam, Apul. l.* 10. *Sic procul à nobis, Ovid. procul à literis, Quintil.*

Sed

Sed Versus, Usq; & Procul *aliis præpositionibus junctæ transeunt in Adverbia, ut* Versus *cũ* Ab, Ad, In. *Ab septẽtrione versus, Varro rust.1. Ad Oceanum versus, Cæs.6.bell. Gall in Galliam versus, Sallust. Catil. In forum versus, Cic. de amic.* Usque *cum* Ab, Ad, Ex, Sub. *Ab usq; Pachyno, Virg. Usq; sub obscurum noctis, Lucan. Ex Æthiopia est usq; hæc, Terent. Enn. Usq; ad sidera notus. Virgil. Vide Auson. Popm. lib. 1. c. 14. antiq. loc. Porrò compositionem ingrediuntur præpositiones hæ: A, Ab, Abs, Ad, Ante, Cis: (Hoc quidã tantùm cum Nomine componi volunt, ut Cisalpinus, sed apud Plaut. est verbum Cispello, in Amphitr. Mercat. & Captiv.) Citra, (citramarinus, juxta nonnullos) Extra (extraordinarius, Cic extraclusus, Frontin.) Circum, Circa. (Quocirca, circumcirca) Contra, De, E, Ex, In, Inter, Ob, Per, Præ, Pro, Prope (propediem, propemodum.) Præter, Propter, Post, Sub, Super, Subter, Trãs, Tenus, (eatenus, hactenus.)*]

CAPUT XXVI.

DE CONIUNCTIONE.

* Conjunctio est vox invariabilis, connectens ordinansq; sententias.

[Usus Conjunctionis est, dictiones, orationes seu sententias conjungere, unde etiam nomen habet. Græcorum imitatione eam nonnulli appellaverunt Convinctionem, quos refutat Scalig. quia translatio sit nimis dura, & leniùs dicamus jungere quàm vincire. Dupliciter a. conjungit: primò per vim; sic conjungit ea, quæ nullum inter se ordinem habent. Unde in definitione dicimus, eam connectere. Secundò per ordinem, vel sequelam aliquam: Unde dicimus in definitione eam ordinare; per hunc ordinem conjunguntur Causales & Rationales. Alia tamen ratio est conjunctionum Expletivarum, quæ neq; per vim, neq; per ordinẽ conjungunt, sed solùm ornatus causâ in orationem veniunt, & necessitate rerum inventa non sunt, ut docet Scalig. c. 171. Aliter etiam conjun-

git casus quàm Verbum substantivum. Hoc enim jungit per modum unionis formalis, ut loqq. Conjunctio per modum dispositionis. Conjunctionis notionem, veteres paulò inconsultiùs prodidisse dicit Scaliger cap. 165. de caus. l. l. Neque enim, quod ajunt, partes alias conjungit: ipsæ enim partes per se inter se cojunguntur: Verbum namq; Nomini jungitur affinitate numeri & personæ, sed conjunctio est, quæ conjungit orationes plures, sive actu, sive potestate. Nam, Cæsar pugnat, Cæsar scribit; duæ sunt orationes separatæ, quæ conjunctione in unam coalescunt: actu igitur duæ sunt: ut, Cæsar & pugnat & scribit: potestate duæ sunt; quoniam Cæsar bis est repetendus.]

* Accidunt Conjunctioni, *Significatio vel Potestas, Ordo, Species & Figura.*

* Potestas est, qua ipsa vis & natura Conjunctionis explicatur.

Hujus species præcipuæ sunt: *Copulativa, Disjunctiva, Adversativa, Causalis, Rationalis, Ordinativa, & Completiva.*

* Copulativæ Conjunctiones sunt, quæ tam sensum quàm verba copulant; *Et, Que, Quoq, Ac, Atque, Etiam, Cum tum, Tum tum.*

(Ex his Et *interdum pro* etiam *accipitur, ut: Et tu Galilæus?* Que, *pro*, id est *ut: Manet alta mente repostum Iudicium Paridis, spretæq; injuria formæ. Virgil.* Ac & Atq; *nonnunquam pro Quàm, ut: Aliter facis, ac (vel atq;) jusseram. Copulare hic non accipitur in notione laxa, ut idem sit quod, quadam simpliciter ad invicem nectere: Hoc enim modo omnes Conjunctiones essent copulativæ: sed sumitur strictè & specialiter, pro speciali potestate, qua ipsæ Copulativæ conjunguntur ad invicem. Gellius libr. 10 vocat Connexivas. Alii his addidere Suspensivas, hoc exemplo: Et fugit & pugnat. Sed frustrà. Meritò enim, inquit Scal. c. 177. Verbo-*

Verborum fit hoc; ut, Homo est, & inhumanus. Sanè est superflua curiositas.]

* Disjunctivæ sunt, quæ verba quidem conjungunt, sensum autem disjungunt: ut: *Ve, Vel, Aut, Sive, Seu Nec, Neque, Vtrum, Num, An, Ne, Nec ne.* Hæ quinq; posteriores etiam Dubitativæ appellantur, & interrogationibus inserviunt.

[Vel *apud Ciceronem eleganter pro etiam ponitur per Enallagen: Tu quæso ad me scribe vel quod in buccam venit. Apud Terent. sumitur pro velut. Vel hic Pamphilus quoties jurabat Bacchidi! Prima fronte videtur contradictio esse in Adjecto, Conjunctionem appellare disjunctivam. At diversus respectus Contradictionē tollit: Disjunctiva enim Conjunctio conjungit essentialiter voces, adjungit accidentaliter significata; Unde Boëtius dicit, Conjunctionem disjunctivam ea quæ conjungit inter se, disjungere in tertio. Veteres non malè, Scaligeri judicio, distinxerunt inter disjunctivas, & subdisjunctivas, quæ non planè rē disjungunt. Nam Disjunctivæ sunt in contrariis aut positivè ut, Aut sanus est, aut æger: aut privativè; Aut dies est, aut nox: aut relativè, Aut pater est, aut filius. Subdisjunctivæ autem etiam in non contrariis, sed diversis tantùm, ut, Alexander sivè Paris. Nos igitur Disjunctivarum nomen generaliter sumimus, ut etiam comprehendantur Subdisjunctivæ; hoc est, pro omni disjunctione, sive è Contrariis sit, sive è Diversis, sicut in Logicis segregatio vel axioma segregativum tam latè sumitur, ut etiam sub se comprehendat disjunctionem & discretionem, vel axioma disjunctum, quod est è Contrariis, discretum, quod est è Diversis. Dubitativæ autem appellantur generalissimè, quippe ex omni oratione potest oriri dubitatio, adeò ut Sceptici etiam τὰ ἀξιώματα ponerent in disceptationem. Ramus vocat segregativas.*]

* Adversativæ sunt, quæ diversam senten-

tiam ſuperiori adjiciunt, ut: *At, Sed, Aſt, Verùm, Autem, Verò, Quidem, Porrò, Atqui, Cæterùm, Tamen, Quanquam, Quamvis, Etſi, Licèt, Dummodò, Veruntamen, Quin, Nedum, Imò*: & quæ his cognatæ ſunt deminutivæ, *Saltem, At certè*, & comparativa *Quàm*.

[*Adverſativas proximè ſubjungimus Disjunctivis, quia ad harum naturam accedunt, propoſitæ enim rei adverſantur; disjungunt igitur neceſſariò: quanquam Cæſar nobiliſſimis avis ortus eſt, tamen deterioris imperio paret. Servitus enim adverſatur nobilitati. Scal. cap.* 170. *Ramus vocat Diſcretas. Latini appellaverunt Diminutivas, Græci ἐπανορθωτικάς, ut, ſaltem, certè, vel, cùm accipiuntur pro ſaltem.*]

* Cauſales ſunt, quæ ſuperioris ſententiæ cauſam reddunt, ut: *Nam, Namque, Enim, Etenim, Quia, Quoniam, Quando, Quandoquidem, Quòd, Si, Siquidem, Equidem, Sin, Seu, Sive, Cùm, Dum, Ni, Niſi, Enimverò, Quippe, Neve, Neu, Quò, Quatenus, Quin, Ne, Non, Quò minus, &c.*

[*Cauſales dicuntur, quia cauſam ſive rationem exprimunt. Ad eas referimus Continuativas veterum, & Conditionales veterum, ut: ſi ſtertit, dormit. In eadem claſſe reponimus Scaligeri Abnegativas: ut, Si interfuiſſem, pugnaſſem. Ejuſdem Continuativas, ut movetur quoniam ambulat: Ejuſdem Adjunctivas, ut pugna dum vir es. Ejuſdem Approbativas, ut pugnavi, equidem læſus. Vide cap.* 168. *de cc. l.l. Ad Cauſales vulgò referunt & Propterea: ad Rationales, Quamobrem, verùm propriè non ſunt hæ conjunctiones, ſed conſtructiones ſyntacticæ. Sic & Quaſobres: Præterea: Præter hæc, Quominùs.*

* Ratio-

*Rationales sunt, quæ conclusionem rationi præpositæ accommodant, ut: *Ergò, Ideò, Igitur, Idcircò, Quocirca, Quapropter, Proinde, Ita, Itaq;*

[*Rationales vocantur, quia rei rationem reddunt: Ad eas referimus Scaligeri Collectivas, ut Homo, ergò animal. Eas autem quæ causam aliquam apponunt ad intellectum: Efficientem, quia jubet faciam: Finalem, do ut des; reducimus ad causales. NE nonnullorum huc non pertinet, quia Adverbium est. Quatinus quando per I scribitur, referunt ad Causales: Quando per E, Capro Grammatico est Adverbium vel loci vel temporis. Vide Vallam lib. 2 c. 80.*]

*Ordinativæ sunt, quæ ordinem significant, ut: *Insuper, Postea, Postquam, Cùm, Deniq;, Deinde, Deinceps, & similes.*

[*Ex his* Posteà, postquàm, deniq;, deinceps, deinde, *videntur Adverbia non conjunctiones, nonnullis imperitioribus. Distinguendum enim est: Conjunctiones sunt, quatenus tantùm respiciunt vocum & membrorum juncturas. Si autem cohærent verbis ad significandam circumstantiam, sunt adverbia.* Postea *rectiùs dicitur esse constructio.*]

*Expletivæ (Completivæ seu repletivæ) sunt, quæ nulla significationis necessitate, sed explendi tantùm gratiâ inseruntur, ut: *Nam, Quidem, Equidem, Sanè.*

[*Unde etiam Expletivæ dicuntur, ut:* Nam *quis te juvenis confidentissime nostras jussit adire domos? Virg. Lutherus Wormatiæ coràm Carolo Imperat. Romano egit causam suã, &* quidem *summa animi constantia. Ac quoniam plerunq; approbandi vim habent, à nonnullis Approbativæ appellantur. His annumerantur ab aliis Paradigmaticæ seu explanandi particulæ,* scilicet, videlicet, nimirùm, nempe,

putà. *Præter enumeratas hactenus conjunctionum potestates, Priscianus ponit Electivam, quæ collationē rerum significet, ut* Quam: *Dives agricola esse malim, quàm pauper & nobilis. Has tamen ipsas idem Priscianus inter Adverbia comparandi refert libr. 15. Porrò Expletiva licet ornatus causa magis inventa sint, augent tamen sensum Orationis: atq; ita augent, ut penè cum subdisjunctivis ineant societatem: Ego quidem scribo, tu verò legis. Disjungit enim sensum apposita orationis, ab intellectu proposita, Scal. c. 171. de cc. l. l.*]

*Ordo Conjunctionum est, quo in oratione præponuntur aut postponuntur.

*Ex quo sunt triplices Conjunctiones: aut præpositivæ; aut postpositivæ, aut communes.

*Præpositivæ sunt: *Atque, Ac, Et, Sed &, Sed etiam, Verùm, Verùm etiam, Nedum, Nec, Neque, Tum, Quin, Quinetiam, Sin, Ast, Extrà quàm, Imò, Sed, Quòd, Præterquàm, Quamvis, Quanquam, Aut, Vel, An, Sive, Seu, Etenim, Nam, Namque, Sic, Quapropter, Quocirca.*

*Postpositivæ seu subjunctivæ: *Queque, Que, Autem, Interea, quidem, enim.*

[Enim *invenitur etiam positum in initio orationis: Enim mihi quidem æquum est, Plaut. in Aulular. Enim jam magis jam appropero in Casin. Enim cognovi nunc, in Milit. Enim lassam oppidò tunc ajebant. Terent. Hecyr. Macroni vix videor præstò esse. Enim auctionem. Cic. 4. ad Attic. Enim distantia cùm sint, Lucr. lib. 2. Enim præsens dolor exsuperabat. Idem lib. 6. Enim potest hoc memoria non teneri, Labeo lib. 2. Pithanôn. Invenitur & positum tertio loco: Minus aurum enim non perstringit oculos, Varr. Andab. Prusia cupit enim vendere, Cicer. ad Attic. 12. Eò quoq; enim mittendos*

dos

dos fore legatos, Liv. lib. 46. Sic & Que ponitur loco non suo, potissimum apud Poëtas: Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditq; & videt, Plaut. Captiv. Crepedes tetigitq; crura, Horat. Messalam terra dum sequiturq; mari, Tibull. Idem contingit in Sed, *Progeniem sed enim, Virgil. Impius ex quo Tydides, sed enim scelerumq; inventor Ulysses, Idem; idque inprimis metri causâ fieri existimandum est.*]

* Communes sunt quæ nunc præponuntur, nunc postponuntur, ut: *Adeò, Etiam, Item, Itemq;, Insuper, Vel, Si, Ni, Nisi, Alioqui, Alioquin, Interim, Vt, Licèt, Tamen, Porrò, Enimverò, Vt, Vti, Quòd, Siquidem, Equidem, Ne, Ergò, Ita, Itaq;, Igitur. (quod tamen sæpius postponitur.)*

* Ad postpositivas etiam pertinent dictiones Encliticæ, quæ tonum suum in finem præcedentis dictionis rejiciunt, ut: *Que, Ne, Ve.*

[*ut: Indoctúsq; pilæ discive trochive, quiescit.*]

* Species Conjunctionum sunt, Primitiva, ut *Aut:* Derivativa, ut *Verùm, Licèt.*

* Figuræ Conjunctionis sunt, simplex, ut *Nam:* composita, ut *Namque.*

[*Componuntur Conjunctiones sex modis, 1. Inter se: Etsi, Atque. 2. cum Adverbiis, Etiam: fuit enim Et, jam: & trisyllabum Etiam, quia iam bisyllabum, ut frequenter apud Comicos. 3. cum Præpositionibus, Absque. 4. Cum verbis, Quamvis. 5. cum Pronomine, Ideò. 6. Cum nomine: Quare. Scalig. cap. 174. l.l.*]

Capvt XXVII.

De Interiectione.

* Interjectio est vox invariabilis, animi affe-

ctum significans. *Vel è Scaligero:* Interjectio est nota animi affecti, quæ nullius indiget adjumento.

[*Est interjectio sonus rudis & inconditus, quem edunt homines exclamantes, lugentes, exultantes & tripudiantes, &c. adeò ut propemodum dictio nõ sit, & pronunciando magis quàm scribendo percipiatur. An inter partes Orationis referatur suprà diximus. Dicitur ita non quòd interjaciat, sed quòd interjaciatur.*]

p. 242.

* Interjectioni accidit, *Significatio, Species & Figura.*

Significatio varia est pro affectuum varietate.

Alię enim sunt Admirantis, ut *Papæ, Hui: Hem, Ehem! Vah!*

Aliæ Fastidientis: *Ohe, Phy, Apage.*

Lætantis, *Evax, Io, ô!*

Dolentis, *Heu, Ah, ô, Hei, Hoi, Eheu!*

Timentis, *Oh, Atat, Hei, Au!*

Ridentis, *Ha, ha, he.*

Exclamantis, *ó, Prô* vel *Proh!*

Minantis, *Væ!*

Deridentis, *Hui, Vah, Oh!* quibus addi potest *Eja.*

Vocantis, *Heus, Eho, Ehodum!*

Approbantis, *Euge!*

Blandientis, *Sodes, Eja.*

Silentis, *Au! St! Pax!*

[*Væ Tertulliano libr. 4. adversus Marcion. est vox non tantùm minantis, sed etiam imprecantis, inclamantis, & irascentis. Chrysost. homil. 60. in Matth. malum imprecantis, &*

tis, & vehementiùs exitio destinatos increpantis. Quo sensu etiam in scriptura usurpatur, ut: Væ tibi Chorazin, væ tibi Bethsaida, apud Lucam. Væ ipsis, in epist. Iudæ, v.11. Au *silentij notam Linacer docet: Alij etiam exclamandi particulam esse volunt, aut indicium conturbatæ mentis. Scaliger addit quoq; affectus jurantis, ut* profectò, medius fidius. *At nos ea suprà inter Adverbia tradidimus. Idem quærit, an brutorum voces in hunc ordinem sint redigẽdæ, ut* Cra, Uhu, Cucu, Be, Bau? *Concludit autem non recipi in Orationem, sicut neque alia ficta à Poëtis, nisi per jocum, aut figuram,* βρεκεκὶξ, θρεττανελῶ, τιλύσσα. *Evax Taubman. in Plaut. fol. 600. deducit ab Evoë: quæ bacchantium vox est. Vnde Evan, Liberi Patris cognomen. Eja apud Plaut. Casin. Act. 3. scen. 6. dicit esse non Hortantis aut Deridentis, sed Revocantis.*]

Observatio.

† Loco interjectionum nonnunquam ponuntur Nomina quædam & Verba: Nomina, ut *indignum, mirabile, infandum, miserum, miserabile, nefas, malùm.* Verba, ut: *Dic quæso, obsecro, amabo, age, cedò, precor,* quæ sunt amanter rogantis, & solicitè sese insinuantis.

* Species interjectionis est vel Primitiva, ut *Heu, Hem:* vel Derivativa, ut *Eheu, Ehem.*

* Figura est vel simplex, ut *Eho:* vel composita, ut *Ehodum.*

[*Scaliger tamen interjectionis proprium esse dicit carere Figurâ, contrà quàm veteres dixerint: neq; enim unam ab alia derivari: namq; Eheu compositam esse, non deductam. Igitur hoc esse consecutas, ut inter se dicantur infecta. Species esse videtur in Heu, & Eheu, Hem & Ehem, in quibus unam derivari putamus ab alia, cuilibet tamen liberum judicium relinquentes. Alij ad derivativam speciem referunt,* Age-

sultis,

p. 247. sultis, herculè, *Hæc autem Adverbia esse suprà diximus. Nonnulli inter accidentia assignarunt etiam ordinem. Non rectè. Perturbatus enim animus, aut prævenit affectum oratione, aut affectu orationem. Significatio alia ratione accidit Adverbio, alia Interjectioni: illi, sub ratione conceptus, huic, quatenus ordinatur ad affectum.*]

Capvt XXVIII.

De Enallage.

[Cæterùm in partibus orationis inter se collatis, etiam considerando venit Enallage.]

Enallage est mutatio quædam concinnitatis causâ usurpata, quando eâdem manente sententiâ, partes orationis, aut illarum attributa, inter se commutantur, ut: *Frequens in templo, (pro frequenter in templo:) Eo piscari (pro piscatum.) Romanus prælio victor (id est : Romani prælio victores.)*

Enällage est triplex: Enallage partis (aliàs *Antimeria:*) Enallage accidentis (alias *Heterósis seu Alloeósis* :) & Metállage.

Enállage partis (seu Antimeria) est unius partis orationis cum altera permutatio.

[*Aut enim commutatur* I. Nomen Pronomine. *Vt intelligas omnia Ciceronis patere Trebatio , pro , omnia mea tibi: Ille ego hæc cecini, pro, Vergilius hæc cecinit.* Verbo. *Velle suum cuiq; est pro, cuiq; sua voluntas. Scire tuum nihil est, pro, scientia tua.* Participio. *Quò potestatem neq; vocationis populi viritim neq; prehensionis , &c. pro , vocandi , prehendendi.* Adverbio. *Quid tibi ægrè est? pro, molestum. Aper acerba tuens. Virg. vide suprà cap. 25. observat. 1.* Conjunctione. *Illius ergò venimus, pro, illius causa.* Interjectione.

Quid

Quid tu malum curas, utrum crudum an coctum eadem. Navibus, infandum, amissis unius ob iram prodimur.

II. Aut Pronomen Nomine: *Id negat Cicero, pro, ego id nego. Sic apud Iureconsultos suus ponitur pro agnato.* Adverbio. *Hinc illa lacrymæ, pro, ex hac causa. Quid majora sequar? pro cur.*

III. Aut Participium Nomine. *Corusca lumina, pro, coruscantia, Ora sibila, pro, sibilantia.*

IV. Aut Verbum Nomine. *Quæ tua sententia est, pro quid tu sentis. Non est mihi dubium, pro non dubito.* Participio. *Non opus est dicto, at scito mihi opus est, pro dicere, scire.* Adverbio, *penè dixerim, pro ferè.* Conjunctione, *licèt pro quanquam: adde, accedit, pro præterea* Interjectione. *Dic quæso, obsecro, &c. Sic* Gerundium mutatur Gerundivo seu nomine participiali, *visendæ matris causâ, pro visendi matrem.* Supino: *Venit spectatum principem, pro spectandi causâ principem.* Verbo, *Tempus est majora conari, pro conandi. Nunc est tempus dicere, pro dicendi. Item* Supinum Verbo: *I visere, pro visum.* Participio. *Abit spectaturus principem, pro spectatum.*

V. Aut adverbium nomine. *Sole recens orto, pro recenter. Vivunt Bacchanalia, id est. Bacchanaliter.* Pronomine. *Vnde fit, ut malim fraterculus esse gigantum, pro, ex quo fit. Qui scis istuc? pro quomodo, aut unde.* Conjunctione, *Quando hac te cura remordet, pro quoniam.* Præpositione, *Quocunque loco fuero, meum Iesum desidero: Quàm latus,* cùm *invenero, Quàm felix,* cúm *tenuero. Bernhard. cùm pro quando.*

VI. Aut conjunctio commutatur nomine. *Vide suprà cap. 26. num. 3.* Verbo. *Tu licet invitus sis, pro quamvis.* Adverbio: *Ne aliorsum atque ego fecero acceperis, pro quàm: Nihil aliud se fatigando nisi odium quærere. nisi pro quàm.* Præpositione: *Romulus cum Remo, pro & Remus.*]

Enallage accidentis (HETEROSIS vel ALLÆOSIS) est, quando permutantur partium orationis accidentia.

[*Sic I. proprium ponitur pro appellativo. Sint Mecœnates, id est,*

(id est, promotores studiorum,) non deerunt Flacce Marones, (id est, eximij Poëtæ.) Sic ponitur Verres pro fure, Sardanapalus pro molli, Crassus pro divite, Phalaris pro crudeli, Cato pro tetrico, Crassus pro Agelasto, Irus pro paupere, Aristides pro justo, Epicurus pro homine voluptati dedito : Proprium pro adjectivo. *Tullius eloquio, pro præstans.* Appellativũ pro proprio, *Poëta pro Virgilio, Apostolus pro Paulo, Imperator pro Rudolpho, quæ in Rhetoricis est synecdoche generis vel Antonomasia.*

Hujus loci etiam sunt illa, cùm I. Patronymica *ponuntur* loco propriorum, *ut: Pelides aut Æacides, pro Achille. Priamides pro Hectore. Romulides pro Romano, quæ apud Poëtas sunt usitatissima.* II. *Cùm* possessiva *seu gentilia aut patria ponuntur* pro propriis, *ut Tirynthius pro Hercule, Cytherea seu Cypris pro Venere, Saturnius pro Iove, Cynthia pro Diana, Cyllenius pro Mercurio. III. Cùm* epitheta *ponuntur* loco propriorum, *ut impius & improbus pro Ænea, Æneid. 4. & 11. Senex pro persona heri, apud Terent.* I V. *Cùm* nomina gentium *pro* attributis *earum ponuntur: Cres & Græcus pro mendaci, Pygmæus pro brevi. Sybarita pro fastuoso aut luxui dedito. Pœnus pro fœdifrago. Scytha pro barbaro, Gallus pro levi. Hispanus pro jactabundo. Italus pro libidinoso. Ligur pro vano. Latinus pro superciliosa. Germanus pro bellicoso: Quæ Epitheta singulis nationibus attribuit Æneas Sylvius ex Baptista Mantuani lib. 1. de patient. cap. 11.*

II. Ponitur genus pro genere: Masculinum pro fœminino, *Aurea funis apud Lucretium, pro aureus, Amara cortices, Virg. pro amari, Pumex arida. Catull. pro aridus. Rectos cupressos. Ennius pro rectas, Hac finis. Virgil. pro hic finis. in quib. & similibus auris interroganda est, quæ quid loco cõveniat dicere: Quod illa suaserit, id profecto erit rectissimum, inquit Valerius Probus. Quare non fuerint accusandi recensiti autores violatarum Grammaticarum regularum, cùm rationem habuerint sonitus vocum atque verborum jucunditatis, de quo vide doctissimam ac elegantissimam disquisitionem*

tionem apud A. Gellium Noct. Attic lib.13. cap.19 Hinc Cicero.in Orator. Verba, inquit, sæpe contrahuntur non usus causa, sed aurium. Hinc & lux antiquitùs masculino genere usurpata reperitur Luce claro, Plaut. in Aulular. & Cicer. 3.offic. ut observavit Nonius. Vide Taubm. Plaut. fol.386. Fœmininum pro Masculino, *Talpa oculis capti, Virgil. Cæcus auri cupido, pro cæca.* Neutrum pro Masculino, *Ego quoque unà pereo, quod mihi charius est, id est, qui mihi charior sum. Terent.* Fœmininum pro neutro, *ut Mamma putres, equina quales ubera, pro qualia. Horat.*

III. Numerus pro numero, *Certus pro incerto, ôterq; quaterq; beati, Virg. Sexcenta possum decreta proferre, Cic.* Singularis pro plurali: *Adeòne homines immutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse, pro eosdem, Terent.* Pluralis pro singulari: *Hostis habet muros, pro hostes habent. Virg.*

IV. Casus pro casu per antiptôsin: Nominativus pro genitivo: *Initio reges, pars ingenium, alij corpus exercebant. Sallust.* Pro vocativo: *Projice tela manu sanguis meus, pro mi, Virgil. Vos ô Patritius sanguis, Persius: Censoremnè tuum, pro quo Trabeate salutas, pro trabeatus, Idem.* Genitivus pro Accusativo: *Butroti ascendimus urbem, pro Butrotum, Virg.* Ablativo: *In oppido Antiochia, pro Antiochiâ, quanquam Scaliger hic neget esse enallagen.* Dativus pro nominativo: *Cui nunc cognomen Iulo, pro Iulus, Virg. Scipio, cui Africano cognomen fuit, pro Africanus, Livius. Cervix, cui lactea crines accepit, pro cujus,* Dativus est pro Genitivo: *Sic & viro tuo oculi dolent, pro viri tui.* Dativus pro accusativo cum præpositione: *It clamor cœlo, pro ad cœlum.* Accusativus prò ablativo: *Quale nunquam perfectius laboraverunt manus, pro quali. Horat. Occurrunt animæ, quales neque candidiores terra tulit. Idem.* Vocativus pro nominativo: *Macte virtute esto, pro mactus.* Ablativus pro genitivo: *Iniquo pondere rastri, pro, iniqui ponderis.* Dativo: *hæret pede pes, densusq; viro vir, pro, pedi, viro. Confer etiam Syntaxin.*

V. Una

V. Una declinatio pro altera, *ut*, *materies pro materia, mendum pro menda, syngraphum pro syngrapha, &c.*

VI. Positivus pro comparativo: *Tacita bona est mulier semper, quàm loquens. Terent. pro melior.* Comparativus pro positivo, *Tristior mihi visus est, pro parùm tristis.* Pro superlativo, *Duo majora omnium navigia submersa sunt. Curt. pro Maxima.* Superlativus pro positivo, *Juvenis lepidissimus, pro valdè lepidus.* Pro comparativo, *Duo abs te rogo: primum, &c. proprius.*

VII. Substantivum pro adjectivo: *Scelus pro scelesto, Pestis, pro pestilente, Senium pro sene,* Primitivum pro possessivo. *Dardana arma, pro Dardania.* Derivativum pro primitivo, *Loquaculus pro loquax, &c. His adjiciūt & cùm* Numerus distributivus pro cardinali, *ut*; *Bis quinos silet ille dies, pro bis quinq;*: Cardinalis pro ordinali ponitur, ut, *Sexta cervice feratur, prò sex cervicibus. Sed in his figura propriè nulla esse videtur.*

In Pronomine: Possessivum nonnunquam ponitur pro Primitivo, *Odio id fecit tuo, Terent pro tui.* Reciprocum pro relativo, *Orat, ut si se amet, hera, ad se ut venias. pro ad ipsam, Terēt. Hæc ajebat, sic audivisse se, ab se &c. Sed rectè monet Linacer, hæc imitanda non esse.* Reciprocū pro non reciproco. *Vivite felices, quibus est fortuna peracta jam sua.* Reciprocum possessivum pro relativo tertiæ personæ: *Respice Laërten, ut jam sua lumina condas, pro ipsius. Sic ponitur quidam pro aliquis apud Virg. & aliquis pro quidam apud Ovidium.*

In verbo I. Activum *nonnunquam positum reperitur* pro Neutro seu Passivo, *Nox præcipitat, pro præcipitatur, Sistunt amnes, terræq; dehiscunt. pro stant, vel sistuntur. Quæ res tibi vortat malè, pro vertatur:* Passivum pro activo, *Et placitam paci nutritor olivam, pro nutrito. Expoliantur opes, pro expoliant.* Neutrum pro activo: *Corydon ardebat Alexin pro amabat.* Pro deponenti, *Caussa cœpit agi pro cœpta est agi* Pro Passivo, *Solebat fieri, pro solitum est fieri.*

II. Indicativus pro imperativo, *Salvebis, valebis, apud Cic.*

Cic. pro salve, vale. Conjunctivo, *impulerat ferro Argolicas, pro impulisset. Virg. Quod si fit, pereo funditus, pro periero, Terent.* Imperativus pro indicativo. *Si foetura gregem suppleverit, aureus esto, pro eris.* Optativo, *Vivite felices, quibus est fortuna peracta jam sua, pro vivant. Ne crede, pro ne credas.* Conjunctivus pro indicativo, *Ah si pergis, abiero, pro abibo. Terent.* Imperativo. *Quiescas, pro quiesce. Quod sis, esse velis.* Infinitivo. *Velim tua cures: pro te curare.* Infinitivus pro imperfecto indicativi, *Nos pavidi trepidare metu, Virg. Omnes invidere mihi & mordere clanculum, ego autem floccipendere. Terent. Facilè omnes perferre ac pati, cum quibus erat, pro ferebat ac patiebatur. Item Clodius nihil nisi cædem amicorum quærere. (Vtimur autem hâc locutione in hypotyposi; quando rem prorsus ut gesta est, ob oculos ponere volumus)* pro Præterito perfecto. *Non simultatem meam revereri, pro reveritus est, Terent.* III. Præsens pro imperfecto, *Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni, pro alebat, carpebatur. Virg. Tu si hic sis, aliter sentias, pro esses, sentires.* Perfecto. *Et omnis humo fumat Neptunia Troja, pro fumavit, Virg. Memini videre, pro vidisse.* Imperfectum pro plusquamperfecto. *Nam si esset, unde id fieret, faceremus, pro fuisset, fecissemus.* Perfectum pro præsenti: *Quanquam animus meminisse horret, luctuq; refugit, Virg.* Pro plusquamperfecto: *Et ni mea cura resistat, jam flamma tulerint, inimicusq; hauserit ignis, pro restitisset, tulisset, hausisset. Virg. Me quoq; juvat, velut in parte fuerim, pro fuissem.* Pro Futuro: *Aufugerim potius, quàm redeam, si eò mihi redeundũ sciam. Terent. Si tales amicos in prælio habebitis, quales hic ostenditis, vicimus, pro vincemus. Livius.* Futurum pro præsenti: *Te ad me fore venturum, pro esse. Cic.* IV. Persona 1. pro 2. *Populo imposuimus, & oratores visi sumus, pro imposui, visus sum.* Tertia pro prima: *Si quis me quærat rufus: præstò est, desine, Terent. pro præstò sum, da senim loquitur.* V. Derivativa species pro primitivâ. *Lectito, pro lego, clamito, pro clamo, &c.* VI. Figura, simplex

S pro

pro composita, *Risit hominem*, *pro derisit. Mitte levi curas, pro omitte. Temnere divos, pro contemnere.*

Adverbia sæpe ponuntur 1. pro Nomine: Sic erat consilium (id est tale; aut sit pronomen, Hoc erat consilium.) Et apud Virgil. Terrorum ac fraudis abunde est, id est, copia.) Et Græcè scit (pro Græca.) 2. pro Pronomine: Hinc illa lacryma, (id est, ex hac causa) Sic unde, (pro à quo.) 3. pro Præpositione, intus templo, apud Virg. (pro in templo. (Plura vide apud Scal. lib. 9 de c. l. l. c. 167.)

Conjunctio. I. copulativa ponitur nonnunquam pro disjunctivâ, vel adversativâ, *Vel rex mihi semper agebat gratias pro etiam, confer supra cap.* 26. Pro causali. *Non solùm nobis nati sumus, ortusq; nostri partem patria sibi vendicat, pro enim, vel Sed. Audieras, & fama fuit, Et pro Quia.* Pro Electivâ. *Aliud respondes atque rogo, Atq; pro Quàm Vide suprà cap* 26. Adversativa pro deminutiva, *Si non propinquitatis, at ætatis suæ rationem haberet, At pro Saltem. Sic invenitur, Nam quod, pro Quòd autem. Vt pro Nisi, vel Quin, vel Quo. Sic ponitur Item, pro Sic, apud Cicer. Vide plura apud Scal. lib. 11. de caus. l. l. c.* 147.

In Præpositione *multiplex est Enallage significationis: Quæ à Lexicographis debet peti.*]

Metallage est, cùm dictio aliqua materialiter ponitur, ut: *Amicus est alter Ego: Sive velis, Salve, seu vetus illud Have. Illud Vale quàm mihi triste fuit. Dî faciant, sine me non moriatur Ego. Per Miserere mei tollitur ira Dei.*

Ecce suum tireli, tiritirlire tractim
Candida per vernum ludit alauda solum. Taubm.

[*Huc pertinent nomina τεχνικὰ literarum, quorum mentio facta suprà c.* 10. *Quò etiam referuntur modi syllogistici in Logicis, Barbara, Celarent, Darii, Ferioq;, &c. Item adverbia nominum loco posita, ut jam clarum mane fenestras intrat, Pers. Euge tuum, &c. Sed & de his suprà.*]

Appen-

APPENDIX.

DE NOTIS QUIBUSDAM ORTHOGRAPHICIS.

Apoſtrophus eſt nota rejectæ vocalis in fine dictionis, ſic notata' ut: *Ain' pro ainé, viden' pro videsné.*

Interrogatio notatur ut punctum & circumflexus Græcus inverſus, hoc modo? *Quò nate Dei? Quò tua deſcendit humilitas? Quò tua flagravit charitas? Quò proceſſit pietas? Quò excrevit benignitas? Quò tuus attigit amor? Quò pervenit compaſſio? Ego enim iniquè egi, tu pœnâ mulctaris, &c.* Auguſt.

Punctum Admirationis & exclamationis pingitur vel ſic? ut: *Quid non mortalia pectora cogis auri ſacra fames?* Virgil. vel hoc modo! ut *ô beatum incendium & ardens deſiderium! ô dulce refrigerium, amare Dei filium!* Bernh.

Hyphen, ſeu ſignum ſubunionis ſic notatur ‿, ut *Qui‿cunq;.*

Nota disjunctionis, ut: *Conſpicitur—ſus.*

Aſtreriſcus, ſeu ſignum notationis, inſtar ſtellulæ pingitur. *


Obeliſcus ſic vel inſtar crucis. †

Signum citationis ex aliis authoribus.,,,,,

De ſignis diæreſeos ſyllabæ correptæ, productæ, ancipitis dictum eſt ſuprà, cap. 2.

LIBRI PRIMI DE ETYMOLOGIA FINIS.





LIBER SECUNDUS GRAMMATICÆ, DE SYNTAXI.

CAPUT I.

DE CONVENIENTIA NOMINIS cum Nomine.

*SYNTAXIS est secunda pars Grammaticæ, de ratione conjungendarum distinguendarumq; vocum, ad faciendam orationem.

¶ *Unde vel Conjunctionis est, vel Distinctionis.*

[*Syntaxis conjunctionis, quæ voces rectè connectere docet.*

Syntaxis conjunctionis est vel Intransitiva seu convenientiæ: *vel Transitiva seu* rectionis.]

Syntaxis Convenientiæ est, quando vox una cum altera in certis accidentibus concordat, ut, 1. Nomen cum Nomine, 2. Nomen cum Verbo. 3. Partes orationis variabiles cum invariabilibus, aut inter se etiam.

[*Porrò ne quis miretur, methodum Syntaxeos Philippicam à nobis mutatam esse, perpendat, quanta incommoda ex eadem sequantur, in illis quæ promiscuos casus admittunt, itemq; casus geminos adsciscunt. In quibus sanè constans casuum series observari nequaquam potest, ac proinde*

totam methodum labefactari necesse est. Iam distinctam esse constructionem convenientiæ, quam vocant, & rectionis, nemo negaverit. Quibus ita constitutis, longè facilior emergit methodus, si rectio in quinq; classes distinguatur, simplicẽ, promiscuam, geminatam, subintellectam, infinitorũ. *Subintellectam ideò separatim statuimus, quia in plerisq; quisdẽ regulis, tacitè animus subintelligere aliquid videtur, cùm tamen propriè non appellanda sit Ellipsis, seu figurata Syntaxis. Dedimus autem operam, ut regulæ Philippi verbis conceptæ retinerentur. Monemus etiam, ut Syntaxis anomala à præceptoribus ne negligatur. Plurima enim ad illam rejecta sunt, & in præcedentibus ob id omissa. Quòd si igitur apud autores, constructionis exemplum occurret, quod ad regulas referri non posse videbitur, recurratur ad Syntaxin anomalam.*

REGVLA I.

* Adjectivum & Substantivum eodem genere, numero, & casu cohærent, ut:

Amicus certus in *re incerta* cernitur. *Enn.* Orandum est, ut sit *mens sana* in *corpore sano. Iuven. Casta* Deus *mens* est, *castâ* vult *mente vocari,* Castorumq; jubet pondus habere preces. *Melancht.*

[*Sic decem plagæ Ægyptiacæ hisce rythmis veterum comprehensæ:*

Prima, rubens unda, *ranarum* plaga secunda.
Inde culex tristis, *pòst* musca nocentior *istis*.
Quinta pecus stravit, vesicas sexta creavit.
Pòst sequitur grando, pòst bruchus dente nefando,
Nona tegit solem, primam *necat ultima* prolem.]

OBSERVATIONES.

* I. Ad eundem autem modum & Pronomina & Participia substantivis connectuntur, ut:

Nam tua res *agitur*, paries cùm proximus *ardet. Hor.*

Hujus & illius *pietas fert pramia* vitæ, 1. *Tim.* 4. *Blandus amor nihil est, & pulcra gratia forma*. Hæc mulier *bella est qua scit amare Deum, Prov.* 31. *Nullus ad* amissas *ibit amicus* opes. *Ovid.* Tela prævisa *minus nocent. Seneca.*

¶ *II. Interdum adjectiva substantivorum naturam induunt, quando videlicet duo vel plura sine substantivo concurrunt, ut:*

Fortunate senex. *Virgil.* Optima prima *ferè manibus rapiuntur avaris, Implentur numeris* deteriora *suis. Ovid.*

¶ *Idem usuvenit in Pronominibus, ut:*

Aquila sæpè iis ipsis *configitur sagittis, quibus sua penna aptantur. Iulianus Augustus.*

[*In Numeralibus notandum, non rectè duo Adjectiva cohærere, ut, non dicendum, duo centum, sed ducenti, vel bis centum: Non duo mille, sed bis mille, vel duo millia. In istis verò viginti unus, viginti duo, decimus tertius, &c. est compositio, vel ellipsis conjunctionis ET.*]

¶ *III. Cùm ad verbum vel totam orationem præcedentem, adjectivum vel relativum infertur, neutro genere plerumq; ponitur, ut:*

Velle suum *cuiq; est, nec vota vivitur uno. Pers.* Scire tuum *nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter. Idem.* In tempore ad eam veni, quod *rerum omnium primum est. Terent.*

[*Et tum verbum vel oratio fungitur vice substantivi. Vide suprà lib.* 1. *p.* 10[illegible] & [illegible]] 177.

¶ *IV. Relativa quæ accidentis vocantur, genus, numerum & casum mutuantur à substantivis, quibus proximè cohærent, ut:*

Tanta *cuiq; sunt mala vel bona*, quantus *est* animus, *qui illa sustinet. Cic.* Quales *in Republica principes sunt*, tales *reliqui solent esse cives. Idem. Non est compendiosior via ad gloriam, quàm ut quisque* talis *sit*, qualis *haberi velit. Idem.*

[*Rela-*

[*Relativa accidentis sunt, Qualis, Quantus, Quotus, Qui, &c. vide append. Nominis.*]

* V. Relativum cum antecedente substantivo necesse est genere & numero convenire: casu autem convenire necesse non est, nam is sequenti verbo respondet: ut,

Quo *semel est imbuta recens, servabit* odorem *Testa diu. Horat.* Beatus vir qui *non abiit in consilio impiorum, Psal 1. Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur. Lucan. Nullus est* dolor quem *non longinquitas temporis minuat atq; molliat. Cic.*

¶ *VI. Relativum, Qui, Quæ, Quod, positum inter duo substantiva diversorum generum, tam sequenti quàm ancedenti rectè respondet.*

Antecedenti, ut: Vnus erat toto natura vultus *in orbe,* Quem *dixêre chaos. Ovid.*

Sequenti, ut: Animal ratione plenum, quem *dicimus* hominem, *Cic.*

¶ *VII. Adjectivum participiale inter duo substantiva positum, cum anteriori concordat, ut:*

Verbum *caro* factum *est* (*non facta*) *Ioh.* 1. Bonosus Imperator, *cùm vitam laqueo finisset,* dictus *est amphora pendens,* (*non dicta.*) *Vopisc.*

[*Tametsi autores interdum in his Enallage utuntur: ut, Amantium ira amoris redintegratio est, pro sunt. Terent. Non omnis error stultitia dicenda est, Cic. Gens universa Veneti appellati. Liv. Ludi fuere Megalasia appellata. Id. Paupertas mihi onus visum & miserum & grave, Terent.*]

¶ *VIII. Interrogativum & Redditivum casu convenire debent: ut,*

Cui *dono lepidum novum libellum?* Cornel*i* tibi, *Catull.* Cujus *est sententia?* Ciceronis.

¶ *Excipe* 1. *Cùm per vocem quæritur, quæ*

cum aliis nominibus alio casu construitur, *Interrogativum & Redditivum casu aliquando discordant*; *ut*,

Quanti, *emptus est liber*? Duabus drachmis.

¶ 2. *Cùm per pronomen Cujus quaeritur, possessoris nomen genitivo casu subjicitur: Possessiva autem pronomina eo casu, quem Verbum, ad quod respondetur, requirit, ut:*

Cujus *est haec oratio*? mea, tua, nostra, vestra, ipsius, Ciceronis, &c. Cujus *puerum adduxisti*? meum, tuum, Pamphili. *Terent.*

ANOMALIA.

† Variant à regula, quae figuratè vel per Appositionem, vel per Synthesin, per vel Zeugma, vel per Syllepsin dicuntur.

[*Quae etiam ad Ellipsin referri possunt. Subintelligitur enim in iis aliquid omissum.*]

*I. APPOSITIO est, cùm duo substantiva, ejusdem sive diversi generis, eodem casu, absq; Conjunctione de eadem re dicuntur: ut,

Effodiuntur opes irritamenta *malorum. Ovid. Et genus & formam* regina pecunia *donat. Horat.*

[*Ubi substantivum declarandi causâ additum ferè adjectivi naturam induit. Cōcurrit etiam saepe anomalia numeri, ut*; Eupolis *atq;* Cratinus, Aristophanesq; Poetae. *Horat.* Procles & Eurysthenes *Lacedamoniorum* reges. *Cic.* Urbs Athenae. *Generatim hîc notanda regula: singularia plura haberi pro uno plurali. Scaliger quatuor Appositionis modos apposite tradit, lib. 12. de cc. l. l. 177. Nam aut est univoca, ut urbs, arbor; aut Aequivoca, ut lepus, lupus, turtur. Significāt n. & piscē & animalia generis diversi 2. est alius modus moderationis à denominatione: nā si dicas, Caesar, multás virtutes aut vitia possis attribuere. Itaq; temperabis*

abiu eum cursum tam vagum appositiu nominibus, Imperatór, Dictator. 3. Ex alio flexu sic: Catilina pestis rerum Romanarum. 4. Fit & quarto modo, cùm transfertur figuratè denominatio in primitivum, zoilus vitium, pro vitioso. Postea disquirit an etiam sit appositio ab Adjectivis? Tectum augustum ingens, centum sublime columnis. Dicit non ita esse, sed tropum ἀσύνδετον, & repeti intellectione tectum. Et in fine refutat Grammaticos, qui negant recte dici à Virgilio, urbem Patavij, cùm tamen omnes ita locuti sint. In oppido Cumarum, Palladius. In oppido Antiochia, Cic. &c.]

† II. SYNTHESIS est, 1. cùm nomini multitudinis singulari subjicitur adjectivum plurale: 2. vel cùm substantivo adjectivum diversi generis subjicitur; quæ constructio ad intellectum, non ad vocem refertur; ut.

1. Pars *volucres* factæ. *Ovid. Maxima* pars vulnerati & occisi. *Sallust. Hic* manus *ob patriam pugnando vulnera* passi. *Virg.*

2. Senium *qui me hodie* remoratus *est. Teren.* Centauro *invehitur* magna. *Virgil.* (*Pro: Quidam volucres facti, plurimi vulnerati, plurimi passi, senex qui me hodie remoratus est, Centauro navi magna.*) Turpe senex *miles*, turpe *senilis* amor. *Ovid.* (*id est, turpis res.*)

[*Multitudinis nomina sunt collectiva & distributiva, de quibus suprà lib.* 1. c. 14.]

Huc pertinet anomalia Relativi. *Si tempus est ullum, quæ multa sunt. Cic. Eunuchum, quia sola his utuntur regina. Terent. Et nomina Comœdiarum per Ellipsin constructa, ut, In Eunuchum suam, Ter. sc. Comœdiam.*

† III. ZEUGMA est, cùm diversis substantivis adjectivum additur, quod cum propiore tantùm consentit: ut,

Caper *tibi* salvus & hædi. *Virgil. Et* genus & virtus, *nisi cum re*, vilior algâ *est. Horat.*

† IV. Syllepsis Generum est, quando adjectivum à substantivo genere discordat, (cui anomalia numeri semper conjuncta est. De quâ sequentes duæ regulæ.)

† 1. Pluribus substantivis rerum animatarum diversorum generum subjicitur adjectivum plurale, quod digniori respondet: ut,

Antonius & Cleopatra *ab Augusto* victi. *Mulciberis* capti Marsq; Venusq; *dolis. Ovid.* Pater *mihi &* mater mortui *Terent.* Bos & jumentum *sunt ad præsepe* ligati.

[*Dignius est masculinum fœminino, & utrumq; dignius neutro. Tertullianus tamen fœmininum præposuit masculino, in lib. de carne Christi, Secura estote caro & sanguis, jam enim regnum in Christo occupâstis.*]

† 2. Pluribus substantivis rerum inanimatarum, sive ejusdem sive diversi generis, adjectivum plurale neutrum subjicitur, ut:

Divitiæ & decus & gloria *in oculis* sita *sunt*, *Sallust. Non difficillima curatio est*, *si* imperata *sint corpori* sitis, quies, inedia, *Cels.* Regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ *in casu* sita *sunt*, *Cic.*

[*Quando substantiva sunt ejusdem generis, adjectivum plurale in genere convenire potest, ut: Misericordia & perfidia pari jure dilecta. Iustin. Grammaticę ac Musicę quôdam junctæ fuerunt. Quint. Quòd autem apud Lucan. extat: Lex & plebiscita coacta. euphoniæ tribuendum potiùs quàm imitandum est. Quòd si alterum substantivum sit rei animatæ, alterum inanimatæ, dignius ferè censetur rei animatæ substantivum: ut, Cæsosq; reportant Almonem puerum, fœdatiq; ora Galesi. Virgil. Iane fac æternos pacem paciq; ministros. Ovid. Huc pertinet.* Syllepsis casuum poëtica, quando alter nominativus in ablativum cum Præpositione, Cum, mutatur, ut, *Ilia cum Lauso de Numitore sati. Ovid.*

pro

pro Ilia & Lausus. Fors eadem Ismarios Hebrum cum Strymone siccat. Idem.

Zeugma Scaliger vocat jugationem Metaphoricè. Quod enim unius est, ita ad eum pertinet, ut ejus significatui adjungat alterum. Iugum igitur quoddam quasi est Adjectivũ, quo in unum coëunt significatum extrema duo. Quare concludit medio in loco sedem sibi jure venditare. Vsu tamen hodie exortum est ut tribus modis varietur: primo loco sic: Carus mihi es tu & Lucina. Medio sic: Tu mihi carus es & Lucina, In postremo, tu mihi & Lucina cara es.

Scaliger hanc Syllepsin vocat conceptionem, aut quia minus à majore, aut quia minus nobile à nobiliori cõtinebatur, eumq; paulò figuratiùs versari dicit in obliquis, ut Cæsar cũ Catone disputant, cui genuinum est illud Virgil. Remo cum fratre Quirinus jura dabant. Quæ locutiones faciunt ad evitandam ambiguitatem. Si enim dico, Cæsar cum Catone disputat; non unionem sed controversiam posses accipere. Illam verò apud Ovid. Ilia cum Lauso de Numitore sati, existimat longè esse figuratiorem. Neq; enim inquit, Ilia erat nati, sed nata cum Lauso. Itaq; antequàm reddas Verbum Recto, Rectus cum obliquo ita sunt conjungendi, ut unum sit è pluribus, quibus pluribus Verbi numerus respõdeat. Et post pauca. Fit autem, inquit, hæc unio, non solùm in numero, sed etiam in persona: ut reddatur Verbum primæ & secundæ non sine causa: Nobiliori enim debetur. Quæ loquitur, nobilissima est: facit enim orationem: & sibiipsi, ut ita dicam, proxima est: mox secunda. Itaq; cùm se ipsa posuit, non potest ad aliam transferre Verbum, sic enim definiebatur, Quæ de seipsa loquitur: Ita igitur loquemur; Ego & tu scribimus, tu & Cato pugnatis. Eâdem nobilitatis ratione in genere fit Figura, ut Masculino reddatur aut Fœminino. Cùm ergò & in Numero, & in Persona, & in Genere fiat conceptio: illud habet proprium sibi, ut in numero solo possit fieri. Cùm autem fit in persona, aut in genere semper etiam Figura numeri adsit. Ego & Lucina læti vivimus. Tu cum matre lauti cœnatis, &c.]

Ca-

CAPVT II.

De Convenientia Nominis cum Verbo.

REGVLA I.

* Nominativus præcedit Verbum personale finitum simili numero & persona, ut:

Ferrum tuetur *principem. Seneca.* Est *profectò* Deus, qui *quæ nos gerimus* auditque *&* videt. *Plaut.* Labor *omnia* vincit, *Virg.*

OBSERVATIONES.

* I. Hinc vocativi secundæ personæ imperativis præponuntur, aut sine Verbo ornatus vel affectus causâ orationi inseruntur, ut;

Tu regere imperio populos Romane memento. *Virg.*
Nate *Dea, quò fata trahunt retrahuntq;* sequamur. *Virg.*
Tu da nate *Dei, vita nos néve pudere, Neve etiam mortis pœnituisse queat. Ambros, in agone mortis.*

* II. Utimur prima & secunda persona, dissimulatis ferè pronominibus; ut,

Vivo *equidem,* vitamq; *extrema per omnia* duco. *Virg.*
Nitimur *in vetitum semper,* cupimusque *negata. Ovid. pro, ego vivo, ego duco; Nos nitimur, nos cupimus, &c.*]

[*In his enim & similibus nominativus rarò exprimitur, nisi cùm discretionem aut emphasin quandam significat, ut: Me me, ego sum, qui feci, Virg. Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra Formosam resonare doces Amaryllida sylvas. Idem.*]

§ *III. Tertiâ quoque personâ quandoque absolutè sine nominativo utimur, in iis videlicet, quæ per Ellipsin seu secundùm intellectum dicuntur, ut:*

Primò:

Primò: Ajunt, dicunt, ferunt, perhibent, &c. (*scilicet homines.*) *Demosthenem* tradunt *vestitu sincero, & cultu corporis nitido venustoq; & nimis accurato fuisse. Gell.*

Secundò in Verbis, quæ exemptæ actionis vocantur, ut: Tonat, pluit, ningit, diescit, vesperascit, &c. (*scil. cœlum vel aër.*)

[*Interdum tamen additur nominativus: Saxa pluunt. Stat. Multus ut in terris depluerit q; lapis. Tibull. Interdũ alij casus, ut pluit lacte, sanguine, carne. Liv. De sententia Scaligeri suprà lib.* 1. *in verbis Defectivis monuimus.*]

¶ *Tertiò, In Impersonalibus passivis:*

Vivitur *ingenio, cætera mortis erunt, Ovid. Non potest jucunde vivi, nisi cum virtute* vivatur. *Cic. Emori potiùs quàm servire præstat. Cic.*

¶ *IV. Est & cùm Infinitivus, aut tota oratio infinitiva pro nominativo, Græca consuetudine ponitur, ut,*

Adde, quòd ingenuas didicisse *fideliter* artes, Emollit *mores nec sinit esse feros. Ovid.* Eximia est virtus præstare silentia *rebus: At contrà gravis* est culpa, *tacenda* loqui, *Ovid. Crede mihi* sapere est *non nimium* sapere, *Martial.*

¶ *V. Huc pertinent Adverbia loco nominativi posita, ut:*

Satis est. Abunde est *fraudis, Virg.*

¶ *Et Voces materialiter positæ, ut:*

Amo est *Verbum.*

¶ *Et quando infinitiva oratio circumscribitur, ut:*

Quòd tyranni vivunt, malum est.

ANOMALIA.

Variant autem circa personam & numerum, quæ figuratè dicuntur, vel per Synthesin, vel

per Zeugma, vel per Syllepsin, vel per Prolepsin.

[*Huc referunt vulgò & Evocationem; quæ est, cùm Verbo primæ vel secūdæ personæ nominativus tertiæ præponitur, ut:* Nos poma natamus. *Virg. Tum denique* homines *nostra bona* intelligimus, *cùm quæ in potestate habuimus, ea amisimus. Plaut. Dicunt Evocationem, quòd tertia persona è sua statione quasi evocata ad primam vel secundam reducatur: In qua Verbum semper cum pronomine expresso, (ut, ego Virgilius lego:) vel subintellecto, (ut, non omnia possumus omnes:) convenire possit.* At Scalig. evocationem prorsus exterminat. *Cujus rei ratio lib. 1. reddita.*]

† I. SYNTHESIS est, cùm nomini multitudinis singulari, Verbum plurale respondet, ut:

Turba ruunt. *Ovid. In Africa major* pars *ferarum æstate non* bibunt *inopiâ imbrium. Plin.* Quisque *suos* patimur *manes. Virg.*

[*In magnis* læsi *rebus* uterq; sumus. *Ovid. Magna* pars *studiorum amœnitatem* quærimus. *Plin.* Aperite aliquis. *Terent. Pars Scythiam & rapidum Cretæ veniemus Oaxen, Virg.*

Potest & hæc esse syllepsis personarum. Nomina multitudinis sunt Collectiva & Distributiva, de quibus l. 1. c. 14.]

† II. ZEUGMA est, cùm multis substantivis inter se junctis Verbum additur, quod cum propiore consentit, ut:

Semper honos, nomenque *tuum*, laudesque manebunt. *Virg. Optima quæq; dies miseris mortalibus ævi, Prima fugit*, subeunt morbi, *tristisq;* senectus. *Et* labor *& duræ* premit inclementia *mortis. Idem.*

III. SYLLEPSIS hoc loco vel in Numero, vel in Persona consideratur.

† 1. Syllepsis Numerorum est, cùm vel singularis

gularis numeri, vel diversorum numerorum Nominativis inter se junctis, infertur Verbum plurale, ut:

Furor iraq; *mentem* præcipitant. *Virg.* Luxuries & avaritia *maximè homines ad maleficium* impellunt. *Cicer.*

[*Quattuor ista*, timor, munus, dilectio, rumor,
Sæpe solent *hominum rectos pervertere sensus.*
Non bene cum sociis regna Venusq; manent, *Ovid.*
Duo nos maximè movent, similitudo & exemplum. *Cicer.*]

† 2. Syllepsis Personarum est, cùm diversarum personarum Nominativis inter se junctis, Verbum plurale infertur, quod personæ digniori respondet, ut:

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis Tuque puerque *tuus*, *Virg.* *Si* tu & Tullia *lux nostra* valetis: ego & *suavissimus* Cicero valemus. *Cic.*

[*Prima persona dignior est secundâ, secunda dignior tertiâ.* Nota. Est & Syllepsis Casuum poëtica, cùm nominativo & ablativo inter se cohærentibus. Verbum plurale additur, ut: Remo cum fratre Quirinus *jura* dabant. *Virg.* *Littora* cum plausu clamor *superasq; Deorum* implevêre *domos. Ovid.*]

† IV. Prolepsis est, cùm generi seu toti, partes subjiciuntur diversis numeris aut personis, Verbo non repetito, ut:

Curemus *æquam* uterque *partem*, tu *alteram*, ego *item alteram*. *Ter.* Milites redeunt, hic *ex Hispaniis*, ille *ex Galliis*. Consules profecti, Valerius *in Campaniam*, Cornelius *in Samnium*, ille *ad montem Gaurum*, hic *ad Satriculum castra ponunt. Liv.*

[*De Antiptosi vide plura in Enallage lib. 1. c. ult.*]

CA-

CAPUT III.

DE CONVENIENTIA PARTIUM *Orationis invariabilium.*

REGULA I.

* Adverbia subjiciuntur Verbis & eorum Participiis, ad explicandas actionum circumstantias, ut:

Festina lentè. *Quod* citò fit, citò perit. Malè parta malè dilabuntur. *Bonis quod* benè fit, haud perit. *Plaut. Ædificemus quasi* semper victuri, *vivamus quasi* semper morituri *Patria est* ubicunq; est benè. *Cic. Exsors conjugij non* benè vivit *homo. Gen.* 1. *Eccles.* 4. *Quod tibi vis fieri, vicino* feceris æquè. *Matth.* 5.

[*Veteres voluerunt in structura Adverbium semper præponendum esse Verbo, ut Benè currit. Sed hoc vel ipsum Adverbij nomen confutat. Nam ad Verbum accedit, vel, ut Scaliger loquitur, accessio significatus fit ad Verbum ab Adverbio. Et quemadmodum priùs sumus viri, quàm fortes, & prior natura cursus est in genere, quàm cursus celer, sic erit prius currere, quàm celeriter currere.*]

REGULA II.

* Adverbia etiam interdum nominibus adjectivis aut adjectivè usurpatis, & sic etiam intendendi vel minuendi gratiâ, adjiciuntur, ut:

Mulier admodùm anus. *Terent.* Gnaviter impudentem *esse oportet, qui semel verecundiæ fines transierit. Cic.*

REGULA III.

* Adverbia inter se quoque conveniunt, ut:

Sat citò, *si* sat benè. *Cato.* Ferè libenter *homines id, quod volunt*, credunt. *Cæsar. Tu verò nec* nimis valdè unquam, *nec* nimis sæpè laudaveris. *Cic.*

Obser-

Observationes de Adverbio.

§ 1. *Adverbium sæpè usurpatur pro Pronomine relativo, ut:*

Digna res, ubi *nervos* intendas (*id est, in qua.*)

§ 2. *Quàm, comparationis adverbium, omni gradui convenit.*

Positivo, ut: *Non intelligunt homines*, quàm magnum *vectigal sit parsimonia. Cic.*

Comparativo vel uni, vel gemino, ut: *Principi non minùs turpia sunt supplicia* multa, quàm *medico funera, Seneca.* Salubrior *studiis* quàm dulcior. *Quint.*

[*Eadem est ratio particularum Ac, Atq; pro Quàm, ut, Dictiùs ac vellem, Cic.*]

Superlativo, *Cæspius mihi* quàm maximas, quàm primùm, quàm sæpissimè *gratias agat. Cic.*

[*Eadem est ratio particulæ* Ut *pro* Quàm, *ut:* Ut *gravissimè diligentissimeq; potui. Cic. De Ellipsi particulæ Quàm, vide cap. 10.*] p. 351.

§ 3. *Longè, Multò, Tantò, Quantò, Hoc, Eò, Quò, aliâs comparativo, aliâs superlativo conveniunt, ut:*

Suevorum gens est longè bellicosissima. *Cæs.* Multò pauciores *oratores, quàm Poëtæ boni reperiuntur. Cic.* Tantò pessimus *omnium Poëta*, quantò *tu* optimus *omnium patronus. Catull. Conspectus vester* multò jucundissimus. *Cic. Omne animi vitium* tantò conspectius *in se Crimen habet*, quantò major, *qui peccat, habetur. Iuvenal.* Quò *quis* indoctior, eò impudentior. *Fab.*

[*Longè etiam cum positivo legitur, ut, longè salubria, Gell. Longè rarum, Solin. Præsertim cum Adjectivis, Alius, Dispar, Dissimilis: & Participiis significantibus comparationem aut distantiam, ut, longè excellens & longè præstabilis, Apulej. Longè dispar, Cic. Longè remotus, Horat. Longè ante alias pulchritudine insignis, Liv. Longè princeps. Cic. Longè dissimilis, Horat.*]

¶ 4. *Adverbia numeri conveniunt nominibus distributivis, ut:*

Bis bina. Cic. Ter centena *quidem poteras epigrammata ferre. Mart. Dicitur etiam bis centum, bis mille, ter centum, &c. Bis mille equi, Hor. Bis centum anni, Ovid.*

¶ 5. *Adverbia temporis relativa. Postquàm, Vbi, Dum, Simulac, &c. Indicativo & subjunctivo adjunguntur, ut:*

Postquam *te* emi *à parvulo. Terent.* Postquàm consulueris, *maturè facto opus est. Sallust.*

Excipe. Ut pro Postquàm, indicativum tantùm adsciscit.

Ut sumus *in Ponto, ter frigore constitit Ister. Ovid.*

[*Simulac, Simulatq;, Simul (pro postquàm) frequentiùs subjunctivo junguntur.*]

¶ 6. *Quemadmodum, Vt, Vtcunq;, Sicut, indicativo & subjunctivo abhærent:*

Vt salutabis, ita resalutaberis. Ut *sementem* feceris, ita *&* metes, *Galat. 6.*

¶ 7. *Quasi, Ceu, Tanquam, Perinde, Ac si, verbis juncta subjunctivum postulant, ut:*

Tanquam feceris *ipse aliquid, Iuven. Sic vive cum hominibus,* tanquam *Deus* audiat, *sic loquere cum Deo*, tanquàm *homines* intelligant.

[*Aliàs enim copulant similes casus Nominum*]

¶ 8. *Ne, An, Num, Nunquid, Vtrum, interrogativa indicativo; dubitativa subjunctivo adduntur, ut:*

Num *lacrymas victus* dedit? *Virg. Viso,* num redierit, *Terent. Concute*, nunqua *tibi vitiorum* inseverit *olim Natura. Horat.*

¶ 9. *Vtinam cum optativo tantùm jungitur.*

Vtinam, utinam sit id quod spero! Ter. O utinam tunc cum Lacedæmona classe petebat, Obrutus insanis esset adulter aquis! Ovid.

[*Id est*

[Id est, cùm subjunctivi Præsenti, Imperfecto, & Plusquàperfecto jungitur.]

¶ 10. *Longè, Multò, Paulò, eleganter conveniunt cum his adverbiis, Aliter, Secus, Antè, Pòst, ut:*

Paulò aliter, multò secus, longè pòst.

¶ 11. *Tam, frequenter Positivo jungitur, ut, Tam amicus Reipublicæ, Cic.*

[Etiam comparativo junctum legitur sed rariùs: ut, Dextera non tàm in bellis, quàm in promissis firmior. Cicer. Tàm magis illa fremens, & tristibus effera flammis, Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ, Virg. Et Superlativo: Quàm minima in spe erit, tàm facilimè patris pacem in leges conficiet suas, Ter. In tàm optima causa rei tàm maximè necessaria incuria, Cic. Tàm etiam Verbis & Adverbiis jungitur. ut: Tàm scio, quàm me vivere, Ter. Tàm vehementer, Cic. &c.]

REGVLA IV.

* Conjunctio aut similes casus & tempora conjungit, aut orationem novam superiori attexit, ut:

Nox & amor, vinumq; *nihil moderabile suadent. Ovid. Tempora* labuntur, *tacitisq;* senescimus *annis*, Et fugiunt *freno non remorante dies. Idem. Veri summa boni* nosse & amare *Deum. Theod. Zuingerus.*

¶ *Exceptio 1. Quoties dictio diversos casus recipit, casus inter se dissentire possunt, ut: Fuit Romæ & Thebis.*

¶ 2. *Sic Possessiva interdum cum Genitivis conjunctionem sequentibus discordant, ut: Meo præsidio atq; hospitis. Terent.*

† In hac constructione occurrunt, tum Polysyndeton, id est, conjunctionum redundantia, ut:

Qui cupit optatam cursu contingere metam, Multa tulit; fecitq;

fecitq; *puer*, sudavit & alsit. *Horat.* Et *genus & formam regina pecunia donat. Idem.*

† Tum Asyndeton, id est, conjunctionum defectus, ut:

Veni, vidi, vici, Cæs. Corpora debilitant Balnea, Bacchus, Amor. Ferte *citi flammas*, date *tela*, impellite *remos. Virg.* *Tectum* augustum, ingens, *centum subnixa columnis. Idem.*

REGULA V.

* Ut causalis, & quæ similem vim habent, Quippe quòd, Quin, Ne, Uti, Ne-non, Qui, Utqui, Quippequi, Quippe cùm, subjunctivum adsciscunt.

Observatio. *Si præsens Verbum præcedat, subjunctivus sequens præsentis temporis esse solet; sin præteritum Verbum præcesserit, subjunctivus sæpius in imperfecto ponitur, ut:*

Tolluntur *in altum*, Ut *lapsu graviore* ruant. *Claud.* Ut flerent *oculos*, erudiêre *suos*.

Ut *populo* placeat, *cui vitia displicent, per naturam fieri non* potest. *Seneca. Religionem imperare non possumus, quia nemo* cogitur, ut credat *invitus. Theodos. Imper.* Ut *nunquam* pecces, meditare *novissima rerum, Syr.* 3.

Et in præsenti subjunctivis quoque ponitur, nempe quando actio adhuc durat, notante Erasmo in copia R. & V. ut: Orare jussit *hera, ad se* ut venias. *Terent. In hoc* apparuit *Filius Dei*, ut solvat *opera* Diaboli. 1. *Ioh.* 3.

¶ *Ne etiam imperativo convenit, ut:*

Tu ne cede *malis Virg.*

[*Solent tamen per ellipsin sæpe omitti, ut, Cave credas, Cic. Item geminari, Vt ne. Cum verbis metuendi, Vt negat, Ne affirmat, ut: Metuo ut fiat, (id est, puto non futurum.) Metuo ne fiat, (id est, puto futurum.)*]

Obser-

Observationes de Conjunctione.

§ 1. *Cùm, tum, & Tum, tum; similes modos & casus copulant, ut:*

Qui omnibus bonis instructi sunt & ornati, tum sapientes, tum *viri* boni *dicuntur.* Odit tum literas, tum virtutem.

[*Cùm tum, in imparibus; Tum tum in paribus, usurpantur Vide appendicem Grammaticæ.*] p. 371.

§ 2. *Quamvis, Vtut, Licèt, subjunctivum, frequentiùs, interdum etiam indicativum flagitant. Sed Vt, (pro quamvis,) solùm subjunctivum requirit, ut:*

Quamvis est *igitur meritis indebita nostris, Magna tamen spes est in bonitate* Dei. *Ovid.* Ut desint *vires, tamen est laudanda voluntas. Ovid* Utut *hæc facta* sunt, *Terent.*

§ 3. *Quando, Quandoquidem, Quatenus, Quoniam, indicativum exigunt: Siquidem, Ni, Nisi, indifferenter, modò Indicativum, modò Subjunctivum.*

[*Nota, hæc intelligenda sunt de directa seu indicativa oratione, Nam in obliqua oratione Subjunctivus omnibus particulis competit.*]

§ 4. *Sin ponitur, ubi Si præcesserit.*

§ 5. *Vt & Vtpote casus tantùm copulant.*

§ 6. *Cùm (quando significat causam, aut quando significat Et tamen,) jungitur tantùm subjunctivo in Præsenti & Perfecto; ut:*

Cùm legam, dieweil ich lese / oder / da ich doch lese. Cùm legerim, weil ich gelesen hab/oder/da ich doch gelesen hab.

§ 7. *Cùm (quando significat tempus:) jungitur Indicativi Præsenti & Perfecto: item Subjunctivi Imperfecto, Plusquamperfecto &, Futuro, ut:*

Cùm lego, Wann ich lese: Cùm legi, als ich gelesen hab/ cùm legerem, als ich lase/ cùm legissem, als ich gelesen hatte. cùm legero, wann ich werde lesen / oder gelesen haben.

§ 8. *Copulativa Et, à viginti ad centum elegantius præponit numeralium nominum minus. ut:*

Abhinc duos & viginti *annos est mortuus. Cic.*

§ 9. *Ergò & Igitur, brevioribus conclusionibus accommodantur: Quare & Quamobrem longioribus.*

CAPUT IV.

DE RECTIONE ET PRIMO

De Rectione simplici seu Perpetua.

[Syntaxin Intransitivam sequitur Transitiva seu Rectio, quando vox certum & specialem flexionis finem adsciscit, ubi ea qua regit, Regens seu rector, qua regitur, Recta appellatur.]

§ *Rectio est quinq; generum: 1. Simplex seu perpetua. 2. Promiscua. 3. Geminata. 4. Subintellecta. 5. Infinitorum.*

[Si quis captat dichotomias, potest dividere in Rectionem Finitorum & Infinitorum. Finitorum rectio, in qua vox recta flexionis est finita. Eaq; vel expressa est, in qua vox tàm regens quàm recta expresse ponitur (videlicet 1. Simplex seu perpetua 2. Multiplex, quando vox plures casus recipere apta est, nempe tùm Promiscua, tùm Geminata) Vel subintellecta, in qua regens potest subintelligi.

Simplex rectio est, quando vox constanter unicum tantùm flexionis finem recipit, quo sensu etiam perpetua dici potest. De *hac sequentes regulæ.]*

Rectio

Rectio Nominativi.

REGULA I.

* Verba substantiva præcedunt & sequuntur Nominativi, ut:

Unum est *Regi inexpugnabile* munimentum, amor *patriæ. Seneca Senectus ipsa est morbus. Cic. Ira est furor brevis, Horat.*

[*Verba substantiva; Sum, Fio, Forem, Existo, suprà definimus, lib.*1.*c.*16.]

Appendix.

¶ 1. *Huc pertinent & illa, in quibus infinitivus aut tota oratio infinitiva, pro nominativo ponitur, ut:*

Virtus est vitium fugere, *& sapientia prima, stultitiâ* caruisse. *Horat.*

[*Sic adverbium est aliquando vice nominativi. Eorum partim in pompa, partim in acie illustres fuerunt. Cic.*]

¶ 2. *Et quæ per Ellipsin dicuntur, ut:*

Rari quippe boni, (scilicet sunt.) Iuvenal. Triste lupus stabulis, (scilicet est.) Virg. Odium *&* metus *pessimi ad diuturnitatem* custodes *(scilicet sunt.) Cic.* [*Vide infra c.*10.] *p* 350.

Observatio.

† 1. Participia substantivi & nuncupativi Verbi, in Vocativo posita, nihilominus Nominativum recipiunt, ut:

Salve primus *omnium parens patriæ* appellate, *Plin.*

† 2. Observentur etiam nominandi formulæ, vel in nominativo, vel genitivo, vel dativo, ut:

Hecyra nomen est huic fabulæ. Terent. Nomen Mercurii est mihi Plaut. Scipio, cui Africano cognomen fuit. Liv. qua forma eruditi maximè delectantur.

[*Vetus est, quod Liv. dixit, cui Ascanium parentes dixerunt nomen. Hac nonnulli ad Enallagen referunt, Vide suprà cap. 28. lib. 1.*]

REGULA II.

* Etiam nuncupandi Verba passiva, & quæ similem vim habent, utrinque Nominativum adsciscunt, ut:

Themistocles *cùm in epulis recusasset lyram*, habitus est indoctior. *Cic. Plerunq; canes qui vehementiùs latrant, & hostes qui multum hostilitatis denunciant*, habentur viliores. *Warsevic.*

[*Nuncupandi verba sunt, Nominor, Dicor, Vocor, Nuncupor, Appellor, Inscribor, Salutor, Habeor, Videor, Feror, Perhibeor. Sic audio (pro laudor,) Græco more, ut:* Tu rectè vivis, si curas esse quod audis. *Horat. Item* Evado, *Appareo.*]

REGULA III.

* Cætera quoque verba sequitur aliquando Nominativus, qui statum aut gestum aliquem rei significet, ut:

Dormit securus, Bibit jejunus. It cubitum incœnatus. Nemo ferè saltat sobrius, *nisi fortè insanit. Cicer.* Jacet *medio* resupinus *in antro, (scilicet Polyphemus.) Virg. Fortunam reverenter habe, quicunq; repente* Dives *ab exili* progredière *loco. Claud.*

Observatio.

† Huc pertinent & illa, in quibus Nomina pro Adverbiis [*Græcorum more*] usurpantur, ut:

Nec minùs Æneas se matutinus agebat. *Virg. (id est, manè.) Lausus nocturnus obambulat, Virg. (pro noctu.)*

Rectio

Rectio Genitivi.

REGULA IV.

* Substantivum cum substantivo rei diversæ, genitivo casu jungitur: ut,

Mors ultima linea rerum. *Horat. Crescit* amor nummi, *quantum ipsa pecunia crescit, Iuvenal. Consuetudo sine veritate, est* vetustas erroris. *Cyprian. Omnium* rerum vicissitudo. *Terent.* Regis *ad* exemplum *totus componitur orbis. Non refert qua quis moriatur* imagine lethi: *Vnum iter ex æquo ducit ad astra pios.*

Appendix.

¶ 1. *Eadem ratio & Pronominum primitivorum est, quando absolutè pro substantivis usurpantur, ut:*

Lento gradu ad vindictam sui *divina procedit ira, tarditatemq;* supplicii gravitate *compensat. Val. Max.* Amore tui, illius odio. *Cic.*

[*N. 1. Affectuum nomina in hac Syntaxi plerumque passivè significant, ut*: Copia *placandæ sit modò parva* tui. *Ovid. Colligendi* sui causa *Cic.* Potestas *præsentis* tui. *Idem. 2. & adjectiva etiam more substantivorum recipiunt, cùm substantivis facultatem & causam significantibus junguntur, ut: Vehementer* tua sui memoria *delectatur. Cic. id est, qua tu ipsum prosequeris.*]

¶ 2. *Possessiva pronomina admittunt & genitivos numerorum cardinalium, universalium & particularium, participiorum, Vnius, Solius, Ipsius, &c ut:*

Noster duorum *eventus, Liv. Voluntati* vestræ omnium. *Cic.* Vestris paucorum *laudibus. Idem.* Mea unius *opera. Idem.* Meum solius *peccatum corrigi non potest. Liv.* De tuo ipsius *studio conjecturam ceperis. Cic.* Ex tuo ipsius

animo conjecturam fecero. Idem. Ad tuum descendentis *adventum, Esa.64.* Mea defunctæ *ossa, Ovid.* Mea *scripta* timentis *Hora. Neque ex vestra neq; ex* nostra præsentium *Cicer. Iudicium* tuum viri *eruditissimi. Plin.jun.* Tuum hominis *simplicis pectus. Cic.*

§ 3. *Sic Adjectiva neutro genere pro substantivis posita, substantivorum more genitivos adsciscunt, ut:*

Quantum *quisq; sua* nummorum *possidet arca*, Tantum *habet & fidei. Iuven.* Dimidium facti, *qui bene cœpit, habet. Virtus est* medium vitiorum *& utrinq; reductum. Horat. Probo viro* nihil mali, *improbo* nihil boni *contingere potest Plato. Vbi* plurimum calliditatis, *ibi* minimum felicitatis. *Warsevic.*

Sic & Pronomina.

Aliquid monstri *hæc alunt. Terent.* Id temporis. Id ætatis. Idem consilii. Istuc negotii. Eodem loci. *Cic Omne magnum exemplum habet* aliquid iniquitatis, *quod publicâ utilitate compensatur. Tacit.*

[*Vicissim adjectivum neutrum more substantivi sæpe regitur, ut, voluptas esca malorum, Cic.*]

§ 4. *Sic Instar genitivum etiam regit, ut:*

Terra ad universi cœli complexum quasi puncti instar *obtinet. Cic. Ad instar solis exornatus. Apul. Plato mihi unus instar est omnium, Cic.*

[*Instar verius nomen esse quàm adverbium, ostendit locus Virg. Æn.6. quantum instar in ipso? Vide suprà l.1.p.* 139]

REGULA V.

* Quæ partitionem significant aut collectionem, genitivos plurales adsciscunt, qui exponuntur per E, Ex, vel Inter, ut:

Nemo mortalium *omnibus horis sapit. Plin.* (*id est, à mortalibus.*) Nemo omnium *tam est immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio, Cic.*

† Parti-

† PARTITIVA & COLLECTIVA sunt: Alter, Alius, Solus, Nullus, Nemo, Pleriq; , Quis, Qui, Uter, Quotus, cum compositis.

† Quibus accensentur 1. NUMERALIA, cardinalia, & ordinalia, ut: Decimum quenque militum. Liv. Unus totius Græciæ facilè Doctissimus Plato. *Cic.* Quotus quisq; Philosophorum invenitur? Id.

2. PRONOMINA, ut: Animalium hæc *binis*, illa *quaternis pedibus incedunt*.

Appendix.

* Sic Comparativi & Superlativi partitivè accepti, genitivos adsciscunt plurales, vel collectivi nominis singulares, ut:

Belga Gallorum *omnium* fortissimi. *Cæs.* Optimus *ille* militiæ, *cui postremum est primumq; tueri inter bella fidem. Silius. Major juvenum. Horat.*

Observatio.

¶ I. *Comparativo utimur, cùm partitio fit inter duo: Superlativo, cùm inter plura, ut:*

Manuum agilior *est dextra.* Digitorum longissimus *est medius. Sic Vter de duobus interrogat, Quis ferè de pluribus.*

[*De duobus etiam, Livius & Hirtius* Quis *usurparunt: Duo celeberrimi duces, quis eorum prior vicisset. Inter duos fit contentio, quis prior pontem occupet. Et comparativus etiam legitur de pluribus, ut: Iuniores patrum, Liv. Majores Neronum. Horat. diligentiores Poëtarum. Plin. Apum adolescentiores. Idem. Graviores alitum. Idem. Fortiora animalium. Nihil omnium rerum pulchrius est mundo, Cic. Nisi hic malis genitivum (rerum) construere cum Nominativo (Nihil.) Fit hoc more Græco etiam in positivis usitato, de quo vide cap. 10.*

Sic

Sic cum ablativo de pluribus ejusdem generis, ut: Audentior cateris. Quintil. Lux formosior omnibus Kalendis. Mart]

¶ II. *In tali constructione si substantivum aliud praecedat, superlativus in Genere convenit potiùs cum substantivo, quàm cum plurali Genitivo, ut:*

Mors sit extrema malorum. Quintil. Villosissimus animalium lupus, Plin. Nemorumq; Iovis qua maxima fertur Esculus, Virg.

[*Sic vulgata translat. Proverb. 30. v. 30. Leo fortissimus bestiarum, sicut in Graeco σκύμνος ἰσχυρότερος κτηνῶν. Sic mavult loqui Verepaus, quàm. Leo fortissima bestiarum. Et sanè mollius aliquanto sonat, si superlativus postponatur; ut: Leo est bestiarum fortissima: Luna est planetarum infimus. Homo est animalium omnium perfectissimum. Ignis est elementorum supremum. Plinius quoque dixit. Modus omnium rerum utilissimus. Item: Est genus hominum, qui se omnium rerum primos esse volunt, Terent. Omnium non bipedum solùm, sed etiam quadrupedum impurissimus, Cic. In tempore veni, quod omnium rerum est primum, Terent. Tu pulcherrime rerum, Ovid. Quid agis dulcissime rerum? Horat. Hordeũ frugum omnium mollissimum, Plin. lib. 18. cap. 7. Luna ultima est divinorum, Macrob. in somn. Scip.*]

¶ III. *Expositio illa, quae per Praepositionem fit, interdum occurrit apud autores, ut:*

Ex plebe sed tiosissimum *quemq; habituri sumus consules. Liv.* Ante alios pulcherrimus *omnes Turnus. Virg.* Solus de superis *qui tua terga vides, Ovid.*

REGULA VI.

* Adjectiva quae curam, desiderium, notitiam, crimen, aut metum aliquem; aut contrà significant, genitivos adsciscunt.

Curae, Metus, & contrà.

Anxius gloriae *alterius, Liv. Et ruit in vetitum* damni securalibido. *Claud.*

Desi-

Desiderii, & contrà.

Natura hominum novitatis avida. *Plin. Scilicet est* cupidus studiorum *quisq; suorum, Tempus & assueta ponere in arte juvat. Ovid.*

Notitiæ, & contrà.

Conscia *mens* recti, *fama mendacia ridet, Ovid. Non* ignara mali *miseris succurrere disco, Virg.* Nescia *mens hominũ* fati sortisq; futuræ, *Virg. Vive* memor lethi *Pers.*

Criminis, & contrà.

Integer vitæ, scelerisq; purus. *Horat. Reus furti. Cic. Insons cædis, Liv. Factorum innocens, Tacit.*

[*Sic timidus procellæ. Horat. Trepidi rerum suarum. Liv. Securus amorum. Virg. Anxia furti, Ovid. Dubius animi. Virg. Ambiguus futuri, Tacit. Præsaga mali mens. Virg. Amens & maturus animi, Virg Falsus animi. Ter. Nimius animi. Liv. Cacus animi. Fab. Docilis modorum. Horat. Noxius conjurationis. Idem. Doctus literarum Græcarum, Cic.*]

† Obnoxius criminis, timoris, *Liv. quod tamen cum Dativo usitatius est.*

‡ Conscius, cùm ad personam refertur, Dativũ exigit, addito genitivo rei, ut:

Quænam summa boni? mens quæ sibi conscia recti. *Aus.* [*Aliàs cum dativo legitur: temeritati & mendacio conscios, Cic. Facinori mens conscia. Idem.*]

Appendix.

§ 1. *Sæpè etiam adjectiva ista capiunt gerundium genitivi casus, vel Verbum infinitivum, ut:*

Studiosus dicendi. Cic. Certus eundi. Virg. Cupidus videndi, Terent. Nescia *mens hominum fati sortisq; futuræ, Et* servare *modum rebus sublata secundis. Virg.*

[*Plaut. Mil. Studiosus cum Dativo usurpavit, studiosus nulla rei: quod referendum ad c. 5 reg. 1.*]

§ 2. *Multa etiam cum ablativo construuntur, vel cum præpositione, vel sine præpositione, ut:*

Reus

Reus de ambitu, de vi. Cic. Docti Græcis literis. Cicer. Iure peritus. Cic. Vsu peritus. Cas. Insons crimine cadis. Peritus ad respondendum. Cic. Docta ad malitiam. Terent. Eruditi ad assentationem. Cic.

Eruditus cum ablativo absque præpositione construitur.

REGVLA VII.

* Genitivos adsciscunt & verbalia pleraque, & participialia, (*id est, participia, cùm in nomina degenerant,*) *ut:*

Tempus edax rerum. *Ovid. Esto* vitiorum fugax. *Senec. Patiens inediæ. Sallust.*

[*Sic, audax ingenii. Stat. Pertinax recti. Tac. Fugitans litium. Terent. Sitiens famæ. Sil. Lapsus animi, Plaut. Petens mentis, Sen. de hoc vide cap. 5. reg. 1. Victus animi. Virg. In quibus omnibus usus potissimùm est spectandus.*]

REGVLA VIII.

* Adverbiis loci & temporis genitivi familiariter adduntur: ut.

Nusquam gentium. Ter. Vbicunq; terrarum. Cicer. Longè gentium, id. Interea loci. Terent. Interea temporis, eò loci, eò temeritatis processerunt, eò insolentiæ. Plin. eò discordiæ, huc dementiæ, tum temporis, Quoad ejus fieri potest. Cic.

† *Observat.* Sic ergò (pro causa) genitivum regit.

Illius ergò *venimus. Virg.* Virtutis ergo *civitate donata, Sisenna.*

[*Et tum postponitur semper; Sic etiam cum Gerundiis in Di, ut, auscultandi ergo, &c.*]

Rectio Dativi.

REGVLA IX.

* Dativos adsciscunt, quæ commodum, facilitatem

cilitatem, similitudinem, amicitiam, affinitatem, aut contrà significant.

Commodum:

Vt: Non bonus *est somnus* homini *à prandio. Plaut. Cultura agrorum universo* generi humano salutaris *est. Cicer.*

Facilitatem:

Quod verum simplexq; est, id est naturæ *hominis* aptissimum. *Cic. Si* tibi grave *non fuerit. Cic.*

Similitudinem:

Vita hominis similis *est* ferro, *quod si exerceas, atteritur, si non exerceas, rubigo consumit Sallust.*

Amicitiam:

Calx frumento *est* inimicissima. *Plin. Patria* hominibus *non minùs* chara *esse debet, quàm uxor & liberi. Sulpit.* Dulce *bellum* inexpertis. *Veget.*

Affinitatem:

Flamma fumo proxima. *Plaut.* Proditioni affine *est, si quis in divinis interrogatus non expeditè & apertè piis respondeat. Basil. Falsa* veris finitima *sunt Cicer.* Proximus *egomet* mihi *Terent. Et mala sunt* vicina bonis. *Ovid. Omni* ætati *mors* communis *est. Cic.*

Appendix.

¶ 1. *Huc pertinent verbalia in* Bilis, *& in* Dus *participialia passivè accepta, ut:*

Mors nulli exorabilis. *Liv. Semel* omnibus *est* calcanda *via lethi. Horat.*

[*Oriundus usitatè regit ablativum & interdum adjectam habet præpositionem: ut, Cumis oriundi, Liv. Oriundi à Syracusis, Id. Ab ingenuis oriundus, Cic.*]

¶ 2. *Ita Gerundia in* Dum, *cùm necessitatem significant; vel dativum juxta se habent, vel casum omninò nullum.*

Tui

Tuo tibi *judicio* utendum. *Cic. Vide infrà c. 10.*

§ 3. *Et quæ ex nomine* VIA *componuntur, Invius, Pervius, Prævius, Obvius, ut:*

Invia virtuti *nulla est via, Ovid.*

EXCEPTIONES.

§ *Exceptio I. Præter Dativum, etiam Genitivo construuntur sequentia versibus comprehensa:*

Æqualis, proprius, similis, par, finitimusq;,
Sic etiam affinis, germanus, itemq; propinquus,
Vicinus, socius, fidus, cognatus, amicus,
Et derivata & quæ componuntur ab illis.

PROPRIUS: ut populi *Romani* propria *est libertas. Cic.*

SIMILIS: *Majorum similis. Cic. Domini similis. Terent.*

CONSIMILIS: *Causa* consimili earum, *quæ in forum deferuntur. Cic.*

PAR: *Quem metuis*, par hujus *erat. Lucan.* Cujus *paucos* pares *hæc civitas tulit. Cic.*

FINITIMUS: *Chalybes* fluvii *hujus* finitimi *sunt. Iustin.*

AFFINIS: *Affinis suspicionis. Cic.*

GERMANUS: Germanos *se putant esse* Thucydidis. *Cicer.*

VICINUS: *Vicinus amborum. Cic.*

SOCIUS: *Socius consilii. Cic. Socius fortunarum. Idem.*

FIDUS *Regina* tui fidissima. *Virg.* [*Sed hoc rarum est, & fortasse ad regulam 6. hujus cap. commodius refertur.*]

AMICUS: Amicus *& pernecessarius* alicuius. *Cic.*

[*Ex his quædam substantivè accipiuntur, ut nomina cognationis, item vicinus, socius, &c.*]

§ *Except. II. Præter Dativum etiam accusativum cum præpositione régunt, sequentibus versibus inclusa:*

Natus, idoneus, atque accommodus, aptus, ineptus,

Utilis,

Utilis, ac habilis, quæq; his contraria cernes.

NATUS ad *omnia summa Pompejus. Cic.*

IDONEUS: *Instruar consiliis* idoneis ad *nostrum negotium. Cic.*

INUTILIS ad *pudicitiam, & ad tutandam rem, Terent.*

Sic, NECESSARIUS *huic rei, & ad hanc rem.*

PROCLIVIS, ut: *Ingenium est omnium hominum à labore* proclive ad *libidinem. Terent.*

¶ *Except.* III. COMMUNIS, *præter dativum regit genitivum, & ablativum accedente præpositione Cum, ut:*

Commune animantium *omnium est. Cicer. Civitas* communis Deorum *atq; hominum. Cic.* Cum patrono *Epicureo* mihi *omnia* communia *sunt. Idem. Hoc* mihi est commune cum cæteris. *Idem. Athena nihil habent* commune cum Hierosolymis. *Hieron.*

¶ *Except.* IV. IDEM, *præter dativum, regit etiam ablativum accedente Præpositione Cum, ut:*

Facit idem huic, & cum hoc.

N. *Construitur etiam cum Conjunctionibus Ac, Atq;, item relativo Qui: ut;*

Idem est ac semper fuit. Idem qui semper fuit.

¶ *Except. V. Diversitatis nomina ablativum cum Præpositione A vel AB adsciscunt.*

Alius ab hoc, diversus ab illo. Quantum mutatus ab *illo, Virgil.*

[*Horatius tamen dixit: Alius sapiente bonoq;, libr.* 1. *Epist.* 17.]

¶ *Except. VI.* ALIENUS, *præter dativum, cum genitivo etiam, & ablativo, sed frequentius cum Præpositione construitur, ut:*

Quis alienum putet ejus dignitatis, quam mihi quisq; tribuit? Cic. Alienum institutis meis, Idem. Homo alienus à

literis. Idem. Amore nostro non sum arbitratus alienum. Idem. Alienum dignitate imperii. Idem.

¶ *Except. VII.* PROPIOR *&* PROXIMUS *præter Dativum, quandoque accusativum admittunt, ut:*

Propior montem. Sallust. Qui te proximus est. Plaut. Laconicus ager proximus fines *Megapolitarum est. Liv.* proximus Pompejum *sedebam. Cic.*

Sic & Propius, proximè, ut: Propius Albam, Liv. Propius hostem. Id Proximè hostem, Cic. Attic. Proximè Hispaniam Mauri sunt, Sallust.

[*Proximus à rege, Secundus à rege. &c. pertinent ad Reg.* 25.]

¶ *Except. VIII. Æqualis, Communis, Similis, Par, &c. etiam cum Inter construuntur:*

Virtutes ipsa inter se æquales *& pares sunt. Cic.*

[*Ellipsin: oneri ferundo, esse solvendo esse, scilicet idoneum vel sufficientem, vide infrà cap.* 10.]

REGULA X.

* Quodlibet verbum admittit dativum personæ aut rei, cui qualicunq; modo aliquid acquiritur vel adimitur, ut:

Dat *veniam* corvis, *vexat censura columbas, Iuvenal.* Mihi *istic nec* seritur *nec* metitur. *Plaut.* Parentibus & præceptoribus *non potest* reddi *æquivalens. Arist. Consulere patriæ, parcere afflictis, &c. Cuivis* dolori *remedium* est *oblivio. Publ. Si quis* aleri maledicit, *petulans videtur. Cicer.*

Observationes.

¶ *Hujus generis sunt I. Verba dandi & adimendi committendi, imperandi, obsequendi, concedendi, adversandi, irascendi, narrandi, promittendi, convenientiæ & repugnantiæ, favoris & auxilii, commodi & incommodi.* Obe-

Obediendum & parendum est voluntati Dei. Cic. *Studere optimis disciplinis, & dare operam literis.* Cic. Principiis obsta, *serò medicina paratur. Cum mala per longas invaluere moras.* Ovid. *Nemo* credit, *nisi* ei *quem fidum putat.* Cic.

¶ *Excipe cum accusativo jungenda; Iuvo cum compositis, Levo, Iubeo.*

¶ II. *Verba Impersonalia: Accidit, Contingit. Expedit, Convenit, Evenit, Sufficit, Restat, Liquet, Præstat, Constat, Vacat, Superest, Dolet, Libet, Licet, ut:*

Non cuivis homini contingit *adire Corinthum.* Horat.

[*Addunt & comparativa verba, item ea quæ cum præpositionibus, ante, sub, in, post, præ, de, re, super, inter, ad, ob, con, componuntur, sed regula fallit. Vide cap. 6.*] p: 330.

REGVLA XI.

* Interjectio VÆ soli dativo tribuitur, ut:

Væ mihi misero. Terent.

[*Vsurpatur tamen nonnunquam etiam in Accusativo. Væ me, & Heu me. Sed Scaliger autumat id usu potius quàm ratione fieri, l. 10. de c.c.l.l. c. 162. Dativum figuratè ascitum, ut, It clamor cælo, (pro ad cælum) vide infrà c. 10.*] p: 355.

Rectio Accusativi.

REGVLA XII.

* Adjectiva verba accusativos adsciscunt; ut:

Studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, *adversis perfugium ac* solatium

præbent. *Cic.* *Cui quod liceat, sed quod fecisse decebit; Occurrat*, mentemq; domet *respectus honesti. Claud.*

Observationes.

*I. Adsciscunt & Neutra quædam accusativos, sed cognatæ significationis, ut:

Dormit somnum Epimenideam. Prov. Discite justitiam *moniti, & non temnere divos. Virg. Verbum audimus, motum sentimus, modum nescimus, præsentiam credimus. Specul. de sacrament.*

† In quibus tamen sæpe accusativus in ablativum vertitur, ut:

Morte obiit, (pro mortem.) Rectâ ire viâ, (pro viam.)

*II. Ita & Deponentia activæ significationis, accusativum regunt, ut:

Conqueri fortunam *adversam, non* lamentari *decet. Cic. crescentem* sequitur *cura* pecuniam. *Horat. Gravissimè lædunt amici, qui* expiscantur arcana. *Cic.*

* III. Observandum inprimis, non omnium accusativos promiscuè omnibus activis subjici posse, sed habendam esse rationem φράσεως, ut:

Facio verba, *rectum est*: Habeo verba, *non rectum. Contrà*: Habeo orationem *rectè dicitur*: Facio orationem, *non rectè.*

[*Quæ formulæ ex Hadriano Cardinali colligendæ sunt, propriè enim ad Grammaticam non pertinent.*

Observat Verepæus, esse quædam activa, quæ tamen non asciscant Accusativos, ut, Noceo, Pugno, Dimico, Insidior, Servio, Malefacio, Adversor, &c. Quarum nonnulla pertinent ad reg. 9. hujus cap. Quædam etiam Neutra potiùs sunt, quàm Activa.]

REGULA XIII.

* Accusativus proprius casus est infinitivorum,

rum, quos præcedit perinde ut nominativus Verbum finitum, ut:

Metiri se quenq. *suo modulo ac pede verum est, Horat. Flagitium est, te aliis consilium* dare, *foris sapere, tibi* te *non* posse *auxiliari. Terent. Malo mihi* invidere inimicos, *quàm me inimicis, namq; invidere alii Benè esse, miserum est, qui invident, egent quibus invidetur, rem habent. Plaut.*

Observatio.

¶ *Exponitur accusativus per nominativum, mutato Verbi modo, & adjectâ particulâ Quòd, vel Ut:*

Ajunt probos adolescentes depravari consuetudine malorum, (id est, ajunt, quòd probi adolescentes depraventur,) &c.

REGULA XIV.

* Casus sequens infinitivum Esse, & quæ similis constructionis sunt, rectè convenit cum casu præcedente, ut:

Exeat aulâ qui *volet* esse pius. *Lucan.* Nobis *non licet* esse *tam* disertis. *Mart. Maximo* tibi *& civi & duci* evadere *contingit, Valer. Max. Omnes* fontes esse gelidiores *æstate quàm hyeme, quem fallit? Plin. Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,* Quique *dolet, quoties cogitur* esse ferox. *Ovid.*

[*Similis constructionis sunt Verba nuncupandi, gestuum, status, & substantiva reliqua: ut Parmenonem incedere tristem video. Terent.*]

Observationes.

¶ *1. Cùm infinitivum Esse, &c. præcedit dativus, rectè sequitur interdum etiam accusativus, ut:*

Civi *Romano licet esse* Gaditanum. *Cic. An* huic *esse* procuratorem *liceat? Quintil.* Quibus *jam licet*

esse fortunatissimos. *Cæsar. Expedit* vobis *esse* bonas. *Terent.*

¶ 2. *Cùm verò infinitivo Esse præponitur Accusativus, accusativum quoque semper sequi necesse est, ut:*

Cupio me *esse* clementem, *Cic.*

¶ *Possunt igitur variè hæc Verba construi, ut:*

Expedit nobis esse probis; &, expedit nobis esse probos: &, expedit nos esse probos. Sic: cupio esse clemens; &, cupio, me esse clementem.

Exceptio.

¶ *Fallit tamen regula, quando Verbum substantivum finitum cum obliquis construitur, ut:*

Scio te esse acri ingenio. Gaudeo rem tibi fuisse cordi. Sic Cicero: Iam me totum scis esse Pompeji.

[*Dicitur enim; sum acri ingenio, sum cordi, sum Pompeji. Ita verbum Videor, duos nominativos requirit, quamvis infinitivum dativus præcedat, ut; Ipsus sibi esse injurius videatur. Terent. Vel in tertia persona quanquam duriùs: Ipsi videatur, se injurium esse.*

De Antiptosi: Tutum putavit jam bonus esse socer: Vide cap.10. enallagen.]

REGULA XV.

* Præpositiones accusativum regunt triginta, his versibus inclusæ:

Ad, Penes, Adversus, Cis, Citra Circiter, Extra,
Erga, Apud, Ante, Secus, Trans, Supra, Versus, & Intra,
Ultra, Post, Præter, Propter, Prope, Pone, Secundùm,
Per, Circum, Circa, Contra Juxta, Inter, Ob, Infra.

ut: *Sera nunquam est* ad *bonos* mores *via. Sen. Qui bibit ingrato fœdatum sulphure Bacchum, Præparat* ad *Stygii se Phlegthontis* aquas. *Pietas est justitia* adversus Deû. *Cic.*

[*Vide*

[*Vide & suprà lib. 1. cap. 25.* p. 255.

REGULA XVI.

*Construuntur & cum accusativo composita quædam vi præpositionis, qua componuntur, ut:

Prætervecti *sumus* scopulos. *Virg. Trajecit copias Rhenum, Cæs.*

Observatio.

¶ *Præpositio tamen sæpe repetitur, ut: Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.*

REGULA XVII.

* Eheu cum accusativo ferè invenitur.

Eheu conditionem hujus temporis. Cic. Aliàs absolutè usurpatur.

Rectio Vocativi.

REGULA XVIII.

* Adverbia vocandi cum vocativo junguntur, ut:

O Melibœe, *Deus nobis hæc otia fecit. Virg.*

REGULA XIX.

* Interjectiones Vah & Ohe recipiunt vocativum, ut:

Vah homo impudens. Plaut. Ohe jam satis est, ohe libelle, *Mart.*

Rectio Ablativi.

REGULA XX.

* Comparativi comparatè accepti adsciscunt Ablativum, qui exponitur per Quàm, Ac vel Atq;, ut:

Vilius *argentum est* auro, virtutibus *aurum. Horat.* Amicior *mihi nullus vivit* atq; is. *Plaut. Supervacuus foret in studiis longior labor, si nihil liceret* melius *inveniri* præteritis, *Quintil.*

[*Comparativi etiam alios casus positivorum suorum, item genitivos regunt, sed non in significatione comparativa: ut suprà videre est cap. 4. reg. 5. & cap. 9. Reg. 3.*

Observatio.

† 1. Comparativus eleganter recipit hos ablativos, Solito, Æquo, Justo, Dicto, Spe, Opinione, ut: Tristior solito, dicto citiùs. &c.

† 2. Comparativis eleganter utimur cum ablativo in neutro genere, ut:

Nihil sapientia pulcrius, *nihil* virtute amabilius. *Cic.*

REGULA XXI.

*Dignus & Indignus simpliciter ablativos adsciscunt, ut:

Dignum laude *virum Musa vetat mori. Horat. Quod opera in rebus* cognitione dignis *ponitur, id jure laudatur, Cic. Hominis* præstantiâ indigna *est voluptas, Cic.*

Observatio.

* Sic participia adjectiva, Fretus, Confectus, ablativos tantùm recipiunt, ut:

Confectus senio. Fretus clementia Principis.

[*Per Græcismum cum genitivo etiam Dignus & Indignus usurpantur, ut: Suscipe cogitationem dignissimam tuæ virtutis. Cic. Curia consilii quæ nunc dignissima tanti. Ovid. Descendam magnorum haud unquam indignus avorum. Virg. Quæ temerè imitanda non sunt.*] *Na.*

REGULA XXII.

* Ablativos adsciscunt & hæc deponentia: Utor, Fruor, Fungor, Potior, & Vescor, ut:

Mente

Mente rectè uti non possumus, multo cibo & potu repleti. *Cic. Posse* Deo *pro patre* frui *summa una bonorum est.*

Observationes.

* I. His adde, Abutor, Nitor, Dignor, Dedignor, Vivo, Victito, Gaudeo, &c.

Virtute *decet, non* sanguine niti. *Claud.* Gaudet *patientia* duris *Lucan. &c.*

¶ 2. *Potior, cùm vincere atq; imperare significat, etiam genitivo construitur, ut:* Rerum potiri, Cic.

[*Vtor, abutor, fruor, fungor, potior, vescor, veteres sæpè accusativo junxerunt, ut: Mea bona utantur, Terent. operam abutitur. Idem. Hanc fruitur rem Plaut. Illorum officia fungere. Idem. Neq; boni neque liberalis functus est officium viri. Teren. Patria potitur commoda. Idem. Potitur gaudia. Idem. Potiri Capuam. Liv. Potiri mortem, Gell. Vincamus odium pacemq; potiamur. Cic. Doleam, si gentem, aliquam urbem nostram potituram putem. Idem. Fortiter malum qui patitur, idem pòst potitur bonum. Plaut. Ova vescentes. Plin. Sed hodiè sunt antiquata.*]

REGVLA XXIII.

* Hæc adverbia, Antè, Secùs, Pòst, Aliter, postponuntur sæpe ablativis, ut:

Multò pòst tempore venit. Paucis antè diebus. Paulo aliter, Paulo secus.

REGVLA XXIV.

* Præpositiones, quæ ablativum regunt, sunt 13. A, Ab, Abs, Absque, Cum, Coram, De, E, Ex, Pro, Præ, Palam, Sine.

[*Exempla ubiq; occurrunt, Vide & lib. 1. c. 25.*]

Observationes.

* I. Præpositiones, A, Ab, Abs, activè & causam efficientem: E & Ex materiam: De, passivè & objectum vel privationem, denotant.



* II. Passivorum proprius casus est ablativus, cum præpositione A, vel, Ab, ut:

Laudatur ab his, culpatur ab illis. Horat.

* *Appendix.* 1. Idem de Neutropassivis, & Neutris ἀυτοπαθητικοῖς judicium est, ut:

Anima quæ in pulmones ducitur, calescit ab ipso *spiritu. Cic. Fabricius respondet, se à cive spoliari malle, quàm* ab hoste venire, *id est, venundari, Quint.*

¶ *Appendix 2. Dativus passivis sæpe apponitur loco ablativi, ut:*

Bono probari *malo, quàm multis malis, Auson.*

[Sic visus ulli, pro ab ullo: Visus mihi, pro à me, Græcismus est Poëtis frequentior. vide cap. 10.] *p: 354.*

* III. Numeralia quæ ordinis vocantur, ablativum adsciscunt, sed cum præpositione, A' vel Ab, ut:

Proximus à Iove, Secundus à rege.

* IV. Præpositio A' & E consonantibus tantùm: ABS, literis q, r, t: AB vocalibus: EX quibusvis literis indifferenter, præponuntur, ut: *à te, è re, abs quivis, abs re, abs te, ab initio, ex animo, ex more.*

[Ab præponitur etiam Consonãtibus I, L, R, ut: Ab Iove. Ab jentaculo. Plaut. Ab latere, Liv: Ab labore, Terent. Ab Roma, Cic. Ab re, Cic. Liv. & Plaut. Ab radice, Virg. Ab reo dicere, Cic.

Item conso N, S, T, ut: Ab Sole orto, Liv. Ab seculo, Plaut. Ab Sylla & Pompejo Coss. id est, à Consulatu Syllæ, &c. paulo alia significatione, Cic. Ab transeunt, Plaut. Ab trapezita, Plaut. &c. Quæ sine gravi caussà imitanda non sunt.]

CA-

CAPUT V.

DE RECTIONE PROMISCUA.

[*Secundò: Promiscua rectio est, quando vox ex pluribus casibus indifferenter modò hunc modò illum recipit. Quoniam regulæ syntaxeos promiscuæ, pauciores sunt, voluimus in iis ordinem partium orationis tantùm observare, non casuum.*]

REGULA I.

* Quæ copiam aut inopiam significant, Verba & Nomina, modò genitivum, modò ablativum recipiunt, ut:

Dives pecoris. Virgil. Dives agris, dives positis in fœnore nummis. Horat. Eget æris. Idem. Malo virum qui pecuniâ egeat; *quàm pecuniam quæ viro. Cic. Eget consilij. Idem.*

¶ Observatio. 1. *Quædam ex his alterutrum casum frequentiùs recipiunt, præsertim ablativum Verba, ut & Nomina pleraq;, ut:*

Amara est veritas, & qui eam prædicant, implentur amaritudine. *Hier. Nulla dies* mœrore caret. *Seneca. Laus nata à proprio sanguine* cassa fide.

[*Exempla plura apponemus.* Nominum: Plenus. *Stultorum plena sunt omnia Cic. Res est solliciti plena timoris amor. Ovid. Plena thymo. Virg. Quintilianus Ciceronem in genitiva sæpius usurpasse dicit.* Abundans. *Abundans lactis, Virg. Abundãs audacia. Cic.* Fœcundus. *Fœcunda virorum. Lucan. Sil. Tacit. Amor melle & felle fœcundissimus, Plaut.* Onustus. *Onustum auri. Plaut. Onusti cibo. Cic. Sic Horat.* Fertilis. *Frugum fertilissima Plin.* Satur. *Rerum omnium satur. Terent. Succo saturos. Ovid.* Refertus. *Referto prædonum mari. Gell. Refertis omni officio. Cic.* Macte, *Macte animi. Mart, Macte virtutis, Sil. Macte virtute. Cic. & Virgil.* Inanis. *Inanissima prudentia. Cic. Sic Ovid. Pers. Plaut.* Inanis ra

*anus re utili.Cic.*Vacuus.*Vacuum laboris. Terent. Sic Salust. Tacit. Valer. Ovid. Horat. Plaut. Curis vacui. Cic.* Inops. *Inops humanitatis. Cic. Sic Ovid. Inops verbis. Cic.* Expers. *Expers eruditionis. Cic. Sic Ovid. Plaut. Apul. Expertes fama & fortuna. Sal.* Orbus. *Orbus luminis. Ovid. Sic Plaut. Orba parente. Ovid. Sic Cic. & Stat.* Immunis. *Immunis mali, Liv. Sic Ovid. Immunis malis. Plin.* Potens. *Potens armis. Potens avis, atavisq; Virg. Potens imperij, Tac. Potens regni, Liv.* Nudus. *Nudus opum, Sil. & Ovid. Nuda præsidio urbs. Cic. Sic Silius.* Viduus. *Viduus teli. Sil. Viduus pecudibus: Colum. Viduus pharetra. Hor.* Truncus. *Trunca pedum. Virg. Truncus pedibus. Ovid.* Captus, *Captus animi. Tacit. Captus membris, Cic. Capti oculis. Virg.* Cassus. *Cassa palearū. Solin. Cassum lumine. Virg.* Extorris. *Extorrem regni. Sil. Extorrem urbe. Liv. Extorrem regno patriaq; Sil.* Contentus. *Contentus paucis, usitatè. Horat. Contentus libertatis, Liv.* Liber. *Liber laborum, Horat. Libera legis. Terent. Liber legibus, usitatè.*

Verborum. Indigeo. *Hoc bellum indiget celeritatis. Cic. Quasi tu hujus indigeas patris. Terent. Te cohortatione non puto indigere. Cic.* Careo. *Præterquam quòd tui carendum erat. Terent. Morte carent animæ. Ovid. Quod caret alternâ requie, durabile non est. Idem. Quod usitatius est.* Compleo. *Qui me complevit flagitij. Cic. Completus mercatorum carcer. Idem. Erroris ego illos & dementiæ complebo. Plaut. utrumque armato milite complent. Virg. Complere aliquem florib. & coronis. Cic.* Impleo. *Implentur veteris Bacchi, pinguis q; ferinæ. Virg. Non potes ollam denariorum implere, Cic. Adolescentem suæ temeritatis implet. Liv. Frustis esculentis totum tribunal implevit. Cic. quod usitatius.* Scateo. *Xanthippe irarum & molestiarum scatebat. Gell. Scatere vermibus.* Saturo, *Postquam dextra fuit cædis saturata, Virg. Saturnus appellatur, quòd saturetur annis. Cic.* Obsaturo. *Næ tu propediem istius obsaturabere, Terent.* Abundo. *Quarum abundemus rerum. Lucil. Abundare præceptis Philosophiæ. Cic.*]

¶ 2.

§ 2. *Quædam tantùm ablativum recipiunt, ut:* *Præditus, Turgidus, Gravis, Potens, & verba cætera suprà in scholio omissa, ut:*

Vacare culpâ, *magnum est solatium, Cic. Adolescens rectissimis studiis atque optimis artibus præditus, Idem.*

§ *Quædam tantùm genitivum, ut: Compos, Impos.* [*Sui prodigus animi. Horat. Largus opum. Virg. Benignus vini somniq́. Horat. Fertilis frugum. Plin.*]

§ 3. *Quædam etiam cum præpositione junguntur, ut:*

Vacuus à periculo. Tacit. Firmus ab equitatu, Cic. Felicior ab omni laude, Cic. Liber à legibus, immunis à bello. Purus à scelere, inops ab amicis. Cic. Instructus à Commeatu, Paratus ab exercitu, Cal. Ciceroni.

* 4. Adverbia copiæ & inopiæ, tantùm genitivum regunt, ut:

Satis loquentiæ, sapientiæ parùm. Sallust. Potentiæ & gloriæ abundè. Suet. Neque multò secus in his virium. Tacit. (pro: minùs virium.)


REGULA II.

* Genitivum vel Ablativum recipit substantivum partis aut proprietatis, cum adjectivo laudis & vituperii, ut:

1. Puer bonæ indolis. *Ingenui vultus puer ingenuiq́ pudoris. Iuven.*
2. Puer bona indole. *Homo antiqua virtute & fide. Terent.*
3. Puer bonus indole, *Ennius ingenio maximus, arte rudis. Ovid. Summo ingenio dicitur fuisse, Cic.*

[*Synecdochen: Puer bonus indolem, collecta tunicam, &c. vide infrà cap. 10. Videtur autem & in illis subesse ellipsis, summo ingenio dicitur fuisse, scilicet præditus, quo loquendi genere Gellius frequenter utitur. Vide & reg. 5. c. 7.*]

* Ob-



* *Observatio.* I. Huc referri possunt & illa, quę ablativo tantùm dicuntur:

Genere Andrius, natione Syrus, &c.

* *Observ.* II. Substantivo item Verbo subjicimus genitivum vel ablativum, cùm formam aut qualitatem alicujus describimus, ut:

Fallit enim vitium specie virtutis, & umbra, Cùm sit triste habitu, vultuque & veste *severum. Iuven. Ita plerique* ingenio sumus *omnes, nostri nosmet pœnitet. Terent.* Sit *amplissimi* corporis, cervice *validâ. Colum. Cicero* erat *tenuissimâ* valetudine. *Cæs.* Esse animo *vacuo, magno, Cic. ille* erat *honestâ* facie. *Terent.*

* *Observ.* III. Sæpè ablativo additur præpositio: ut,

Magna in mœstitia sum. Esse in eadem sententia, opinione, voluntate, infamia, apud Cic.

REGVLA III.

* Varia est constructio vocis Opus: sed 1: ablativum sæpiùs adsciscit, ut:

Vbi rerum testimonia adsunt, non opus *est* verbis, *Cicer. Vino vendibili non* opus *est suspensâ* hederâ. *Prov. Priusquam incipias* consulto, *ubi consulueris, maturè* facto opus *est, Sallust.*

¶ 2. *Interdum præcedit Nominativus, ut:*

Dux & autor *nobis* opus est. *Cic. Quæ curando vulneri* opus sunt, *curat. Liv. Opus sunt milites. Plaut.*

¶ 3. *Nonnunquam regit Genitivum, ut:*

Aliquantum temporis & magni laboris & multæ impensæ opus fuit. Planc. ad Cic. Hic erit artis opus. Ovid.

¶ 4: *Nonnunquam pro ablativo infinitivus subjicitur, ut:*

Peropus est, aliquid adversus hunc de illa loqui. Terent.

¶ 5. *Rarus est accusativus:*

Video

Video mihi opus esse viaticum. Cicer. Dices nummos mihi opus esse ad apparatum triumphi. Idem.

¶ Observatio. *Comici pro voce Opus utuntur Usus, ut:*

Mihi sic usus est, tibi ut opus est facto, face. Terent.

REGULA IV.

* Verba memoriæ & oblivionis promiscuè genitivum adsciscunt vel accusativum, ut:

Ipse jubet mortis te meminisse *Deus. Mart. Deus dilectis suis iter asperum facit, ne dum delectantur in via,* obliviscantur eorum, *quæ sunt in patria. August. Discit enim citiùs* meminitq; *libentiùs* illud, *Quod quis deridet. Horat. Otia delectent* admoneantque mei. *Ovid.*

¶ Observ. 1. *Venit mihi in mentem ejus rei, & ea res, & de hac re, & cum infinitivo: Venit mihi in mentem vereri: omnia apud* Cicer. *extant.*

¶ 2. *Quædam cum ablativo & præpositione construuntur, ut:* Recordari *de novis hominibus.*

REGULA V.

* Verba accusandi, damnandi, absolvendi, genitivum adsciscunt, aut ablativum, ut:

Invenimus uxorem Ignatij, cùm vinum bibisset è dolio, fuisse interfectam à marito, eumq; cædis absolutum *à Romulo. Liv. Furti se astringit Plaut. Furti se alligat. Terent. Condemnare capitis. Cic. Condemnare capite. Suet. Scelere solutum periculo liberavit. Cicer. Regni suspicione absolvere. Liv. Insimulare avaritiæ. Terent.*

¶ Observ. *Interdum ablativo additur præpositio, ut:*

Accusare de negligentia epistolarum, Cicer. De prævaricatione absolutus, Cic. De alea condemnatus. Cic.

REGVLA VI.

* Æstimandi quoque verba adsciscunt genitivum, vel ablativum pleraque, sed genitivum frequentiùs, ut:

Pluris est *testis oculatus unus, quàm auriti decem. Plaut.* *Conscientia mihi* pluris est, *quàm hominis sermo. Cic.* *Respicio vos* nihili *meam gratiam* facere. *Plaut.*

¶ Observat. 1. *Genitivi sequentes: Magni, Majoris, Maximi, Nihili, Parvi, Minoris, Minimi, Pluris, Plurimi, Tanti, Tantidem, Quanti, Quantivis, Quanticunque, Nauci, Flocci, Æqui, Boni; Verbis æstimandi addi solent.*

Verba æstimandi sunt: Æstimo, Facio, Fio, Duco, Pendo, Puto, Habeo, Sum; & interdum Consulo; ut: æqui boniq; consulere.

¶ 2. *In ablativo hæc ferè occurrunt:*

Gloriosa sapientia non magno æstimanda *est. Cic. Virtus* magno æstimāda. *Idem. Tu ista* permagno æstimas. *Idem.* Magno *ubiq; precio virtus* æstimatur. *Valer. Max.* *Data* magno æstimas, *accepta* parvo. *Seneca. Et cum præpositione, ut: Pro nihilo habere, putare, ducere, Cic.*

REGVLA VI.

* Verba affectuum, quæ curam aut perturbationem animi significant, promiscuè genitivos & ablativos recipiunt, ut:

Discrucior animi. Terent. & discrucior animo. Animi sese angebat. Ter. Angor animo. Cicer. Pendeo animi. Cicer. Et pendeo animo. Idem. Territus animi. Liv. Erubescit fortuna. Curt.

¶ Observ. 1. *Sátago & Miseresco & Misereor, genitivum tantùm: Misereor, miseraris, accusativum tantùm adsciscunt.*

Is suarum rerum sátagit. Terent. Nil nostri miserere. Virg.

Troja

Trojæ semper miserate labores. Idem. Danai miserescite regis. Virgil.

[*Græcismum: Lætor laborum, justitiæné prius mirer, belli ve laborum; vide infrà cap.10. in Antiptosi. Vide etiam cap.7. Reg.5. Multa enim affectuum verba Ablativo caussæ & modi tantùm junguntur.*]

REGULA VIII.

Præpositio quoq; omissa vel per compositionem addita, facit interdum, ut Verbis casus rectè addatur, (*vel si mavis ita:*

Verba cum Præpositionibus composita sæpe retinent casum Præpositionis, vel ipsam etiam præpositionem repetunt,) ut:

Exire domo, Cic. Exire ex ærumnis & miseriis, Id. Abire magistratu, Id. Abeo ab illis, Plaut. Accesserat oras, Virg. Accedo ad pedissequas. Terent. Pedem portâ non extulit, Sueton. Pedem efferre ex ædibus, Plaut. Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim, Proverb.

[*Sunt autem hujus generis Verba præcipuè, quæ cum his præpositionibus componuntur: A, Ab, Ad, De, E, Ex, In, Per & Trans.*]

† Interdum alius casus quàm qui præpositioni congruit, adhibetur: ut,

Exire limen, Terent. Campum exire, Stat. Egredi leges, Tacit. Applicare castra flumini, Liv.

[*Ex hujusmodi Exemplis multa referri possunt ad Reg.3. cap.6.*]

REGULA IX.

* Verba quæ prohibendi significationem habent, item auferendi, abstinendi, aut distandi; Ablativos adsciscunt, sed aliâs cum præpositione, aliâs sine præpositione, ut: *Arceo, prohibeo, abstineo, cedo, exulo, absum.*

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent. *Virg. Instabiles animos* ludo prohibebis *inani. Idem Est virtus placitis* abstinuisse bonis. *Ovid. À trepido vix* abstinet *ira magistro. Luc.* Cedere de *dignitate, fortuna, &* cedere via, *domo, templis. Cic. Exulo domo, Ter. & exulat à conviviis, Macrob. abesse domo, abesse à domo.*

APPENDIX.

† 1. Abstineo etiam activè cum accusativo ponitur:

ut: Abstineo manum ab alienis pecuniis, Cic.

† 2. Abhorreo cum præpositione A; & rariùs cum accusativo, legitur:

Abhorret à literis. Savaq, abhorrebas *prisci* præcepta *parentis. Catull.*

† 3. Abdico.

Abdicare magistratum, Sall. Abdicare se magistratu. Liv. Abdicare aurum è vita hominum, Plin.

† 4. Interdico.

Interdixit eis igni & aqua. Cic. Interdixit histrionibus scenam. Suet.

† 5. Supersedeo cum ablativo, vel infinitivo, raro cum accusativo.

Supersedeas hoc labore itineris. Cic. Supersedens operam, quam dare rogati sunt, Gell. supersedit facere, Hieron.

† 6. Disto, Differo, Discordo, Dissentio, Distinguo, Segrego, Separo, Discedo, Descisco, Deficio, Recedo, Præpositionem requirunt.

Differt ab illo. Differunt inter se. Distinguuntur inter se, Plin. Distinguere verum à falso, Cic. Dissentit ab illo & cum illo.

† 7. Cætera gaudent præpositione A vel Ab.

[Vide & cap. 4. reg. 9.]

RE-

REGULA X.

* Pridie & Postridie genitivo vel accusativo junguntur, ut:

Pridie ejus diei, Cic. *Pridie compitalia. Idem. Pridie Nonas, Calendas. Idem, Postridie absolutionis. Idem, Postridie Nonarum & Nonas. Idem. Postridie ludos Apollinares. Idem.*

REGULA XI.

* En & Ecce aliâs nominativum, aliâs accusativum adsciscunt, ut:

En dextra fidesq;. Virg. En quatuor aras. Idem.

¶ *Observ. Interdum superadditur eleganter Dativus, ut:*

Ecce tibi, *ejusmodi sortitio. Cic.*

REGULA XII.

* Quatuor hæ præpositiones, In, Sub, Super, Subter, accusativo serviunt, cum motum significant; ablativo, cùm quietem.

Iesus latitia est in corde in mente *voluptas, Iesus* in ore *mel est, Iesus* in ore *melos, &c. Bernh. Sapè* sub *sordido* palliolo *latet sapientia. Cic. In regno voluptatis virtuti non est locus. Sallust.*

[*Quamvis interdum indifferenter usurpentur, sive motum sive quietem significent.*]

* Sic procul & clam, modò accusativum modò ablativum regunt; ut:

Procul muros, Liv. Procul urbem, Curt. Procul muro, Id. Procul dubio, Suet on. Procul vero, Columell. Procul patriâ, Cic. Clam uxorem, Plaut. Clam patrem, Plaut. & Terent. Clam viro, Plaut.

[*Sic & Derivatum clanculum, cum accusativo legitur, clanculum patres, Terent. Adelph. act. 1. Scen. 1.*]

VERSUS.

Sub, Super, In, Subter, Procul & Clam, sunt utriusque.

* Tenus (*quod semper postponitur,*) regit Ablativum: Et si nomen est plurale tantùm, aut si res geminæ significantur, Genitivum pluralem: ut,

Collo tenus, Ovid. Titulo tenus, Suet. Crurum tenus, Virg. Cumarum tenus, Cic.

[*Reperitur etiam cum accusativo, ut: Et Tanaim tenus immenso descendit ab Euro, Verr. Flacc. De Præpositione Usq; & Procul, vide l. 1. cap. 25.*

REGULA XIII.

*Interjectio ô, recipit nominativum, accusativum, & vocativum, ut:

O vir fortis atq; amicus, Terent. ô me perditum. Cic. ô Dave, Terent.

REGULA XIV.

* Proh & Ah modò accusativum, modò vocativum recipiunt, ut:

Proh Deûm atq; hominum fidem, Ter. Proh summe Iupiter. Plaut. Ah me miserum. Terent. Ah Corydon. Virg.

REGULA XV.

* Hem & Heu, dativum, accusativum & vocativum regunt.

Hem tibi. Terent. Hem astutias. Idem. Hem Pamphile. Idem. Heu misero mihi. Plaut. Heu me miserum. Cic. Heu pietas, heu prisca fides. Virg.

REGULA XVI.

* Hei sæpius dativum, interdum etiam vocativum exigit.

Hei misero mihi. Terent. Hei Megadore. Plaut.

AP-

APPENDIX.

† 1. Quædam verba cum præpositionibus Ante & Præ composita, modo dativum, modò accusativum recipiunt, eâdem significatione, addito ablativo rei excedentis, ut: *Anteo, antecedo, antecello, anteverto, Praeo, pracedo, pracurro, preverto vel præverter, prasto.* p: 354.

[*Anteeunt bestiis. Cic. Anteire cateros. Id. Antecedere omnibus, Cic. antecedit cateros. Idem. Antecellere omnibus. Cic. Antecellit cateros. Idem Antesteterunt omnibus. Idem. Antestabat cateros venustate. Gell. Huic anteverterim. Terent. Idipsum Fannius antevertit. Fann. Praire cateros honore. Boët. Vt vobis voce prairent. Cicer. Vestra fortuna meis pracedunt. Plaut. Mihi studio pracurritis. Cic Habes aliquid quod huic sermoni pravertendum putes? Idem. Pracurrere rationem. Idem. Homo homini prastat. Terent. Cateros virtute prastare. Liv. Prastat ingenio alius alium. Quint:*]

† 2. Quædam sub diversa significatione diversam etiam constructionem recipiunt, ut:

Animadvertere aliquid, id est, observare, & : Animadvertere in aliquem, id est, punire. Quorum congeriem vide apud Verep. l. 3. cap. 4.

CAPUT VI.

DE RECTIONE GEMINATA.

[*Tertiò: Geminata rectio est, quando vox plures rectionis fines simul recipit.*]

REGULA I.

*Verbo est habendi significatione, post nominativum cum dativo utimur, ut:

Est mihi *namq; domi* pater, *est injusta noverca. Virg. Tecum habita, & nôris, quàm* sit tibi *curta* supellex. *Perſ. An neſcis longas* regibus esse *manus. Ovid. Adde quòd* est senibus *rerum* prudentia *major. Idem.*

[*Infinitivus Esse accuſativum depoſcit præter dativum, ex reg.* 14. *cap* 4.]

† Observat. *Idem Verbum* Est, *proprietatem aut poſſeſſionem ſignificans, post nominativum, poſſeſſoris caſum in genitivo regit, ut:*

Hæc veſtis est patris: Hæc imago est Cæſaris: Hic enſis fuit Evandri.

REGULA II.

✱ Quibusdam Verbis gemini dativi adduntur, quorum alter personam, alter commodum aut incommodum significant, ut:

Quod aliis vitio vertis, *id tu* tibi *ne* laudi duxeris. *Varro. Magno* malo est hominibus *avaritia. Cic.* Sunt exitio Rebuspublicis *inteſtina diſſenſiones. Idem.* Studione *id* sibi habet, *an laudi fore putat? Terent.*

¶ Observ. 1. *Talia ſunt: Sum, (id est, adfero), Duco, Do, Verto, Tribuo, Habeo.*

¶ 2. *Præpoſitio ſæpè additur, ut:*

Esse noxa, & esse in noxa. Liv. Esse mora: & in mora, Cicer.

¶ 3. *Verbum Sum, indifferenter nominativum & dativum admittit, ut:*

Hoc est tibi remedio, &: Est tibi remedium.

[*Vide cap.* 10. *in Ellipſi participii ſimilem conſtructionem.*]

REGULA III.

✱ Verba dandi, addendi, reddendi, promittendi, admittendi, auferendi, nunciandi, præter dativū etiam accusativū frequēter adsciscunt, ut:

Dare

Dare alicui verba, referre alicui gratiam: condicere alicui diem committere alicui negotium. Eripere telum, non dare irato decet, Publ. Dies adimit ægritudinem hominibus. Cic.

¶ Observ. 1. *Sic verbum Habeo, Duco, Verto.*

Habere aliquem ludibrio. Habere aliquid probro. Et cum præpositione: Pro deridiculo & oblectamento sibi aliquem habere. Terent.

¶ 2. *Item verba Comparandi.*

Sic parvis componere magna *solebam. Virgil. Et per præpositionem: Conferre aliquid cum aliquo, rectè dicitur.*

REGULA IV.

* Certa quædam activa, rogandi, monendi, docendi, nuncupandi, faciendi; duos accusativos adsciscunt, unum personæ, alterum rei.

¶ *Comprehenduntur his versiculis:*

Flagito, Posco, Peto, Precor, Obsecro, Postulo, & Oro,
Exoroq;, Interrogo, Percontorq; Rogoq;.
Erigo, & Erudio, Doceo, Moneo, Admoneoq;.
Hortor, & Appello, Voco, Prædico, Núcupo, Dico,
Nomino, & Efficio, Facio, Do, Consulo, Reddo,
Et Celo, Præsto, Puto, Censeo, Judico, Duco,

ut: Nulla salus bello, pacem te poscimus *omnes. Virg.*

[*Illud te oro & hortor. Cic. Illi me frumentū flagitabant. Idem. Te hoc obsecrat. Idem. Illud te admoneo. Idem. Eam rem locus nos admonuit. Sallust. Ibo & consulam hanc rem amicos. Plaut. Assuefeci filium, ea ne me celet. Terent. Non quemvis hoc idem interroga̅ n. Cic. Adeò te depexum dabo. Plaut. Erudii te leges belli. Cic. Africam Græci Libyam appellavêre. Plin. Quem Minerva omnes artes edocuit. Cic.*]

¶ Observ. 1. *Ex his multa præter accusativum personæ, hos tantùm rei sequentes, admittunt*: Hoc, Illud, Istud, Id, Quod, Quid, Aliquid, Nihil, Multa, Unum.

¶ Observ. 2. *Multa etiam alia præter proprium accusativum illos admittunt, ut:*

Si quid *me voles. Terent. Non quòd me* aliquid *juvare possis. Cic. Me nihil interpono, Id.*

¶ Observat. 3. *Sæpè accusativus in ablativum transit, additâ Præpositione, ut:*

Celo te de hac re. Sic: de aliqua re monere aliquem. Cic.

Sic Postulo, Exigo, & Peto, frequentiùs cum præpositione construuntur, ut: *Peto à te veniam.*

¶ Observat. 4. *Verba monendi & rogandi accusativum rei retinent etiam in passiva forma, ut:*

Cato rogatus sententiam. Sallust. Nec ea quæ monemur, audimus. Cic. Doctus iter melius, Horat. Multa ex his admonemur, Cic. Dulces docta modos, Horat. Militiam edocta legiones, Liv. Docte sermones utriusq; linguæ, Horat.

¶ Observat. 5. *Huc pertinent & illa. Dedit filiam Pamphilo uxorem. Terent. Sumpsit te judicem. Cic. Adjungere se comitem; & similia.*

REGULA V.

* Mercandi quoq; Verba, & quæ ejus generis sunt, præter accusativum rei, ablativum precii adsciscunt, ut:

Ego spem precio *non* emo, *Terent.*

¶ Observ. I. *Verba mercandi sunt: Emo, Liceor, Liceo, Licitor, Constat, Addico, Comparo, Loco, Conduco, Redimo, Vendo, Venundo, Valeo, &c.*

¶ Observ. II. *Constat, cum dativo personæ & ablativo precii construitur, ut:*

Latius est, quoties magno sibi constat *honestum. Lucan.*

¶ Observ. III. *Valeo, cum accusativo, & frequentiùs cum ablativo reperitur:*

Denarii

Denarij quòd denos *æris* valebant; *quinarij quòd* quinos. *Varro.* Valebat sestertiis *vicenis. Plin.*

¶ Observ. IV. *Discrimen notetur verbi Liceo, quod significat prostare,* feyl seyn; *&* *Liceor, itemq́; Licitor, quæ duo significant precium deferre,* drauff bieten/ feylschen. *Indicare autem est precium designare,* die Wahr bieten/ *ut: Indicabat librum decem albis, quem vix vitiosa nuce redemerim.* Addicere zusagen. *Item, Locare est possessoris, Conducere inquilini.*

¶ Exceptio 1. *Excipiuntur: Quanti, Tanti, Pluris, Minoris; quæ genitivo casu cum Verbis emendi ponuntur, ut:*

Magis illa juvant, quæ pluris emuntur. *Iuven.*

¶ Except. 2. Pretij ablativus sæpè in adverbium migrat, ut:

Carissimè constat, *quod precibus emptum est. Seneca.*

REGVLA VI.

* Pathetica impersonalia præcedunt accusativi, sequuntur genitivi vel infinitivi.

¶ *Pathetica sunt: Pœnitet, Piget, Pudet, Tædet, Miseret, cum derivatis & compositis, ut:*

Nihil faciendum est, cujus nos pœnitere *possit. Cicer. Sunt homines,* quos libidinis *suæ neq;* pudeat *neq;* tædeat. *Cic. Nec te* pœniteat *calamo* trivisse *labellum. Virg. Sua* quemque fortunæ pœnitet. *Cicero.*

[*Olim hæc personalia fuerunt, ut: Nimio illud, quod pudet, facilius fertur, quàm illud, quod piget. Plaut. Non te hæc pudent. Terent. quod nos posteà pudeat. Idem. Me hæc conditio nunc non pœnitet. Plaut. Arcadij miserescite regis. Virg. Sed jam exoleta sunt. Vide & suprà p. 229 & infrà reg. 8.*]

¶ Observ. *Sic impersonaliter ponuntur sequente*

infinitivo & hac verba: *Debet*, *Cœpit*, *Solet*, *Potest*, *Certum est*, *Apparet*, *Stat*, *Est pro licet*, *&c*, *ut*:

Non potest *jucundè* vivi, *nisi cùm virtute vivatur*. *Cic.*

REGVLA VII.

* Est, Interest, & Refert, personam genitivi designant, à se autem infinitivum recipiunt, vel subjunctivum cum particulis, Ut, An, Ne, & similibus: item Relativo Qui, quæ, quod, ut:

Boni pastoris est tondere *pecus*, *non deglubere*. *Sueton.* *Non* est sapientis dicere, *non putâram*. *Cic.* *Infirmi & timidi* est *nimirum multa* minari: *Verbaque fœminea vires sunt, facta virorum*. *Paling.* *Divitias contemnere, & pro nihilo* ducere, magni animi est & *excelsi*. *Cic.* Interest omnium *rectè* facere. *Idem.* Refert omnium animadverti *in malos*. Reipubl interest conservari *literas*. *Cic.*

¶ Exceptio. *Pronomina possessiva cum verbis Interest & Refert*, *ablativo casu genere fœminino*; *cum verbo Est*, *genere neutro casu nominativo junguntur*, *ut*:

Tua *quod nihil* refert *percontari desinas*. *Terent.* Tuum *est*, *si quid præter spem evenit*, *mihi ignoscere*. *Idem.*

[*Videtur in ablativis esse ellipsis substantivi*, *ut apud Plaut*. *Mea istuc nihil refert*, *tua refert gratia*. *Donatus autem & alij ellipsin accusativi esse censent*, *ut*: *Refert mea*, *scilicet negotia*, *juxta illud ejusdem Plauti*: *Quid ad me*, *aut quid ad meam rem refert?* *Et Cic.* *Hæc refelli possunt*, *sed ad id quod agitur*, *nihil interest*.]

¶ Observatio. I. *Interest & Refert admittunt genitivos precii & æstimationis*, *Tanti*, *Quanti*, *Magni*, *Parvi*. *Aliàs sæpius additur*: *multum*, *plus*, *plurimum*, *magis*, *minùs*, *parùm*, *nihil*, *aliquid*.

Pluri-

Plurimùm refert *compositionis, quæ quibus anteponas. Quintil.* Permagni intereſt, *quo tempore epiſtola tibi reddita ſit, Cic.*

¶ II. *Præterea etiam accuſativum cum præpoſitione Ad, ut:*

Magni refert ad decus *& ad laudem hujus civitatis, ita fieri. Cic. Ad id quod agitur, nihil intereſt. Cic.*

¶ III. *Aliquando & nominativus tanquam perſonali Verbo præponitur, manentibus reliquis caſibus, ut:*

Illud mea magni intereſt, *te ut videam. Cic.* Quod *mea & Reipublicæ* intereſt. *Idem.*

¶ IV. *Verbum Refert, ſæpè abſolutè ſine caſu ponitur, ut:*

Nec numeros comprendere refert, Virg.

REGVLA VIII.

* Quatuor his verbis: Decet, Delectat, Juvat, Oportet, accuſativi perſonam addunt, ſequentibus mox infinitivis, ut:

Omnes homines *ſumma ope* decet niti, *ne vitam ſilentio tranſigant velut pecora. Salluſt.* Mendacem oportet eſſe *memorem. Proverb. Plus* oportet ſcire ſervos, *quàm loqui Plaut.* Virum *prudentem* decet *non minùs in ſecundis adverſa, quàm in adverſis ſecunda* cogitare. *Iuſtin.* Juvat me. *hæc præclara nomina: ſic concidiſſe. Cic.*

* Eodem modo Dedecet, Latet, Præterit, Fugit, Fallit: accuſativum regunt, ut,

Oratorem *iraſci non* decet, *ſimulare non* dedecet. *Cic.*

[*Hæc tamen, ſicut & Decet, Delectat, Iuvat, ſæpè perſonaliter uſurpantur in tertiis perſonis, ut: Candida pax homines, trux decet ira feras. Ovid. Parvum parva decet. Horat. Adtrux decet ira feras. Ovid. Parvum parva decet. Horat. Ad movitq; preces, quarum me dedecet uſus. Ovid. Nec latuere doli fratrem Iunonis, Virg. An quicquam Parmenonem prætereat?*

tereat? Terent. Neq; me præcepta fugiunt. Cic. Nihil me fefellit, Terent. Forma viros neglecta decet. Ovid. Literæ tuæ me incredibiliter delectaverunt. Cic. Magis illa juvant, quæ pluris emuntur. Iuven. Multos castra juvant, Horat. Secundas res decent superbia.

Hellenismus vel Archaismus est, si cum Dativo constructa leguntur, ut: Decet nobis esse bonis, Plaut. Quando id deceat prudentiæ tuæ. Cic. Decet principi orbi terrarum, Liv. Nostro generi non decet, Plaut. Locum editiorem quàm victoribus decebat. Sallust. Vt vobis decet. Ter. Quando ita tibi juvat, vale atque salve, Plaut. Vide Drusium Centur. I. Misc. cap. 89.]

† *Observ.* Latet mihi; reperitur apud Cic. & Lucanum.

[Nihil moliris, quod mihi latêre valeat. Cic. Et Lucan. Tu mihi causa lates.]

REGVLA IX.

* Multa quoque geminum casum adsciscunt vi rectionis promiscuæ aut subintellectæ, quando diversæ regulæ Syntaxeωs, concurrunt, ut:

Lepóre & humanitate omnibus præstitit Socrates, Cicer. Trajecit copias Iberum, Liv. Orabant, ut exercitum transportaret Rhenum, Cæs. Fidem pecuniâ commutavit, Cic. Abdicare se magistratu, Cic. Animos ludo prohibere, Virg. Major me biennio. Est me palmo crassior.

[Sæpe etiam geminata subintellecta & promiscua rectio invicem permiscentur, ut Aspergere alicui maculam, & Aspergere aliquem maculâ. Induere sibi vestem, Plaut. induere se veste, Terent. Inducere vestem. Liv. Induere se Reipublicæ, Senec. Nux induit se in florem, Virg. &c. Quæ usu observanda sunt, Non enim omnia præceptis comprehendi possunt.]

CAPVT VII.

DE RECTIONE SVBINTELLECTA.

[Quartò; Rectio Subintellecta est, in qua (alioquin analogâ)

logâ) alius regens quàm expressus, mente saltem concipi potest; ut fit in nominibus Quantitatum (mensuræ, intervallorum, temporum:) Causæ seu modi, & Oppidorum.]

REGULA I.

* 1. Quæ mensuram aut spatium significant, accusativo frequenter, interdum etiam ablativo junguntur, cum adjectivis quantitatem significantibus:

Cum accusativo: ut, *Caulis* palmum altus. *Plin. Cùm essem ab Amano* iter *unius diei. Cicero. Cùm tridui* viam processisset, *Cæsar. Muri Babylonis erant* alti *ducentos* pedes, lati *quinquagenos. Plin. A recta conscientia transversum* unguem *non oportet* discedere. *Cic.*

Cum ablativo, ut: *Nec longis inter se* passibus absunt. *Virg. Septem* horis dormisse *sat est juveniq; seniq;. Nem. Sub vertice Arctico nemo* sex mensibus videt *solem. Plin. Giessa* abest *Francofurto* sex milliaribus.

[Unde patet, quid per mensuram aut spatium in hac regula intelligatur, videlicet. 1. Nomina loci seu spacij localis, qualia sunt, passus, stadium, milliare, parasanga. 2. Nomina temporis: momentum, hora, dies, hebdomas, mensis, annus, lustrum, Olympias, ætas, seculum. 3. Nomina mensuræ; vel certa: digitus, pes, palmus, ulna, cubitus, quæ ipsa etiam sunt nomina loci: vel incerta: Longus, latus, crassus, profundus, altus, &c.

OBSERVATIONES I. *Interdum autem his nominibus junctis cum accusativo vel ablativo, præpositio additur, ut: Cùm à mille ferè passibus castra posuisset. Liv. Obsidio vix in paucos dies tolerabilis. Id Tenuisti provinciam per decem annos. Cic. Surgunt de nocte latrones. Horat.*

II. *Mensuræ nomina interdum etiam in genitivo reperiuntur: ut, Areas latas pedum denûm. Colum. Ne longiores duodenûm pedum. Plin.*

III. *Verba verò excessus, tantùm regunt Ablativum, significantem excessus quantitatem aut modum aliquem, ut:*

Lepôre

Lepôre & humanitate *omnibus* præstitit *Socrates*, *Cic. Vide suprà c. 5. appendic. 1. Verba excessus sunt, Anteire, Antecellere, Antecedere, Superare multis parasangis, Præcurrere, albis equis Præcedere, Vincere, Excedere, Præstare, & similia: ut, Cicero anteit, antecellit, antecedit, superat, vincit, &c. omnes eloquentiâ. Quorum Verborum rectio respectivè etiam ad rectionem geminatam referri potest. Item ad reg. 5. hujus cap.*]

REGULA II.

* Accusativus frequentior est iis, quæ durationem seu tempus continuum significant, ut:

Noctes atque dies patet *atri janua Ditis. Virgil. Nestor* vixit *tres hominum* ætates.

¶ OBSERVATIO. *Nomina temporis accusativo casu ponēda sunt, quoties interrogatio fieri potest per Quamdiu, Quampridem, vel Quamdudum?*

Quamdiu decubuit? Sex menses, &c.

REGULA III.

* Ablativo nomina temporis efferuntur, cùm speciem magis quàm durationem significamus, ut:

Puncto *temporis maximarum rerum momenta* vertuntur. *Liv.* Vere *quidem primo radix virtutis amara* est, *At fructus dulces* messe sequēte parit, *Isocrates interprete Frischlino. Sæpè in bello* parvis momentis *magni casus* intercedunt. *Cæs.* Superioribus diebus veni, *in Cumanum. Cic.* Luce *sacra* requiescat *humus, requiescat aratrum. Tibul. Exiguo* durat *genialis* tempore *pompa, Sola Poëtarum carmina docta manent. Frisch.*

[*Quædam tamen per Græcam ellipsin dicuntur, ut,* Id ætatis, *pro ea ætate,* Istuc ætatis, *pro ista ætate. Terent.* Illud horæ, *pro ea hora. Suet.* Id temporis, *pro eo tempore. Cicer. Nonnunquam etiam tempus per particulam* intra *exponitur, ut; intra duodecim annos Alexander Magnus ferè totum orbem subjugavit, id est, spacio 12. annorum.*] † Ob-

† OBSERVATIO I. *Abhinc*, (id est, ab vel ex hoc tempore,) nunc cum accusativo, nunc cum ablativo construitur, & præteritum tantùm tempus denotat.

Apud Cicer. Demosthenes fuit abhinc annos propè trecentos. Horum pater abhinc duos & viginti annos mortuus est. Id. Decidit abhinc annis quindecim. Id. Abhinc annis amplius 25. Id. Mulier quædam abhinc triennium ex Andro commigravit huc viciniæ, Terent.

¶ OBSERVATIO II. *Nomina temporis ablativo casu ponuntur, quoties interrogatio fieri potest per Quando, ut:*

Quando Christus mortuus est? feriâ sextâ.
[*Huc pertinet regulâ sequens.*]


REGULA IV.

* Duo ablativi consequentiam designantes absolutè junguntur, sed alter Nominis, alter Participii, ut:

Oppressâ libertate *patriæ, nihil est quod ampliùs speratis.* Cic. Deo dante *nihil valet invidia*: Deo non dante *nihil valet labor*, Naz. *Vidi ego quassatas* motâ face *crescere flammas. Et vidi* nullo discutiente *mori. Ovid. Qui aliquid statuis* parte inauditâ *alterâ, æquum licet statuas, tamen non rectè facit. Seneca.*

† Est autem designare consequentiam, ita in oratione poni, ut nihil plenum aut integrum intelligatur, sed ad perfectionem sententiæ amplius aliquid expectetur: *seu, ut possit fieri Interrogatio per Quando?*

[*Regula hac nominibus temporis adjicitur ratione adjectivi ad Verbum relati: Siquidem & hic quæstio per Quando mente concipi potest, ut: Quando Christus natus est? regnante Au-*



te Augusto: Quando Christus crucifixus est? regnante Tiberio; unde etiam fit, ut hi duo ablativi per particulas Cùm, Dum, Postquàm, Si & si[illegible] exponantur, ut: Serò parantur remedia, cùm mortis imminent pericula, Aug. de doctr. Christ. pro imminentibus mortis periculis.) Nulla nocebit adversitas, si nulla dominatur iniquitas, Damasc. (id est, nulla dominante iniquitate.) Vide & suprà pag. 236.]

† Interdum tamen participium dissimulatur, ut:

Nil desperandum Christo duce & auspice Christo, (*pro, Christo existente duce & auspice.*) *Tu nihil* invitâ *dices faciesvè* Minervâ. *Inter aves perdix (siquis* me judice *certet:) Inter quadrupedes gloria prima lepus. Mart.* Me suasore *factum est, Plaut.*

" [*Interdum etiam nomen vel pronomen omittitur, & unus*
" *ablativus participij præteriti temporis absolutè ponitur*: Audito *regem in Ciliciam tendere. Sallust.* Permisso *ut seu dicere prius, seu audire vellet, &c. Liv.* Monstrato, *quid sit morbi, curatio restat, Horat. Quæ videntur esse locutiones Ellipticæ. Intelligitur enim Ablativus Eo vel Hoc.*]

REGULA V.

* Ablativo casu efferuntur, quæ causam, instrumentum, materiam, aut modum actionis significant.

Causam, ut:

Oderunt *peccare boni virtutis* amore. *Ovid.*
Deteriores omnes sumus licentiâ. *Terent.*
Virtute ambire *oportet, non fautoribus: sat fautorum habet, qui rectè agit. Plaut. Fortunâ dulci ebrius, Horat. Furto lætatur, Virg. Laborare febri, morbo, Cic. Lassus curâ. Fessus cursu.*

Instrumentum, ut:

Naturam expellas furcâ, *tamen usque recurret. Horat.*
Fertilis assiduo si non renovatur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager. Ovid. Non

Non decet, rationis, decempedâ metiri *immensos religionis nostræ agros. Scal.*

Hoc ore sumitur, *quod* fide creditur: *& frustrà ab illis Amen respondetur, à quibus contra id, quod accipitur, disputatur. Leo Magnus.*

Materiam, ut:

Sanguine fundata *est Ecclesia,* sanguine crevit,
Sanguine succrevit, sanguine *finis erit.*
Natus homo nutritur humo, *per humumq; movetur,*
Inq; reversus humum carne resurget *homo.*

Modum & determinationem quamcunque, ut:

Non facile est aquâ commoda mente pati. *Ovid.*

Magis virtute quàm dolis contendere *decet. Cas.*

Huc pertinent & illa, Prosequi amore, persequi odio, affici voluptate; Mente motus: Natu maximus: Lætari toto pectore, Genere Andrius, Natione Syrus, cognomento Heraclitus, senex corpore, nunquàm animo. Pietate filius, consiliis parens, amore frater, Cic. &c.

OBSERVATIONES.

§ 1. *Ablativo etiam utimur in citandis autoribus, ut:*

Virgilius libro secundo Æneidos: Apostolus ad Ephesios capite primo: prioris ad Corinthios capite decimoquinto, &c.

§ 2. *Instrumentis non additur præpositio Cum, ut in nostra vernacula:* Er schlug mich mit dem Schwerdt/ *quod ineptè sic reddideris: Percutiebat me cum gladio.*

[*Reperies tamen uspiam apud autores additam præpositionem Cum, ut Ovid.* 1. *Metam. concussit terq; quaterq; Cæsariem, cum qua terram, mare, sidera movit. Plin. lib.* 9. *Cæteri cirri; cum quibus venantur. Ovid.* 4. *Fast. Hac*

modò verrebat raro cum pectine terram (*sic vetusta exemplaria Florentina legunt,*) *Sed talia non sunt imitanda. Ostendunt tamen, constructionem hanc rectè vocari subintellectam.*]

¶ 3. *Ablativo causæ interdum additur præpositio Præ; ut:*

Præ mœrore loqui non possum. Cic. Iacobus lacrymabat præ gaudio.

Nonnunquam Ex, ut: Laborat ex pedibus. Cic. Ornatus ex suis virtutibus. Ter.

[*Vide affinem huic observationem cap. 4. reg* 1. *obs.* 3.]

¶ 4. *Verbis modum actionis significantibus nonnunquam adjicitur præpositio Cum:*

Tuas literas magna cum voluptate legi. Fridericus Dux Saxoniæ magna cum modestia oblatam Imperii dignitatem recusabat.

¶ 5. *Interdum præpositio Per, aut similis, ut:*

Scriptura per corporalia docet spiritualia, & invisibilia per visibilia demonstrat. Hilar. de Trinit. (pro, corporalibus, visibilibus.)

REGULA VI.

* Urbium propria Primæ vel Secundæ declinationis in loco esse significantia, genitivo casu singulari: Tertiæ autē declinationis, & Pluralia tantùm, ablativo junguntur, ut:

Tarenti degit *Archyta qui ligneam columbam volatilem fecit. Gell. Alexander mortuus Babylone. Cic.* Augustæ exhibita est *fidei confessio nostra. Taubm.* Delphis *oracula cessant. Iuvenal. David* regnabat Hierosolymis.

[*Quibusdam tamen & dativus placet in tertia declinatione. Dicunt enim, Sum Carthagini, & sum Carthagine. Sic Cic. Convento Antonio Tiburi, lib. 16. ad Attic Sic apud Plaut. legitur in Dativo. Carthagini & Sicyoni: Quibus locis Verepæus sine caussa suspicionem mendi movet.*]

¶. Observ.

¶ Observ. *Nomina oppidorum in genitivo & ablativo ponuntur, quoties interrogatio fieri potest per Vbi, ut: Vbi docuit Paulus? Romæ, Corinthi.*

REGULA VII.

* Nomina urbium motum ad locum significantia, accusativo casu reguntur, cujuscunque numeri aut declinationis ipsa fuerint, ut:

Noctuas Athenas (scil. ferre.) Proficiscor Romam.

¶ Observat. *Nomina ad locum accusativo ponenda sunt, quoties interrogatio fieri potest per Quò, ut, Quò tendis? VVitebergam.*

REGULA VIII.

* Nomina oppidorum de loco, & per locum significantia, ablativo reguntur, ut:

Carthagine rediit *Scipio.* Româ profectus *est cum exercitu. Liv. Iter Laodiceâ faciebam, Cic.*

¶ Observ. *Nomina de loco & per locum ablativo ponenda sunt, quoties interrogatio fieri potest per Vnde, vel Quâ, ut:* Unde venis? Marpurgo. Quâ transibis? Mileto.

REGULA IX.

* Propria civitatum imitantur & hæc appellativa; Domus, Rus, Humus, Militia Bellum.

Domus. Dicimus enim. *Sum domi, eo domum, venio domo,* & additis sex adjectivis, *meæ, tuæ, suæ, nostræ, vestræ & alienæ domi, ut:*

Malo esse, *cum timore* domi meæ, *quàm cum periculo* domi alienæ. *Cic. Baldus rectâ à porta* domum meam *venit. Idem. Domo dudum huc accersita sum, Plaut.*

* Item cum genitivo possessoris, ut:

Clodius deprehensus domi Cæsaris. Cic. *Domum alicujus ire, Cic.*

† Rus. Sic dicimus: Sum ruri, & sum rure, (*quies in loco:*) Eo rus, (*motus ad locum:*) & Redeo rure, (*motus de loco:*)

Humus. Jacet humi (*quies in loco:*) Procumbit humi, (*motus ad locum:*) Serpit humi, (*motus per locum:*) Tollitur humo, (*motus de loco.*)

[*Ruri se continebat, Terent. Habitare ruri, Cic. Sum ruri, Cic. Quam equidem rure esse arbitror, Cic. Pascuntur omni rure, Columell. Rure ego viventē, tu dicis in urbe beatum. Quinq; dies tibi pollicitum me rure futurum. Hor. Morientē rure, Liv. Rure paterno est tibi far modicum, Mart. Quæ omnia notant quietē in loco. Senex se rus abdidit, Terent. Eo rus, Id. Video rure redeuntem senem, Id. Serpere humi, Plin. Iacêre humi, Liv. Cic. Procūbit humi bos, Virg. Prosternit humi juvenem, Ovid. Spargere humi, (id est, in humū,) Ovid. Non autem dicitur (Humum) in accusativo, locali sensu. Tollere se humo, Virgil. Statius etiam Ablativo (Humo) usus est in loco. Stratus humo gelida. Et Ovid. Sedit humo nuda. Et requievit humo. Id. Et Columell. Nec densâ nascitur humo. Quem casum septimum tunc vocant. De quare sup. pag.* [illegible]]

Militiæ autem & Belli, solo genitivo localiter & absolutè usi sunt autores, ut: *Vnà semper militiæ & domi fuimus. Teren. Domi militiæq; boni mores colebantur. Salust. Belli vel domi Rempubl. augeant.* Cic.

[*Nonnunquam his urbium & oppidorum nominibus adduntur Præpositiones, potissimùm apud historicos,* 1. In loco *significantibus, ut: Navis in Cajeta est parata. Cic. In Epheso est,*

so est. Plaut. 2. Ad locum; *Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas. Propert. Lelius cū classe ad Brundusium venit. Ad Ilerdam proficiscitur. Ad Genevam pervenit,* frequenter apud *Casarem de Bello Gallico : in quibus tamen & similibus plerumq; non significatur ingressus in oppidum, sed potius accessus ad mœnia seu pomœria.* 3. De loco: *Lælius redierit ab Roma. Liv. Ex cingulo legati veniunt, Cæs. Ab Athenis proficiscitur. Cic.* (*Sed in in his præstat sequi Regulas. Quintilianus enim judicat, vitiosè dici: Veni de Susis in Alexandriam. Quanquā alii hîc agnoscant Pleonasmū.*) 4. Per locum: *Per Megaram excursiones non fierent. Liv. Baticam per Ticinum est petiturus. Plin. Idq; ambiguitatis vitandæ caussa procul dubio factum, ne intelligeretur fortè motus de loco.*

Eodem modo & cum antè dictis Appellativis reperiuntur te Præpositiones, ut. Ad domum profecti, (id est, usq; ad januā vel parietes domus,) Cic. Ab humo attollere aliquem. Virg.

Nota. I *Ovidius etiam in plurali dixit: Quò ruitis? vestras quisq; redite domos, in epist. Laodam. Cicero in Ablativo dixit, Tenere se domo, (pro domi.) Plautus planè contrario sensu; Domo cœnare (pro extra domum.)*

Nota. II. *Regula hæ de propriis urbium valent nonnunquam etiam in Nominibus propriis Regionum ac Insularū, itemq; in Appellativis aliis, ut: Corcyram venit, Cic. Italiam venit. Virg. Cajum remeantem Armeniā mors abstulit. Tacit. Totā Italia vagatos. Plin. Cùm legati Asiam Samo venissent, Cic. Bellum terrā mariq; gerere, Cic. Manat tota urbe rumor, Liv. &c.*]

CAPUT VIII.

DE RECTIONE INFINITORUM.

[*Quintò: Rectio infinitorum est, quando rectionis finis est infinitus; seu infinitivi modi, de qua prodita sunt sequentes regulæ.*]

REGULA I.

* I. Infinitivi adduntur Verbis significantibus qualemcunq; voluntatem, aut sensum, aut facultatem.

(Velita: Duorum Verborum absq; conjunctione concurrentium, alterum ponitur in infinitivo, ut:)

Voluntatem, ut:

Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio. Augustin. Omnia prius consilio experiri, *quàm armis* contendere *sapientem* decet. *Terent. Quod sis* esse velis, *nihilq; malis. Mart.*

Sensum:

Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum. *Cato vel Auson.*

Cantando longos memini *me* condere *soles, Virgil.*

Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit, *Plaut.*

Facultatem:

Felix, qui potuit *rerum* cognoscere *causas. Virg.*

Ea Respubl. facilè vinci potest, *cujus vires sunt mercenaria, non vernacula. Seneca.*

" *[Verba voluntatem & deliberationem significantia sunt; Volo, nolo, malo, paro, cogito, instituo, suscipio, audeo, debeo, jubeo, veto, propero, conor, desisto, &c. Sesum; Memini, sentio, video, audio, coguosco, reminiscor, gaudeo dico, opinor, &c. Facultatem: Possum, licet, expedit, contingit, refert, &c. Sic & caetera impersonalia activa pleraq;.]*

OBSERVATIONES.

¶ *I. Exponitur infinitivus cum Verbis voluntatem aut facultatem significantibus,* τελικῶς *seu finaliter, hoc est, per particulam* UT; *ut:*

Cupio te videre, (id est, ut videam te.) Doceo te canere, (id est, ut canas.)

In Verbis autem sensum significantibus, exponitur εἰδικῶς, *hoc est, per particulam Quòd, ut:*

Memini

Memini me dicere, (hoc est, quòd dicebam.) Gaudeo te adesse, (id est, quòd adsis.)

¶ *II. Diligenter notandum est discrimen inter Vt & Quòd.*

Vtimur particula Vt, 1. *post has voces*, tam, tantus, tam multa, tam magna, talis, tot adeò, ideò, ita, sic, *& æquipollentes;*

2. *Post Verba* rogandi, petendi, & jubendi, *sive ea explicitè, sive implicitè ponantur:*

3. *Item post Verba:* efficio, facio, fio, volo, curo, laboro, timeo, metuo, vereor. *& similia.*

4. *Quando causam finalem significare volumus, ut:*

Tam magna est sanctorum merces, ut non possit mensurari, tam multa, ut non possit numerari, tam copiosa, ut non possit æstimari. Bernhard. Ideò tam multa in Scripturis complèta conspicimus, ut recta pietate futura esse cætera confidamus. August. Talis est, ut omnes ejus conversatione delectentur. Rogo, obsecro, peto, jubeo, ut crebrò ad me scribas.

[Tam agilis erat Asahel, ut ne cerva quidem ipsi præcurreret. Tantum est pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atq; mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabi-lius concupisci, nihil postremò melius possit inveniri. Aug.]

Iussit, imperavit pater, ut ad se venirem. Fac, cura, labora, ut valeas. vereor, ut possim. Conduco te, ut sentinam exhaurias. Crucem quære, crucem gere, Christi crucem intuere, ut amore langueas Bonavent.

[De *Homonymia particulæ Vt, vide suprà in adverb lib.* 1. cap. 24.]

¶ III. Quòd, 1. *causam efficientem notat.* 2. *plerunq; de eventu & re gesta dicitur.* 3. *& Quia significat, ut:*

Quòd convaluisti gaudeo, (id est, quia convaluisti.) Quòd nos invisis, gratum facis,) id est, quia nos invisis,) &c.

*IV. Vulgò diſcrimen inter Ut & Quòd ita concipi ſolet: Si infinitivus commodè in vernacula noſtra exponi poſſit per voculas, auff daß/ particulam Ut: ſin minùs, particulam Quòd adhibendam eſſe.

[Ellipſis autem eſt in his locutionibus: Velim ignoſcas meæ feſtinationi, (pro, velim, ut ignoſcas.) Cic. Nonnunquam etiam infinitivus regitur ab alio infinitivo, ut: Ars non eſt major quàm benè poſſe mori.]

REGULA II.

Genitivi caſus gerundia ſequuntur nomina facultatem aut voluntatem ſignificantia, ut:

Emergendi occaſio. Ignoſcendi locus. Diſcendi gratiâ. *Tenet inſatiabile multos* Scribendi cacoëthes & *ægro in corde ſeneſcit. Iuven. Magna eſt* illecebra peccandi *impunitatis ſpes Cic.*

¶ Huc referuntur etiam adjectiva, ut: *Cupidus vivendi. Studioſus dicendi: Certus eundi:* de qua rectione ſuprà cap. 4. Reg. 6. aliquid dictum eſt. p. 301.

[Sciendum autem hoc loco; ſubſtantiva, gratiâ, causâ, *absolutè poſita gerundiis nõ eſſe præponenda, ſed ſemper poſtponenda. Illius enim vix ullum exemplum apud probatos autores inveniri poteſt, ut mirum ſit, tam crebrò exaudiri iſtas voces: Veni huc gratiâ auſcultandi, non cauſa opponendi, &c. Contra quos Bonciarius Italus pronunciat: Neminem ita locutũ eſſe de Latinis autoribus, qui ante mille trecentos annos floruerũt. Quòd igitur Auguſtinus lib. de mendac. c. 4. inquit: Nemo dubitat, mentiri eum, qui volens falſum enunciat* cauſa fallendi: *Id obſervandum potiùs quàm imitandum fuerit.*

In alio autem caſu, cũ præpoſitione uti licet Gerundio, voce cauſa etiam antepoſita, ut apud Cæſ. lib. 3. de bello civili,

Equi-

Equitatum per causam pabulandi emissum, confestim decumanâ portâ in castra se recipere jussit. Cui affinia sunt: per causam docendi, per causam discendi, &c.] „

REGULA III.

* Accusativi casus gerundia cum præpositione annectuntur Verbis, ut:

Mitto illum ad speculandum *arcem.* Inter agendum *occursare capro, cornu ferit ille, caveto. Virg.*

REGULA IV.

* In Do Gerundia sequuntur Verbum vel cum præpositione, A, Ab, De, In, E, Ex, Cum, Pro: vel sine præpositione.

Cum præpositione, *ut*; *Cæsar sanos homines* à scribendo *deterruit, Cicero. Invidia verbum ductum est* a nimis intuendo *fortunam alterius. Seneca.* In judicando *criminosa est celeritas. Pub Mim.* Ex defendendo *major gloria, quàm ex accusando paratur Cic. Ratio recte scribendi* cum loquendo *conjuncta est. Fab.*

Sine præpositione, *ut*: *omnia* conando *docilis solertia* vincit. *Manil. Sapiens nunquam potentium iras provocabit, imò declinabit, non aliter atque* navigando *procellam. Seneca. Quàm cara sint bona, homines* carendo intelligunt. *Cic. Nil tam difficile, quin diligenter* rimando, investigari *possit. Terent.*

[*In transcursu quædam monenda veniunt.* 1. *Differre, gerundia & nomina gerundiva seu participialia: illa plurali carent, & verborum suorum casus regunt, ut: Libros legendo comparatur eruditio. Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpè cadendo: Sic studium crescit, non vi, sed sæpè legendo. Gerundiva verò nomina, & numerum utrumque, & casus omnes habent, & cum substantivis in genere, numero & casu conveniunt, ut: Legendis libris comparatur eruditio, &c.* 2. *Gerundia sæpè mutari in participia, ut: In referenda gratia, pro, in referendo gratiam.) Salutandæ matris causa (pro salutandi matrem.)* 3. *Gerundia Verborum suorum casus analogicè*

 adsciscere,

" adſciſcere, ut: *Ea res tum dedit exiſtimandi copiam.* Et quan-" do caſum Verbi mutant, ſæpè adjectivorum more conſtrui, generaq; & numeros eorum imitari, quibuscum junguntur, ut: *Gratia ſalutandorum amicorum* (pro, *ſalutandi amicos gratiâ.*) *De hac loquendi formula; Facultas agrorum condonandi,* Cic. *illorum videndi gratiâ,* Plin. *Nominandi iſtorum copia erit,* Plaut. vide cap. 9.]

REGULA V.

* Supina priora caſum Verbi ſui adſciſcunt, & cum Verbis ſignificantibus motum ad locum junguntur, ut:

Venio ſalutatum amicos. Admonitum venimus te, non flagitatum, *Cic.* Legati ab Roma venére queſtum Injurias, & res repetitum, *Liv.*

RÉGULA VI.

* Poſteriora Supina conſtruuntur, vel cum adjectivis facultatem aut modum aliquem ſignificantibus: vel cum Verbis ſignificantibus motum de loco.

Cum adjectivis, ut: *Nec* viſu facilis, *nec* dictu affabilis *ulli. Virg.* Turpe *quidem* dictu, *ſed ſi modò vera fatemur; vulgus amicitias utilitate probat. Ovid.*

Cum Verbis, ut: Obſonatu redeo, *Paterfamiliâs poſtremus cubitum eat, primus* cubitu ſurgat. *Colum.*

" [*Quæ tamen ſupina Laurentius Valla mavult appellare* " *nomina. Sic etiam dicimus: Dictu opus, dictu fas. Cicer. nefas viſu. Ovid. Fœdum viſu & auditu. Cicer. Conſilia audacia prima ſpecie læta ſunt, tractu dura, eventu triſtia. Liv. Quàm eſt præclarum, quàm memorabile Cæſar. rarus egreſſu. Tacit. lib. 13. Vide ſuprà lib. 1. plura.*]

Obſervatio.

† Supina (ut & Gerundia) nonnunquam abſolutè ponuntur, & vel paſſivè, vel activè ſignificant, ut:

Ventum ad supremum est Virgil. *Ventum est ad certamen*, Horat. *Cessatum est satis. Misertum est*, Terent. *Spectatum veniunt*. Ovid.

CAPUT IX.

APPENDIX GENERALIS AD Regulas de Rectione.

§ *Derivata sequuntur rectionem sui primitivi. Vnde sequentes Canones.*

REGULA I.

* Participia, & Gerundia & Supina, imitantur Verborum suorum constructionem.

PARTICIPIA, *ut: Pectora nostra duas non* admittenda curas, *Iuvenal.*

GERUNDIA, *ut: Homines* nihil agendo *male agere discunt*, *Senec.* Utendum est ætate, *cito pede labitur ætas*. Ovid. Serviendum *est* brevitati. *Cic.*

SUPINA. *Legati ab Româ venêre*, questum injurias, & res repetitum. *Liv.*

[*Reperies etiam exempla, ubi nomina derivata Verborum structuram sequuntur, ut, studiosus nulla rei, Plaut. Servitus homini opulento, Id. Amphitr. Qui est Hebraismus.*]

Observationes.

† 1. Participia passiva quædam casum activi Verbi regunt & activè significant, ut: *Exosus, Perosus, Pertæsus.*

Tædas exosa *jugales*. Ovid. Ignaviã *suam* pertæsus, *Suet.*

[*Dicitur etiã pertæsus sermonis, Plaut. In genitivo est usitatius ex reg. 6. c. 4. Quãdo verò passivè significãt, regunt Dativum, ex reg. 7. c. 4. ut: populo pertæsi, Suet. Diis exosus, Gell.*]

† 2. Gerundia in Di nonnunquam pro casu Verbi assumunt Genitivum pluralem, ut:

Nominandi istorum copia erit. Plaut. *Facultas agrorum condo-*

condonandi. Cic. Causarum orandi cupidus. Gell. Principium generandi animantum. Varro.

† 3. Gerundia in Dum antiqua constructione accusativos etiam adsciscunt, ut:

Pacem *Trojano ab rege* petendum. *Virg. Aliqua* consilii reperiendum *est*, *Plaut.* Multa *in iis rebus* quærẽdum *est. Lucret. Tanquam* viam *longam nobis* ingrediendum *sit. Cicer. Æternas quoniam* pœnas *in morte* timendum, *Lucret. Motu* privandum *est* corpora *quæque. Idem. Resecandum est,* & ulcera *medicamentis* curandum. *Colum.*

[*Quæ constructio apud Varronem octies plùs minùs est observata. hodie tamen usu frequentiori participium passivum in Dus in ejus locum successit.*]

REGULA II.

* Adverbia derivativa pleraque primitivorum constructionem sequuntur, ut:

Vivere convenienter naturæ *Cicer. Et* studio *mores* convenienter *eunt. Ovid.* Bene *sit* tibi, *Plaut.*

[*Scaliger cap. 161. de caus. l. l judicat esse Græcorum imitatione factum Atticismum ὁμοίως Cοι. Legitur &* Bene *cum Accusativo: Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium, Plaut. in Stich. pro eo, quod hodiè dicimus, Prosit, vel Proficiat tibi, vel bene conveniat, &c.*

REGULA III.

* Sic comparativi & superlativi gradus adverbia, nominum suorum constructionem imitantur, ut:

Pulcherrimè omnium. *Fabius. Celeriùs opinione, Cic. Lynces* clarissimè *omnium* quadrupedum *cernunt. Plin.* Expeditiùs cæteris *loquitur. Fab.*

OBSERVATIO.

Huc etiam comparativi nominum referri debent, qui positivi sui constructionem servant, ut: Simillima cygno: Similior bestiæ quàm homini, &c. quia dicitur, similis bestiæ.

[*De*

[De Propiùs & Proximè, vide cap. 4. reg. 9.]

REGULA IV.

† Verba Interjectionum loco usurpata, nisi absolutè ponantur, casus Verborum retinent, ut,

Cura, amabò te, Ciceronem nostrum, Cic. obsecro te, libera me ex hoc metu, Terent. Deos quæsumus, consilia tua Reipubl. salutaria sint, Brut. ad Cic. Cedò dextram, Terent.

CAPUT X.

DE SYNTAXI ANOMALA.

[Hactenus de Syntaxi analoga: sequitur anomala seu irregularis, quæ à receptis regulis longiùs recedit. Quemadmodum in Etymologia tantùm anomalias communes sub Heteroclitis indicavimus: ita pariter in Syntaxi, cæteris exceptionibus ad ipsas regulas remissis, potissimas tantùm & generalissimas seu communes pluribus regulis, annectimus.]

Spectatur ea 1. in Ellipsi, id est, defectu. 2. Pleonasmo, id est, redundantia. 3 & Allœosi, id est, variatione.

I.

† ELLIPSIS est defectus alicujus dictionis ad justæ sententiæ perfectionem.

[Exempla deducemus speciatim per singulas orationis partes.]

Nominis substantivi ellipsis frequens est in convenientia, adjectivo solo posito, ut; *Paucis, (scilicet verbis.) Brevi (scilicet oratione seu tempore.) Prima, (scilicet partes) Bubula, suilla, (scilicet caro,) Frigida, (scilicet aqua) Denarius, (scilicet numerus vel nummus.) Ex quo, (scilicet tẽpore.) Ianuarius, &c. (scilicet mensis) Natalis, (scilicet dies.) Tertiana, quartana, (scilicet febris.) Repetundarum, repetundis, (scilicet pecuniarum, pecuniis.) Rectâ, (scilicet via.) Consona, muta, liquida, (scilicet litera.) Græci, Latini, Picentes,*

centes, Vejentes, Germani, Romani (scilicet populi vel cives;) Suburbanum; (scilicet prædium:) In rectione, ut: Ad Divi Laurentii: ad Catharinæ, (scilicet templum) Post Trinitatis (scilicet festum) Iacobus Zebedæi, (scilicet filius) Iudas Iacobi (scil. frater.) Sophia Septimiæ, (scilicet filia.) Castra absunt bidui, (scilicet itinere) Ire duo millia, (scilicet passuum.) Sic: Venit in mentem: illius negocij, (scilicet recordatio.) Sic multa Verba absolutè usurpata, ut: Conscendere, appellere, (scilicet navem.) Scribere (scilicet literas.)

Adjectivi, ut: In dies, (scilicet singulos) Si qua est paulò habilior, (scilicet cæteris.) Terent. Sic in hac formâ: Non habeo quem rogem: Est qui dicat. Sunt qui putēt, (pro: neminem habeo, quem rogem: Est quidam, qui dicat: Sunt nonnulli, qui putent,) Elegans ellipsis est.

Pronominis: Non infrequens est ellipsis pronominis Is vel Ille, sequente relativo, ut: Cano quæ solitus, (pro ea quæ solitus.) Initium dicendi, quæ vellem (pro, ea quæ vellem.) Restitue in quem me accepisti locum, (pro, in eum, in quo,) Terent. & Relativi, ut: Est locus Italiam dicunt, (scilicet quem.) Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni, (scilicet quam) Sic: Gnatam det, (scilicet suam.)

Verbi: Verbi substantivi Ellipsis est frequentissima, ut: Hinc illæ lachrymæ, (scilicet sunt.) Et verbi Facio, Pertineo, ut; Hoc nihil ad rhombum, (scilic. facit.) Quantum ad illud (scilicet pertinet.) Et verbi Dico, Quid multa? (scilicet dicam.) Satis de his, (scilicet dictum est.) Præclarè Anaxagoras, (scilicet dixit.) Item in indignatione: Méne incepto desistere? (scilicet decet.) Egon' ut Bacchidi dem bona mea sciens? scilicet coōmittam,) Illine ut contitent bella? (scilicet permittantur.) Item in forma affirmandi, ut: Me Christe, (scilicet ames.) Sic Ethnica illa: Mehercule, Mecastor, &c. Sic in aliis: Deus meliora, (scilicet det.) Continuò ego mecum, (scilicet cogitabam.) Scit fidibus, (scilicet canere.) Manu propria, (scilicet scribere.) in Italiam cogito, (scilicet proficisci.)

Participii. Usitata est ellipsis participii (sufficiens) in his

in his formulis. *Oneri ferundo esse* Liv. *Non esse solvendo,* Cicer. *Esui esse,* Macrob. *Rempublicam esse gratiæ referendæ,* Liv. *Ea quæ restinguẽdo igni forent, portantes.* Liv. *&c.* Item in clausulis epistolarum: *Romæ. Romá,* (*scilicet data, missa scripta litera*) *& participij* Pertinens, *ut: Omnia ad salutem* (*scilicet pertinentia vel spectantia.*)

Adverbii. Sicut, usitatè omittitur ante verba: opinor, arbitror, credo, puto, &c. ut: *Nemo opinor contradicet, &c.* Interdum deficit Adverbium: *Altera die quàm solvit,* (*pro, post quàm solvit.*) *Quadringentesimo anno quàm urbs condita erat.*

Conjunctionis. Huc pertinet *ἀσύνδετον.* Sic deficit disjunctiva in his & similibus, Velis, nolis, Plus, minus: Melius, pejus: Prosit, obsit. *Morum vitia, non senectutis,* (*pro, non verò senectutis.*) Deficit causalis: *Surgamus, gravis esse solet,* (*pro: gravis enim esse solet.*) Si, quãdo per verbum Debere exponi potest, ut: *Dedisses huic animo par corpus, fecisset,* (*pro, si dedisses, vel dare debebas.*) Quàm *post* plus, minus, amplius, *ut: Plus millies, non plus annum. Amplius sex menses: Quæ est elegantia.* VT, post verba, Volo, Nolo, Malo, Precor: & similia, Oportet, Necesse est, *ut: Velim nos revisas.* Sic, NE post verbum Caveo, deficit, *ut: cave putes.*

Præpositionis. Ad: *Latina littora venit.* Ante: *in his formulis: Tertio Calendas, tertio Idus Annos quadraginta natus.* (*id est, ante calendas, ante Idus, ante annos*) Ob. *Id succenses mihi.* In. *In formulis allegandi, ut: Plautus Asinaria.* Ab. *Arce sua spectat* (*id est, ab arce,*) *Stridens Aquilone. Et, Projice tela manu: quæ Poëtis frequentiora sunt.* Cum. *Magna utilitate.* In. *Habet me loco filij,* (*id est, in loco.*)

Interjectionis, ut: *Me miserum,* (*pro: heu me miserum.*) *Indignum facinus,* (*pro, ô indignum facinus.*)

Ad Ellipsin referenda est *Aposiopesis,* cùm quod dici cœptum erat, ob affectum indignationis, doloris, pudoris, gaudii, reticetur, vel ob interventum alterius personæ, ut: *Quos ego,* (*scilicet acerrimè puniam.*) *Quid ais om-*

au omnium? (scilicet perditissime.) Quem quidem ego si sensero: Sed quid opus est verbis?

[*Ratione constructionis Elliptica hac figura ad Grammaticam pertinet: ratione exornationis ad Rhetoricen. Obiter notetur usus Ellipseos apud autores, quando affectus subitos exprimere volunt, ut: Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris? Virg.*]

II.

† PLEONASMUS est, cùm orationi adjicitur ad justam structuram supervacuum.

[Hic nisi propter emphasin adhibeatur, habetur pro vitio. Ostendimus autem pleonasmum legitimum in singulis orationis partibus.

Nomine. *Ore locuta est. Hisce oculis egomet vidi. Parvum opusculum. Hominem neminem callidiorem. Interea loci. Vbinam gentium? ubiq; locorum, nusquam gentium. Quocunq; terrarum.* Multa exempla appositionis huc referri possunt, ut, *Ancilla mulier, gemini fratres.*

Pronomine: *Suo sibi hunc gladio jugulo. Ecce tibi. Tu mihi semper dormis. Me duce. Sese, nosmetipsos.* Sic pronominis *Ipse* genitivum, possessivis adjicere solent, ut, *De tuo ipsius studio.* Item. *Vrbana plebs, ea verò praeceps erat. Ludo & joco uti illis quidem licet. Quid? Senem quoad expectatis vestrum.*

Verbo. *Si est, ut dicat. Si est, ut velit. Si est, ut nolit. Si est, ut culpam in se admiserit, (pro si dicat, velit, nolit, admiserit)*

Participio. *Vide exempla in Hellenismo.*

Adverbio. *Praescisse antè. Simul concurrunt. Neque haud tu dicas, tibi non praedictum. Non tam, ne nunc quidem.*

Praepositione, *ut: Accessit ad aedes. Adeon' ad eum? Ad Messanam venis profectus ab Epheso. In animos invaserat. In Syriam profectus. Renuncio futurum.*

Conjunctione. *Hujus loci est πολυσύνδετον, de quo supra. Ego pol quoq; etiam timida sum.* Frequens est & pleonasmus.

nasmus. Ut ne, *Vt ne viderem,* (*pro ne viderem,*) *imitatione Græca.* Hîc locum habent expletivæ conjunctiones, de quibus suprà itidem dictum est.

Interjectione: *Heu, heu, Plaut. Psud. Va, Va, Va, Apocal. 8. v. 3.*

III.

† VARIATIO spectatur in Hyperbato, Hellenismo, Archaismo, & ἰνδιαδυοῖν.

Hyberbaton.

Hyperbaton est confusa & trajecta constructio; quando legitimus dictionum aut sententiarum ordo turbatur. Ejùs sunt 6. species.

1. Anastrophe, vocum & inprimis præpositionum præposterus ordo, ut: *Quorum è numero, cujus in labris. Sed nobiscum, quibuscum, vobiscum, regularia potiùs censenda sunt. Antii cùm essem. Vix ut intelligantur. Quæ trajectio in loco adhibita multùm exornat orationem, affectata etiam dedecorat. Vide etiam appendicem Syntax.*

2. Hysterologia, cùm præpositio verbo, non suo casui apponitur, ut: *Adveneris urbem Tyriam,* (pro, *venerit ad urbem*) *Innati triviis,* (pro, *nati in triviis,*) *more Græco.*

3. Hysteron proteron; cùm naturalis ordo invertitur, ut: *Vivit atq; valet,* (pro *valet atq; vivit, Moriamur, & in media arma ruamus, pro ruamus & moriamur.*)

4. Hyppallage est mutua casuum permutatio, ut: *Dare classibus austros,* pro, *austris classes, Trade rati ventus,* (pro *ventus ratem.*) *Stelceratam intorserit hastam,* (pro *scleratus.*)

5. Tmesis vel diacope, est vocis compositæ dissectio, ut: *Per mihi gratum* (pro *mihi pergratum.*) *Rem verò publicam. Per ego te humaniter oro. Quæ meo cunq; animo libitum est facere, Septem subjecta trioni. Maximo te orat*

te orat opere,(pro *maximopere*) *Sic: Per ego te Deos oro*, &c.

6. Synchysis, perturbata & intricata constructio, ut: *Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras. Virg.* Hęc sermonis studiosè vitanda est obscuritas & perplexitas, nisi propter decorum in rebus confusis & perturbatis adhibeatur, ut in exemplo allato, de disjectione navium: Quemodo à Poëtis usurpari solet & oratoribus. Addunt autem & parenthesin, quam nos ad distinctionem retulimus.

Hellenismus.

Hellenismus est constructio vocum Græcanica, vel per Ellipsin, aut Pleonasmum, aut Antiptosin, à Latina varians.

Per Ellipsin: 1. quando Causa vel Gratia intelligitur: ut, *Lætor laborum. Iustitiæne prius mirer belline laborum.*

* Huc pertinet Synecdoche Grammatica, quando adjectiva & Verba passiva vel absoluta, Græca consuetudine accusativos substantivorum adsciscunt; qui partem aliquam aut proprietatem totius significant. ut:

Velatus faciem, (id est, secundùm faciem.) Et glacialis hyems canos hirsuta capillos. Ovid. id est, (secundùm capillos.) Expleri mentem. Lucan. Arrectus animum. Cic. Nuda genu, Virg. Doleo caput. Tremit artus. Sibila colla tumentem, Virg.

2. Præpositionis, *Alius sapiente, bonoq;*, (pro, *à sapiente.*)

Per Pleonasmum. 1 Participii, ut: *Oestron Græci vertere vocantes. Amplexa simulacra tenebant. Clypeo insert abam aptans.* 2. Conjunctionis Neq;. *Neq; ejus patrem se scire quis fuerit? negat, neque Stilphonem ipsum scire qui fuerit? negat*, &c.

Per Antiptosin, id est, permutationem casuum, aut accidentium in genere, & orationis partium.

1. No-

1. Nominativi pro accusativo post infinitivum sequentibus his verbis: Dico, Ajo, Refero, Sentio, & similibus. *Iste ait fuisse navium celerrimus. Tutum putavit jam bonus esse socer. Retulit Ajax esse Iovis pronepos. Qua sese optavit potius, &c. quàm in patria honeste pauper vivere.*

2. Genitivi pro nominativo in sensu partitivo, ut: *Canum degeneres. Nigra lanarum. Ovorum oblonga. Plani piscium.*

3. Genitivi pro dativo. *Regnavit agrestium populorum (pro, imperavit populis.)*

4. Genitivi pro ablativo, ut *Largus veniæ. Desine curarum*, qui Græcismus Poëtis familiaris est.

5. Dativi pro accusativo. *Vobis decet. Terent.* Ejusmodi plura vide supra c. 6. reg. 8.

6. Dativi pro ablativo.

* Sunt & quibus figuratè Dativus adjicitur accusativi loco vel ablativi, ut:

It clamor cœlo Virg. (pro ad cœlum.) Belloq; animos accendit agrestes. Virg. (pro ad bellum.) Cœpto pugnemus amori, (id est, cum amore) Arcebis gravido pecori, Virg. (id est, à pecore.)

Cui nec certaverit ulla. Sic passiva, *Nec cernitur ulli (id est, ab ullo) Quæ sunt frequentia poëtis.*

7. Accusativi pro nominativo. *Scin' me in quibus sim gaudiis. Fac me ut sciam.*

8. Accusativi pro ablativo. *In prædonum fuisse potestatem Nunc mihi in mentem fuit.*

9. Frequens est Poëtis Græcismus infinitivi & elegans, ut: *Cereus in vitium flecti. Horat. Celer irasci. Cantare periti, Facilis corrumpi. Venerat aurum petere, Plaut. Eamus videre, Ter. &c.*

Archaismus.

Archaismus est obsoleta & usu antiquata constructio, ut: *Ille instat factum, (id est, instat dicere factum.) Operam abutitur, & similia, quæ vide suprà passim.*

Ἑνδιαδυοῖν.

Ἑνδιαδυοῖν vel ἑνδιαδὶς est, cùm mobile in fixum (id est, adjectivum in substantivum) vertitur; vel cùm res una in duas voces dividitur, per Conjunctionem, ut:

Vel Chalybem frenosq; momordit, (id est, chalybeos frenos.) Nec mihi displiceas maculis insignis, & albo, (id est, maculis albis.) Pateris libamus & auro, (id est, aureis pateris.) Per famam & populum, (id est, famosum populum.) In partem & prædam, (id est, partem prædæ.) Molemq; & montes insuper altos, (id est, molem montium altorum.)

[Dicitur ab ἓν unum, & διὰ per, δὶς vel δυοῖν duo, quasi expositio unius per duo. Quomodo veteres in Syntaxi varient, fusè explicat Auson. Popma de vsu antiq. Loc qui videatur.]

Caput XI.

De Distinctione.

Hactenus de Syntaxi conjunctionis: sequitur Distinctio, qua voces conjunctæ discernuntur. Eaq; potissimùm Commatum, Colorum, Semicolorum, Periodorum & Parenthesium notis perficitur.

¶ 1. Comma *sententiæ comprehensio, colo minor, octo vel novem syllabas non excedens, & ad imum literæ posita semicirculo notatur sic,* [,] *ut:*

Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor. *August.* Nascimur in luctu, vivimus in labore, & tandem morimur in dolore. *Nazianzen.*

(*Cicero vocat incisum: quia verba commatibus inclusa orationem linquunt imperfectam.*

¶ 2. Co-

¶2. COLON *sive membrum est distinctio sententiæ perfectioris, alteri tamen conjungendæ, sic notata* [:] *ut:*

In tremenda mortis hora veni Jhesu absq; mora: Cùm me jubes emigrare, Jhesu chare tunc appare, &c. *Bernhard.*

[*Vulgò appellatur duplex punctum, à pungendo, quoniam punctim quasi scribatur.*]

¶3. SEMICOLON *est media quadam distinctio inter Comma & Colon, quæ sic notatur* [;] *Ei tum locus est, cùm vel partes contrariæ distinguuntur, vel sententiæ ita variantur, ut nimium videatur, si ponatur colon, parum si ponatur comma: ut:*

Et si Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, proximusq; Deo sit plenissimus flagellis; ideò tamen hoc fit, alia ut quærat felicitas, cujus dulcedo non est fallax. August. Clemens Alexandrinus.

Omnis autem cogitatio motusq; animi, aut in consiliis capiendis de rebus honestis, & pertinentibus ad bene beateq; vivendum; aut in studiis scientiæ cognitionisq; versatur. Cic. 1. offic.

¶4. PERIODUS *seu ambitus est sententiæ perfectæ & prorsus absolutæ distinctio, plura interdum cola in se comprehens, notaturq; ejus initium majori litera, & finis puncto ad imum literæ posito sic* [.] *ut:*

Ubi multum crucis, ibi est multum lucis & consolationis. *Bernh.*

[*Constat periodus ex commatibus & colis: unde à nonnullis distinguitur in monocôlon aut polycôlon, hoc est, aut unius membri, aut multorum. Illam Aristoteles vocat simplicem, quia simpliciter, Dialecticè & Laconicâ brevitate*



adſciſcere, ut: Ea res tum dedit exiſtimandi copiam. Et quando caſum Verbi mutant, ſæpè adjectivorum more conſtrui, generaq; & numeros eorum imitari, quibuscum junguntur, ut: Gratia ſalutandorum amicorum (pro, ſalutandi amicos gratiâ.) De hac loquendi formula; Facultas agrorum condonandi, Cic. illorum videndi gratiâ, Plin. Nominandi iſtorum copia erit, Plaut. vide cap. 9.]

REGULA V.

* Supina priora caſum Verbi ſui adſciſcunt, & cum Verbis ſignificantibus motum ad locum junguntur, ut:

Venio ſalutatum amicos. Admonitum venimus te, non flagitatum, *Cic.* Legati ab Roma venére queſtum Injurias, & res repetitum, *Liv.*

REGULA VI.

* Poſteriora Supina conſtruuntur, vel cum adjectivis facultatem aut modum aliquem ſignificantibus: vel cum Verbis ſignificantibus motum de loco.

Cum adjectivis, ut: *Nec* viſu facilis, *nec* dictu affabilis *ulli. Virg.* Turpe *quidem* dictu, *ſed ſi modò vera fatemur; vulgus amicitias utilitate probat. Ovid.*

Cum Verbis, ut: Obſonatu redeo, *Paterfamiliâs poſtremus cubitum eat, primus* cubitu ſurgat. *Colum.*

[Quæ tamen ſupina Laurentius Valla mavult appellare nomina. Sic etiam dicimus: Dictu opus, dictu fas. Cicer. nefas viſu. Ovid. Fœdum viſu & auditu. Cicer. Conſilia audacia prima ſpecie læta ſunt, tractu dura, eventu triſtia. Liv. Quàm eſt præclarum, quàm memorabile. Cæſar. rarus egreſſu. Tacit. lib. 13. Vide ſuprà lib. 1. plura.]

Obſervatio.

† Supina (ut & Gerundia) nonnunquam abſolutè ponuntur, & vel paſſivè, vel activè ſignificant, ut:

Ventum

Ventum ad supremum est Virgil. Ventum est ad certamen. Horat. Cessatum est satis. Misertum est, Terent. Spectatum veniunt. Ovid.

CAPUT IX.

APPENDIX GENERALIS AD Regulas de Rectione.

¶ *Derivata sequuntur rectionem sui primitivi. Unde sequentes Canones.*

REGULA I.

* Participia, & Gerundia & Supina, imitantur Verborum suorum constructionem.

PARTICIPIA, *ut: Pectora nostra duas non* admittentia curas, *Iuvenal.*

GERUNDIA, *ut: Homines* nihil agendo *male agere discunt, Senec.* Utendum est ætate, *cito pede labitur ætas. Ovid.* Serviendum *est* brevitati. *Cic.*

SUPINA. *Legati ab Româ venêre*, questum injurias, *&* res repetitum. *Liv.*

[*Reperies etiam exempla, ubi nomina derivata Verborum structuram sequuntur, ut, studiosus nulla rei, Plaut. Servitus homini opulento, Id. Amphitr. Qui est Hebraismus.*]

Observationes.

† 1. Participia passiva quædam casum activi Verbi regunt & activè significant, ut: *Exosus, Perosus, Pertæsus.*

Tædas exosa *jugales. Ovid.* Ignaviã *suam* pertæsus, *Suet.*

[*Dicitur etiã pertæsus sermonis, Plaut. In genitivo est usitatius ex reg. 6. c. 4. Quãdo verò passivè significãt, regunt Dativum, ex reg. [illegible] c. 4. ut: populo pertæsi, Suet. Diis exosus, Gell.*]

† 2. Gerundia in Di nonnunquam pro casu Verbi assumunt Genitivum pluralem, ut:

Nominandi istorum copia erit. Plaut. Facultas agrorum condo-

condonandi. Cic. Causarum orandi cupidus. Gell. Principium generandi animantium. Varro.

† 3. Gerundia in Dum antiqua constructione accusativos etiam adsciscunt, ut:

Pacem *Trojano ab rege* petendum. *Virg. Aliqua* consilia reperiendum *est*, *Plaut*. Multa *in iis rebus* quærēdum *est. Lucret. Tanquam* viam *longam nobis* ingrediendum *sit. Cicer. Æter as quoniam* pœnas *in morte* timendum, *Lucret. Motu* privandum *est* corpora *quæque. Idem. Resecandum est, &* ulcera *medicamentis* curandum. *Colum.*

[*Quæ constructio apud Varronem octies plus minus est observata. hodie tamen usu frequentiori participium passivum in Dus in ejus locum successit.*]

REGULA II.

* Adverbia derivativa pleraque primitivorum constructionem sequuntur, ut:

Vivere convenienter naturæ *Cicer. Et* studio *mores* convenienter *eunt. Ovid.* Bene *sit* tibi, *Plaut.*

[*Scaliger cap. 161. de caus. l. l judicat esse Græcorum imitatione factum Atticismum* ὁμοίως *Coi. Legitur &* Bene *cum Accusativo: Bene vos, bene nos, bene te, bene me, bene nostram etiam Stephanium, Plaut. in Stich. pro eo, quod hodiè dicimus, Prosit, vel Proficiat tibi, vel bene conveniat, &c.*

REGULA III.

* Sic comparativi & superlativi gradus adverbia, nominum suorum constructionem imitantur, ut:

Pulcherrimè omnium. *Fabius. Celeriùs opinione, Cic. Lynces* clarissimè *omnium* quadrupedum *cernunt. Plin.* Expeditiùs cæteris *loquitur. Fab.*

OBSERVATIO.

Huc etiam comparativi nominum referri debent, qui positivi sui constructionem servant, ut: Simillima cygno: Similior bestiæ quàm homini, &c. quia dicitur, similis bestiæ.

[De

[De Propiùs & Proximè, vide cap. 4. reg. 9.]

REGULA IV.

† Verba Interjectionum loco usurpata, nisi absolutè ponantur, casus Verborum retinent, ut,

Cura, amabò te, Ciceronem nostrum, Cic. obsecro te, libera me ex hoc metu, Terent. Deos quæsumus, consilia tua Reipubl. salutaria sint, Brut. ad Cic. Cedò dextram, Terent.

CAPUT X.

DE SINTAXI ANOMALA.

[*Hactenus de Syntaxi analoga: sequitur anomala seu irregularis, quæ à receptis regulis longiùs recedit. Quemadmodum in Etymologia tantùm anomalias communes sub Heteroclitis indicavimus: ita pariter in Syntaxi, cæteris exceptionibus ad ipsas regulas remissis, potissimas tantùm & generalissimas seu communes pluribus regulis, annectimus.*]

Spectatur ea 1. in Ellipsi, id est, defectu. 2. Pleonasmo, id est, redundantia. 3 & Allœosi, id est, variatione.

I.

† ELLIPSIS est defectus alicujus dictionis ad justæ sententiæ perfectionem.

[*Exempla deducemus speciatim per singulas orationis partes.*]

Nominis substantivi ellipsis frequens est in convenientia, adjectivo solo posito, ut; *Paucis, (scilicet verbis.) Brevi (scilicet oratione seu tempore.) Prima, (scilicet partes) Bubula, suilla, (scilicet caro,) Frigida, (scilicet aqua) Denarius, (scilicet numerus vel nummus.) Ex quo, (scilicet tempore.) Ianuarius, &c. (scilicet mensis) Natalis, (scilicet dies.) Tertiana, quartana, (scilicet febris.) Repetundarum, repetundis, (scilicet pecuniarum, pecuniis.) Rectâ, (scilicet via.) Consona, muta, liquida, (scilicet litera.) Græci, Latini, Picentes,*

centes, Vejentes, Germani, Romani (*scilicet populi vel cives*;) *Suburbanum*, (*scilicet prædium*:) In rectione, *ut*: ***Ad Divi Laurentii***: *ad Catharinæ*, (*scilicet templum*) *Post Trinitatis* (*scilicet festum*) *Iacobus Zebedæi*, (*scilicet filius*) *Iudas Iacobi* (*scil. frater.*) *Sophia Septimiæ*, (*scilicet filia.*) *Castra absunt bidui*, (*scilicet itinere.*) *Ire duo millia*, (*scilicet passuum.*) *Sic*: *Venit in mentem illius negocij*, (*scilicet recordatio.*) Sic multa Verba absolutè usurpata, ut: *Conscendere, appellere*, (*scilicet navem.*) *Scribere* (*scilicet literas.*)

Adjectivi, ut: *In dies*, (*scilicet singulos*) *Si qua est paulò habilior*, (*scilicet cæteris.*) *Terent.* Sic in hac formâ: ***Non habeo quem rogem***: *Est qui dicat. Sunt qui putet*, (*pro: neminem habeo, quem rogem*: *Est quidam, qui dicat*: *Sunt nonnulli, qui putent*,) Elegans ellipsis est.

Pronominis: Non infrequens est ellipsis pronominis Is vel Ille, sequente relativo, ut: *Cano quæ solitus*, (*pro ea quæ solitus.*) *Initium dicendi, quæ vellem* (*pro, ea quæ vellem.*) *Restitue in quem me accepisti locum*, (*pro, in eum, in quo*,) *Terent.* & Relativi, ut: *Est locus Italiam dicunt*, (*scilicet quem.*) *Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni*, (*scilicet quam*) *Sic*: *Gnatam det*, (*scilicet suam.*)

Verbi: Verbi substantivi Ellipsis est frequentissima, ut: *Hinc illæ lachrymæ*, (*scilicet sunt.*) Et verbi Facio, Pertineo, *ut*; *Hoc nihil ad rhombum*, (*scilic. facit.*) ***Quantum ad illud*** (*scilicet pertinet.*) *Et verbi Dico*, ***Quid multa?*** (*scilicet dicam.*) *Satis de his*, (*scilicet dictum est.*) ***Præclarè Anaxagoras***, (*scilicet dixit.*) Item in indignatione: ***Méne incepto desistere?*** (*scilicet decet.*) ***Egon' ut Bacchidi dem bona mea sciens?*** (*scilicet coöm̄ittam*,) ***Illine ut contitent bella?*** (*scilicet permittantur.*) Item in forma affirmandi, *ut*: ***Me Christe***, (*scilicet ames.*) *Sic Ethnica illa*: ***Mehercule, Mecastor, &c.*** Sic in aliis: *Deus meliora*, (*scilicet det.*) ***Continuò ego mecum***, (*scilicet cogitabam.*) ***Scit fidibus***, (*scilicet canere.*) ***Manu propria***, (*scilicet scribere.*) ***in Italiam cogito***, (*scilicet proficisci.*)

Participii. Usitata est ellipsis participii (sufficiens) in his

in his formulis. *Oneri ferundo esse* Liv. *Non esse solvendo,* Cicer. *Esui esse,* Macrob. *Rempublicam esse gratia referenda,* Liv. *Ea quæ restinguẽdo igni forent, portantes.* Liv. *&c.* Item in clausulis epistolarum: *Romæ. Romá, (scilicet data, missa scripta litera)* & *participij* Pertinens, *ut: Omnia ad salutem (scilicet pertinentia vel spectantia.)*

Adverbii. Sicut, usitatè omittitur ante verba: opinor, arbitror, credo, puto, &c. ut: *Nemo opinor contradicet, &c.* Interdum deficit Adverbium: *Altera die quàm solvit, (pro, post quàm solvit.) Quadringentesimo anno quàm urbs condita erat.*

Conjunctionis. Huc pertinet ἀσύνδετον. Sic deficit disjunctiva in his & similibus, Velis, nolis, Plus, minus: Melius, pejus: Prosit, obsit. *Morum vitia, non senectutis, (pro, non verò senectutis.)* Deficit causalis: *Surgamus, gravis esse solet, (pro: gravis enim esse solet.)* Si, quãdo per verbum Debere exponi potest, ut: *Dedisses huic animo par corpus, fecisset, (pro, si dedisses, vel dare debebas.)* Quàm *post* plus, minus, amplius, *ut: Plus millies, non plus annum. Amplius sex menses: Quæ est elegantia.* Ut, post verba, Volo, Nolo, Malo, Precor: & similia, Oportet, Necesse est, *ut: Velim nos revisas.* Sic, Ne post verbum Caveo, deficit, *ut: cave putes.*

Præpositionis. Ad: *Latina littora venit.* Ante: *in his formulis: Tertio Calendas, tertio Idus Annos quadraginta natus. (id est, ante calendas, ante Idus, ante annos)* Ob. *Id succenses mihi.* In. *In formulis allegandi, ut: Plautus Asinaria.* Ab. *Arce sua spectat (id est, ab arce,) Stridens Aquilone. Et, Projice tela manu: quæ Poëtis frequentiora sunt.* Cum. *Magna utilitate.* In. *Habet me loco filij, (id est, in loco.)*

Interjectionis, ut: *Me miserum, (pro: heu me miserum.) Indignum facinus, (pro, ô indignum facinus.)*

Ad Ellipsin referenda est *Aposiopesis*, cùm quod dici cœptum erat, ob affectum indignationis, doloris, pudoris, gaudii, reticetur, vel ob interventum alterius personæ, ut: *Quos ego, (scilicet acerrimè puniam.) Quid*

ais om-

atis omnium? (scilicet perditissime.) Quem quidem ego si sensero: Sed quid opus est verbis?

[Ratione constructionis Elliptica hac figura ad Grammaticam pertinet: ratione exornationis ad Rhetoricen. Obiter notetur usus Ellipseos apud autores, quando affectus subitos exprimere volunt, ut: Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris? Virg.]

II.

† PLEONASMUS est, cùm orationi adjicitur ad justam structuram supervacuum.

[Hic nisi propter emphasin adhibeatur, habetur pro vitio. Ostendimus autem pleonasmum legitimum in singulis orationis partibus.

Nomine. *Ore locuta est. Hisce oculis egomet vidi. Parvum opusculum. Hominem neminem callidiorem. Interea loci. Vbinam gentium? ubiq; locorum, nusquam gentium. Quocunq; terrarum.* Multa exempla appositionis huc referri possunt, ut, *Ancilla mulier, gemini fratres.*

Pronomine: *Suo sibi hunc gladio jugulo. Ecce tibi. Tu mihi semper dormis. Me duce. Sese, nosmetipsos.* Sic pronominis *Ipse* genitivum, possessivis adjicere solent, ut, *De tuo ipsius studio.* Item. *Vrbana plebs, ea verò praeceps erat. Ludo & joco uti illis quidem licet. Quid? Senem quoad expectatis vestrum.*

Verbo. *Si est, ut dicat. Si est, ut velit. Si est, ut nolit. Si est, ut culpam in se admiserit, (pro si dicat, velit, nolit, admiserit)*

Participio. *Vide exempla in Hellenismo.*

Adverbio. *Praescisse antè. Simul concurrunt. Neque haud tu dicas, tibi non praedictum. Non tam, ne nunc quidem.*

Praepositione, *ut: Accessit ad ades. Adeon' ad eum? Ad Messanam venit profectus ab Epheso. In animos invaserat, In Synam profectus. Renuncio futurum.*

Conjunctione. *Hujus loci est πολυσύνδετον, de quo suprà. Ego pol quoq; etiam timida sum.* Frequens est & pleonasmus

nasmus. Ut ne, *Vt ne viderem,* (*pro ne viderem,*) *imitatione Græca.* Hîc locum habent expletivæ conjunctiones, de quibus suprà itidem dictum est.

Interjectione: *Heu, heu, Plaut. Pseud. Va, Va, Va, Apocal. 8. v. 3.*

III.

† VARIATIO spectatur in Hyperbato, Hellenismo, Archaismo, & ἐνδιαδυοῖν.

Hyberbaton.

Hyperbaton est confusa & trajecta constructio; quando legitimus dictionum aut sententiarum ordo turbatur. Ejus sunt 6. species.

1. Anastrophe, vocum & inprimis præpositionum præposterus ordo, ut: *Quorum è numero, cujus in labris. Sed nobiscum, quibuscum, vobiscum, regularia potiùs censenda sunt. Antii cùm essem. Vix ut intelligantur. Quæ trajectio in loco adhibita multùm exornat orationem, affectata etiam dedecorat. Vide etiam appendicem Syntax.*

2. Hysterologia, cùm præpositio verbo, non suo casui apponitur, ut: *Adveneris urbem Tyriam,* (pro, *veneris ad urbem*) *Innati triviis,* (pro, *nati in triviis,*) *more Græco.*

3. Hysteron proteron, cùm naturalis ordo invertitur, ut: *Vivit atq; valet,* (pro *valet atq; vivit, Moriamur, & in media arma ruamus, pro ruamus & moriamur.*)

4. Hyppallage est mutua casuüm permutatio, ut: *Dare classibus austros,* pro, *austris classes, Trade rati ventis,* (pro *ventis ratem.*) *Sceleratam intorserit hastam,* (pro *sceleratus.*)

5. Tmesis vel diacope, est vocis compositæ dissectio, ut: *Per mihi gratum* (pro *mihi pergratum.*) *Rem verò publicam. Per ego te humaniter oro. Quæ meo cunq; animo libitum est facere, Septem subjecta trioni. Maximo*

te orat opere,(pro *maximopere*) *Sic*: *Per ego te Deos oro*, *&c.*

6. Synchysis, perturbata & intricata constructio, ut: *Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras. Virg.* Hęc sermonis studiosè vitanda est obscuritas & perplexitas, nisi propter decorum in rebus confusis & perturbatis adhibeatur, ut in exemplo allato, de disjectione navium: Quemodo à Poëtis usurpari solet & oratoribus. Addunt autem & parenthesin, quam nos ad distinctionem retulimus.

Hellenismus.

Hellenismus est constructio vocum Græcanica, vel per Ellipsin, aut Pleonasmum, aut Antiptosin, à Latina varians.

Per Ellipsin: 1. quando Causa vel Gratia intelligitur: ut, *Lætor laborum. Iustitiæné priùs mirer belliné laborum.*

* Huc pertinet Synecdoche Grammatica, quando adjectiva & Verba passiva vel absoluta;
p: 317. Græca consuetudine accusativos substantivorum adsciscunt; qui partem aliquam aut proprietatem totius significant. ut:

Velatus faciem, (*id est, secundùm faciem.*) *Et glacialis hyems canos hirsuta capillos. Ovid. id est*, (*secundùm capillos.*) *Expleri mentem. Lucan. Arrectus animum. Cic. Nuda genu, Virg. Doleo caput. Tremit artus. Sibila colla tumentem, Virg.*

p: 314. 2. Præpositionis, *Alius sapiente, bonoq;*, (pro, *à sapiente.*)

Per Pleonasmum. 1. Participii, ut: *Oestron Græci vertere vocantes. Amplexa simulacra tenebant. Clypeo insertabam aptans.* 2. Conjunctionis Neq;. *Neq; ejus patrem se scire quis fuerit? negat, neque Stilphonem ipsum scire qui fuerit? negat, &c.*

Per Antiptosin, id est, permutationem casuum, aut accidentium in genere, & orationis partium.

1. No-

1. Nominativi pro accusativo post infinitivum sequentibus his verbis: Dico, Ajo, Refero, Sentio, & similibus. *Iste ait fuisse navium celerrimus. Tutum putavit jam bonus esse socer. Retulit Ajax esse Iovis pronepos. Quæ sese optavit potius, &c. quàm in patria honestè pauper vivere.*

2. Genitivi pro nominativo in sensu partitivo, ut: *Canum degeneres. Nigra lanarum. Ovorum oblonga. Planè piscium.* p: 293. p: 321.

3. Genitivi pro dativo. *Regnavit agrestium populorum (pro, imperavit populis.)*

4. Genitivi pro ablativo, ut *Largus veniæ. Desine curarum*, qui Græcismus Poëtis familiaris est.

5. Dativi pro accusativo. *Vobis decet. Terent.* Ejusmodi plura vide supra c. 6. reg. 8.

6. Dativi pro ablativo.

* Sunt & quibus figuratè Dativus adjicitur accusativi loco vel ablativi, ut: p: 301.

It clamor cœlo Virg. (pro ad cœlum.) Belloq; animos accendit agrestes. Virg. (pro ad bellum.) Cœpto pugnemus amori, (id est cum amore) Arcebis gravido pecori, Virg. (id est, à pecore.)

Cui nec certaverit ulla. Sic passiva, *Nec cernitur ulli (id est, ab ullo) Quæ sunt frequentia poëtis.*

7. accusativi pro nominativo. *Scin' me in quibus sim gaudiis. Fac me ut sciam.*

8. Accusativi pro ablativo. *In prædonum fuisse potestatem Nunc mihi in mentem fuit.*

9. Frequens est Poëtis Græcismus infinitivi & elegans, ut: *Cereus in vitium flecti. Horat. Celer irasci. Cantare periti, Facilis corrumpi. Venerat aurum petere, Plaut. Eamus videre, Ter. &c.*

Archaismus.

Archaismus est obsoleta & usu antiquata constructio, ut: *Ille instat factum, (id est, instat dicere factum.) Operam abutitur, & similia, quæ vide suprà passim.*

Ἑνδιαδυοῖν.

Ἑνδιαδυοῖν vel ἑνδιαδὺς est, cùm mobile in fixum (id est, adjectivum in substantivum) vertitur; vel cùm res una in duas voces dividitur, per Conjunctionem, ut:

Vel Chalybem frenosq; momordit, (id est, chalybeos frenos.) Nec mihi displiceat maculis insignis, & albo, (id est, maculis albis.) Pateris libamus & auro, (id est, aureis pateris.) Per famam & populum, (id est, famosum populum.) In partem & prædam, (id est, partem prædæ.) Molemq; & montes insuper altos, (id est, molem montium altorum.)

[Dicitur ab ἓν unum, & διὰ per, δὶς vel δυοῖν duo, quasi expositio unius per duo. Quomodo veteres in Syntaxi varient, fusè explicat Auson. Popma de usu antiq. Loc qui videatur.]

Caput XI.

De Distinctione.

Hactenus de Syntaxi conjunctionis: sequitur Distinctio, qua voces conjunctæ discernuntur. Eaq; potissimùm Commatum, Colorum, Semicolorum, Periodorum & Parenthesium notis perficitur.

¶ I. COMMA *sententiæ comprehensio, colo minor, octo vel novem syllabas non excedens, & ad imum literæ posita semicirculo notatur sic,* [,] *ut:*

Turbabor, sed non perturbabor, quia vulnerum Domini recordabor. *August.* Nascimur in luctu, vivimus in labore, & tandem morimur in dolore. *Nazianzen.*

(*Cicero vocat incisum: quia verba commatibus inclusa orationem linquunt imperfectam.*

¶ 2. Co-

¶2. COLON *sive membrum est distinctio sententiæ perfectioris, alteri tamen conjungendæ, sic notata* [:] *ut:*

In tremenda mortis hora veni Jhesu absq; mora:
Cùm me jubes emigrare, Jhesu chare tunc appare,
&c. *Bernhard.*

[*Vulgò appellatur duplex punctum, à pungendo, quoniam punctim quasi scribatur.*]

¶3. SEMICOLON *est media quædam distinctio inter Comma & Colon, quæ sic notatur* [;] *Ei tum locus est, cùm vel partes contrariæ distinguuntur, vel sententiæ ita variantur, ut nimium videatur, si ponatur colon, parum si ponatur comma: ut:*

Etsi Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, proximusq; Deo sit plenissimus flagellis; ideò tamen hoc fit, alia ut quærat felicitas, cujus dulcedo non est fallax. August.
Clemens Alexandrinus.

Omnis autem cogitatio motusq; animi, aut in consiliis capiendis de rebus honestis, & pertinentibus ad bene beateq; vivendum; aut in studiis scientiæ cognitionisq; versatur. Cic. 1. offic.

¶4. PERIODUS *seu ambitus est sententiæ perfectæ & prorsus absolutæ distinctio, plura interdum cola in se comprehens, notaturq; ejus initium majori litera, & finis puncto ad imum literæ posito sic* [.] *ut:*

Ubi multum crucis, ibi est multum lucis & consolationis. *Bernh.*

[*Constat periodus ex commatibus & colis: unde à nonnullis distinguitur in monocôlon aut polycôlon, hoc est, aut unius membri, aut multorum. Illam Aristoteles vocat simplicem, quia simpliciter, Dialecticè & Laconicâ brevitate*

profertur: cui tum locus est, quando multa paucis comprehendimus, & brevitati studemus, sicut olim Germani, quos Diodorus Siculus in concionibus suis brachylogos fuisse annotat lib. 5. Hac longiùs excurrit. Constat enim vel duobus membris frequentissimè (& tum bicôlos, vel tribus (& tum tricôlos, vel quatuor (& tum tetracôlos appellatur.) Sed de his plura in Rhetoricis.]

§ 5. PARENTHESIS *est sermonis interjectio, qua eidem interponitur aliquid propriè ad rem non pertinens, & sic notatur ( ) ut:*

Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur) Hunc lætum Tyriisq; diem. *Virg.*

Æneas (neq; enim patriam consistere mentem passus amor) rapidum ad navem præmittit Achatem.

[*Non disputabimus hoc loco, an parenthesis ad hyperbaton seu variationem constructionis pertineat, in qua opinione est Hermogenes; hoc tantùm annotamus, tùm uti nos parenthesi, quando sermoni nostro moram quandam, & autoritatem sumus conciliaturi, unde nonnulli observârunt, apud Virgilium non nisi à regibus & Diis parentheses fuisse usurpatas. Aut etiam, quando perspicuitatis caussa quædam separamus, ne cæterorum intelligentiam interturbent, aut obscuritatem iis afferant. Hoc tamen studiosè vitandum, ne parenthesis sit longior æquo & frequentior: Sic enim orationem planè nubilam & obscuram reddet, tantum abest, ut perspicuitatem allatura sit.*]

Exemplum omnium distinctionum ex Cicerone lib. 3. Offic.

Quòd si nihil est tam contra naturam, quàm turpitudo; (recta enim, & convenientia, & constantia natura desiderat, aspernaturq; contraria,) nihilq; tam secundùm naturam, quàm utilitas: certè in eadem re & utilitas, & turpitudo esse non potest. Itemq; si ad honestatem nati sumus, eaq; aut sola expetenda est, (ut Zenoni

Zenoni est visum;) aut certè omni pondere gravior est habenda, quàm reliqua omnia, (quod Aristoteli placet:) necesse est, quod honestum sit, id esse, aut solum, aut summum bonum; quod autem bonum, id certè utile: itaque quicquid honestum, id utile.

DE ORDINE GRAMMATICO SINGULARUM VOCUM IN PERIODO.

¶ *Deniq; Grammaticus ordo in quavis oratione talis est.*

1. Constructionem orditur Adverbium vocandi, hortandi, demonstrandi, interrogandi, prohibendi, similitudinis; & vim relativam habentia, donec, quando, siquando, postquàm; Conjunctio, Interjectio,

2. Vocativus, si adsit.

3. Verbum impersonale cum suo casu.

4. His deficientibus, Nominativus, aut quod vice Nominativi fungitur, primum locum occupat.

5. Nominativo subjungitur vox illi cohærens: nempe adjectivum, item Genitivus vel Ablativus.

6. Hinc Verbum personale finitum.

7. Inde Adverbia cætera.

8. Et casus, qui à Verbis reguntur, ubi casuum ordo servandus.

9. Succedunt Infinitivi cum Accusativo à fronte.

10. Ablativi consequentiæ: Et præpositiones cum suis casibus, Gerundia, &c.

In genere notandum, quod vox regens præponatur ei, quæ regitur, & declarata declaranti, Verbum Adverbio, Substantivum Adjectivo, Finitum Infinito.

Excipiuntur ab his regulis Interrogativa, & Relativa, quæ præcedunt ubivis, ut: Cujus est liber? Quem quæris?

[Etiam Negativa, ut: Nulli dixeris. Et hic ordo est naturalis Grammaticæ Syntaxeos, juxta quem pueri assuefaciendi sunt in Analysi: In Genesi autem longè est alia ratio, longè alius ordo, per Crypsin quandam inversus, de qua jam sequitur in Appendice.]



APPEN-



APPENDIX AD SYNTAXIN,

DE SYNTAXI ORNATA, ET ELEganti constructarum vocum collocatione.

[*Edidit ante annos aliquot, Lector benevole, doctissimus vir M. Georgius Vogelmannus, Elegantiarum Latini sermonis praeceptiones aliquot, ex Cicerone aliisq; probatissimis autoribus collectas. Cùm autem curandum sit, ut quàm optimè dicamus, ut monet Quintil. lib. 10. & libellus iste ad manus nobis esset, cùm in Syntaxi jam laboraremus emendanda, & emaculanda, facere non potuimus, quin eundem eleganter recudi curaremus, ita tamen ut praecepta extraheremus, exempla, quantum fieri licebat, contraheremus, uno & altero tantùm, eoq; selectiori annotato, studiaq; juventutis, etiam quoad hanc partem, pro virili juvaremus. Tu fave laboribus nostris, consiliumq; nostrum aequi boniq; consule.*]

I. Inter adjectivum & substantivum eleganter una aut plures dictiones interponuntur. Aut enim Nomen, aut Pronomen, aut Verbum, aut Adverbium, aut Praepositio, aut plures simul orationis partes interseri à praeclaris videas authoribus.

Cic. Qui igitur adipisci veram justitiae laudem volet, justitiae fungatur officiis.

Cic. Tantam vim habet illa, quae rectè à bono Poëta dicta est flexanima, atque omnium regina oratio.

Cic. Desine bonos petulantissima consectari lingua.

Terent. Uxor quid faciat, in manu non est mea.

Salust. Decere existimavi, ut unam ex tam multis orationem ejus perscriberem.

Caeterum praecepto hoc venusto usurus, operam dabis, ne eo

Adjectivum à suo substantivo longiùs distrahatur, idquod si neglexeris, cùm reprehensionis notam incurres, tum verò orationi obscuritatem afferes.

2. De adjectivorum collocatione, præponendáne sint suis substantivis, an postponenda, nihil invenias certi, ea tamen præposita attendas sæpius: Pronominum verò adjectiva postposita invenias sæpissimè & eleganissimè.

Terent. Satietas me jam tenet studiorum istorum,

Cicer. Pompejus abunde disertus rerum suarum narrator.

3. Elegantiam & concinnitatem sentias majorem si inter adjectivum pronominale & substantivum, aliud quippiam interposueris.

Cic. Sunt enim testes, & erunt sempiterni meritorum erga me tuorum, meaq; pietatis.

Idem. Gravi teste privatus sum amoris summi erga te mei.

4. Adjectiva Omnis & Nullus, substantivis venustiùs postponuntur, quàm præponuntur. ut:

Terent. Matres omnes filiis in peccato adjutrices, & auxilio in paterna injuria esse solent.

Quint. Sæpe videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur.

5. Relativum pulchrè cum suo Verbo aut sine eo interdum in casu eodem, antecedenti preponitur, ita ut & sequenti Verbo in casu respondeat.

Ter. Quem cum isto sermonem habueris, procul hinc stans accepi uxor.

6. Nonnunquam Relativum cum antecedente quidem in eodem casu eleganter ponitur, sed ita, ut cum Verbo vel adjectivo sequente non consentiat.

Ter. Vt placerent populo, quas fecissent fabulas.

Liv. Quem ceperunt exules montē, herbidus aquosusq; est.

7. Inter Nominativum & suum Verbum, elegantissimè collocatur Relativum cum alia sententia, quæ parenthesi includi potest.

Terent. Tamen vel virtus tua, vel vicinitas, quod ego in propin-

propinqua parte amicitiæ puto, facit, ut te audacter moneam, & familiariter.

Cic. Hæc eo pluribus dico, quòd genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt.

De ratione ornatè auspicandæ finiendæq; orationis.

8. Commendabitur oratio, quæ ab obliquis seu dictionibus posterioribus initium sumit.

Exempla Genitivi.

Cic. Epistolarum genera multa esse non ignoras.

Dativi.

Valer. Max. Cœnanti apud Scopam, in Cranone quod est Thessaliæ oppidum, nunciatum est duos adolescentes adjanuam.

Accusativi.

Cic. Alexandrum regem videmus, qui cùm interemisset Clytum familiarem suum, vix à se manus abstinuit.

Ablativi.

Val. Max. Vetusto Macedoniæ more, regi Alexandro nobilissimi pueri, prestò erant sacrificanti.

9. Meminetis orationes Verbis, quàm aliis orationis partibus finiri venustiùs. In primis verò Periodi, quantum fieri potest, Verbis claudendæ sunt. ut:

Cic. lib. 3. de orat. Consuetudo sit scribendi, atque dicendi, ut sententiæ Verbis finiantur.

Salust. Profectò fortuna in omni re dominatur.


10. Quoties dictiones universales, Omnis, Nullus, Nemo, in formulis efferimus, eas graviùs & elegantiùs in fine, quàm initio aut medio collocamus, ut:

Ter. Iam tum erat suspicio, dolo malo hæc fieri omnia.

Cic. Qui tibi non assentiretur, inveni neminem.

Cic. Quæ igitur ea cupiditas ejus legis ferendæ, quæ turpitudinem summam habeat, gratiam nullam:

11. Illud quoque observari debet, orationem esse elegan-



elegantem eam, quę Comparativum vel Superlativum nominis vel adverbii in fine habeat.

Cic. Declarandum arbitror, nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius.

Idem. Orationem autem latinam efficies profectò legendis nostris pleniorem.

Saluſt. Iugurtha hominum, quos terra ſuſtinet, ſceleratiſſimus.

Sic Nimirum pecuniæ fructus eſt maximus.

De aliis elegantiis.

12. Quoties unum & idem vocabulum in oratione eadem bis poni neceſſe fuerit, id eleganter ſine ullo medio ponatur ſibi proximè.

Cic. Cura ut valeas, & me ut amas, ama.

Idem. Proximè & ſecundum Deos homines hominibus maximè utiles eſſe poſſunt.

13. Quoties duo vocabula, quorum alterum ab altero factum ſit, in oratione eadem ponenda fuerint, ea non ſine gratia abſq; ullo medio propè ſe collocantur.

Cic. Facile fuit juſtitiam juſtiſſimo viro defendere.

Idem. Delectaverunt me literæ tuæ, in quibus amavi amorem tuum, qui te ad ſcribendum incitavit.

14. Vocabula duo, ſi ſint in eadem oratione, quæ contrariam habeant ſignificationem, ea ſibi proximè poſita orationem efficiunt concinniorem.

Quint. Qui ſtultis eruditi videri volunt, ſtulti eruditis videntur.

Saluſt. Neq; divitiis aut ſuperbia, ſed bona fama, factisq; fortibus nobilis ignobilem anteibat.

15. Una aliqua vox ſemel atque iterum in oratione collocata aut repetita, non parum ſplendoris atque ponderis orationi conciliabit.

Cic. Sit boni oratoris, multa auribus accepiſſe, multa vidiſſe, multa animo & cogitatione, multa etiam legendo percurriſſe.

16. Particulæ ſeu voces duæ inclinatæ idem prope ſignifi-

significantes, juxta se eleganter ponuntur, & perinde valent, ac si altera earum sola posita esset.

Tandem aliquando. Cic. Mihi quidem certè.

Salustius. Majora alia.

Cic. Vt quemadmodum sentiam, sic loquar.

Cic. Diu multumq;.

17. Antequam, Priusquam, Postquam; à facundis oratoribus ita usurpantur, ut ea dividant, inque medio unum atque alterum Verbum ornatè multum interponant.

Plin. Coturnices etiam antè veniunt, quàm grues.

Terent. Omnia priùs experiri verbis, quàm armis sapientem decet.

Cæsar. Post diem quartum, quàm est in Britanniam ventum.

18. Præteritum perfectum, ac tempora inde formata in Verbis passivis, deponentibus, & communibus, ita eleganter ab auctoribus usurpantur illustribus, ut Verbum *Sum, es, est,* aliquo intervallo à præterito sejungant, inque medio aliquid interserant.

Cic. Nulla quæstio decreta à Senatu est.

Quint. Cum à me quidam familiariter postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus.

19. Genitivus à dictione regente ornatè interdum separatur, inque medio horum aliquid interponitur, ut:

Cic. Multorum in os perfidiam, insidias, proditionem notabis.

Iustin. Hujus adolescentis supra ætatem virtus admirabilis fuit.

20. Relativum Qui, Quæ, Quod, quoties Pronomina Hic, Is, & Ille, cum casibus qui inde fiunt, pro antecedentibus habet; triplicem recipit collocationem. Aut enim suo antecedenti præponitur, aut huic postponitur, aut sine eo solùm in oratione collocatur.

Cic.

Cic. Qui semel verecundiæ limites transierit, eum bene & gnaviter oportet esse impudentem.

Cic. Oportet eum qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum, & illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum.

Quint. Quæ vetera sunt, fuerunt olim nova.

21. Venustatem orationi adjicies tuæ; si inter has particulas (Ne quidem, Non solùm, Non tantùm, Nō modò,) Sed etiam dictionem unam aut alteram interpones.

Ne nunc quidem, Ne hoc quidem, Ne id quidem, Ne pilum, quidem. Ne tantillum quidem, Ne ramenta quidem, Ne pictum quidem vidit, Ne Momo quidem displicet.

Cicero. Nunquam illum ne minima quidem re offendo.

Gellius: Non culpa tantum vacat, sed dignus quoq; laude admirationeq; est.

Cicero. Omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella.

Cic. Haberi enim quæstui Rempub. non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium.

Quint. Sententiis quidem, non orationes modò sunt refertæ, sed libri etiam Philosophorum.

22. Particula Quam, quoties ratione Comparativi orationi inseritur, tripliciter collocatur: Aut enim inter duos collocatur Comparativos: aut Comparativo inter duo vocabula ornatè præponitur, aut eidem postponitur.

Salust. Qui se victoria licentiùs liberiusq; quàm rectiùs usuros credebant.

Salust. Regibus boni quàm mali suspectiores sunt.

Cic. Id re quàm verbis faciam libentiùs.

Quintil. Difficilius semper est creditum defendere, quàm accusare.

23. Magis, Quàm, particulæ duæ sine ulla voce media conjunguntur, quàm disjunguntur elegantiùs.

Salust.

Salust. Ius bonumq; apud eos non legibus magis quàm natura valebat.

Idem. Servire magis quàm imperare parati estis.

24. Eleganter, Quàm & Vt post Comparativum in oratione conjunguntur.

Quintil. Id frequentius est, quàm ut exemplo confirmandum sit.

25. (Id quod) pronomina simul juncta, usurpantur pro Quod, sive pro Eo, quod.

Cicero. Diem consumi volebant, id quod factum est.

Salustius. Providendum est, quo nam pacto Italia atq; provincia tutiores sint; id quod factu haud obscurum est.

26. Conjunctio Vt causalis in medio orationis prope Verbum quàm alio in loco collocatur elegantiùs, ut.

Terent. Ea gratia simulavi, vos ut pertentarem.

Idem. Ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum.

27. Hæ particulæ, Vt Ne, usitatè conjunctim ponuntur pro Ne, ut:

Cicero. Iustitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria.

Terent. Id ut ne fiat, hæc res sola est remedio.

28. Præpositiones quædam non invenustè suis casibus postponuntur:

Cicero. Habes quibus cum possis familiares conferre sermones.

Quid dulcius, quàm habere quo cum omnia audeas sic loqui, ut tecum.

Gellius. Particula ista, qua de agitur.

Cic. Quem penes est omnis potestas.

29. Particulam Quòd, (pro Quia) post Ideò, Propterea, Idcirco, & Eò positam, aut sine his etiam, eleganter usurpant auctores.

Cicero. Ideò mihi non satisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum referenda gratia consequi possum.

Terentius

Cic. Qui semel verecundiæ limites transierit, eum bene & gnaviter oportet esse impudentem.

Cic. Oportet eum qui paret, sperare se aliquo tempore imperaturum, & illum, qui imperat, cogitare brevi tempore sibi esse parendum.

Quint. Quæ vetera sunt, fuerunt olim nova.

21. Venustatem orationi adjicies tuæ; si inter has particulas (Ne quidem, Non solùm, Non tantùm, Nō modò,) Sed etiam dictionem unam aut alteram interpones.

Ne nunc quidem, Ne hoc quidem, Ne id quidem, Ne pilum, quidem. Ne tantillum quidem, Ne ramenta quidem; Ne pictum quidem vidit, Ne Momo quidem displicet.

Cicero. Nunquam illum ne minima quidem re offendo.

Gellius: Non culpa tantum vacat, sed dignus quoq; laude admirationeq; est.

Cicero. Omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella.

Cic. Haberi enim quæstui Rempub. non modò turpe est, sed sceleratum etiam & nefarium.

Quint. Sententiis quidem, non orationes modò sunt refertæ, sed libri etiam Philosophorum.

22. Particula Quàm, quoties ratione Comparativi orationi inseritur, tripliciter collocatur: Aut enim inter duos collocatur Comparativos: aut Comparativo inter duo vocabula ornatè præponitur, aut eidem postponitur.

Salust. Qui se victoria licentiùs liberiusq; quàm rectiùs usuros credebant.

Salust. Regibus boni quàm mali suspectiores sunt.

Cic. Id re quàm verbis faciam libentiùs.

Quintil. Difficilius semper est creditum defendere, quàm accusare.

23. Magis, Quàm, particulæ duæ sine ulla voce media conjunguntur, quàm disjunguntur elegantiùs.

Saluſt.

Saluſt. Ius bonumq; apud eos non legibus magis quàm natura valebat.

Idem. Servire magis quàm imperare parati eſtis.

24. Eleganter, Quàm & Vt poſt Comparativum in oratione conjunguntur.

Quintil. Id frequentius eſt, quàm ut exemplo confirmandum ſit.

25. (Id quod) pronomina ſimul juncta, uſurpantur pro Quod, ſive pro Eo, quod.

Cicero. Diem conſumi volebant, id quod factum eſt.

Saluſtius. Providendum eſt, quo nam pacto Italia atq; provincia tutiores ſint; id quod factu haud obſcurum eſt.

26. Conjunctio Vt cauſalis in medio orationis prope Verbum quàm alio in loco collocatur elegantiùs, ut.

Terent. Ea gratia ſimulavi, vos ut pertentarem.

Idem. Ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum.

27. Hæ particulæ, Vt Ne, uſitatè conjunctim ponuntur pro Ne, ut:

Cicero. Iuſtitia primum munus eſt, ut ne cui quis noceat, niſi laceſſitus injuria.

Terent. Id ut ne fiat, hæc res ſola eſt remedio.

28. Præpoſitiones quædam non invenuſtè ſuis caſibus poſtponuntur:

Cicero. Habes quibus cum poſſis familiares conferre ſermones.

Quid dulcius, quàm habere quo cum omnia audeas ſic loqui, ut tecum.

Gellius. Particula iſta, qua de agitur.

Cic. Quem penes eſt omnis poteſtas.

29. Particulam Quòd, (pro Quia) poſt Ideò, Propterea, Idcirco, & Eò poſitam, aut ſine his etiam, eleganter uſurpant auctores.

Cicero. Ideò mihi non ſatisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum referenda gratia conſequi poſſum.

Terentius

Terentius. Ego vitam Deorum propterea sempiternam esse arbitror, quòd voluptates eorum propria sunt.

Cicero. Non idcirco eorum usum dimiseram, quòd iis succenserem, sed quòd eorum me suppudebat:

Cic. Eoq; ad te tardiùs scripsi, quòd te ipsum expectabam.

Cicero. Noctu obambulabat in publico Themistocles, quòd somnum capere non posset.

30. Pronominibus, Qui, Quæ, Quod, in oratione interrogativa positis, multa cum venustate præfigitur Ec particula.

Cic. Ecquid præsidii unquam habueris? ecquem in castris consulem? ecquem exercitum juventutis?

31. Gratissima oratio est, in qua ejusdem nominis adjectivi positivum, comparativum & superlativum, velut per gradationem quandam ponimus.

Plaut. Miser homo, qui ipse sibi quod quærit, id ægrè invenit, Sed ille est miserior, qui & ægrè quærit, & nihil invenit. Ille misertimus est, qui cùm esse cupit, quod edat, non habet.

32. Pulchrum est & illud dicendi genus, quoties post Superlativum ponitur Comparativus ejusdem nominis, qui significatum Superlativi quodammodo superare videtur, ut:

Cicer. Cùm ipsam Furniam per se libentissimè vidi, tùm hoc libentius, quòd illam audiens te videbar audire.

33. Pronomen Is, post copulativam conjunctionem, quasi ad declarationem præcedentis venuste collocatur, *ut:*

Cicero. Barbaram; & eam quidem compunctam notis Threiciis. Id. Annum jam audientem Cratippum, idq; Athenis.

34. Elegantia est Ciceroni usitatissima, cum pronomen Ille cum conjunctione Quidē jungitur, quoties aliquid concedimus, à quo mox aliud removebimus.

Cicero. Qui autem summum bonum in virtute ponunt, præclarè ille quidem, sed hæc ipsa virtus amicitiam & gignit & continet.

35. Ora-

35. Orationes Indicativi & Subjunctivi Modi, quæ Particulas Quòd vel Ut sibi annexas habent, ornatè in infinitivi constructionem resolvi possunt.

Terent. E flamma te cibum petere posse arbitror.

Cicero. Anaxagoram ferunt nunciata morte filii dixisse, sciebam me genuisse mortalem.

36. Orationes Indicativi & Subjunctivi modi, præcedentibus Cùm, Dum, Postquàm, & similibus particulis, in duos ablativos consequentiæ commutari possunt.

Cicero. Oppressa libertate patria, nihil est quod ampliùs speremus, id est: cùm oppressa fuerit.

Idem. Appropinquante morte, animus multo est divinior, id est, cùm appropinquat.

37. Quoties Nominativo Uni, Duo, vel plura Verba aliqua copula conjunguntur, iis abjectis, Verba in Gerundia vel Participia commutari eleganter possunt.

Cæs. Ad hoc autem incommodum accesserat, quòd Cæsar non modò Imperatorum superiorum exercitum continebat, sed in tertiò quartoq; die procedendo, propiusq; hostem accedendo, castra communiebat, opereq; faciendo milites se circumspiciendi non habebant facultatem.

38. Gerundia in participia ita commutata, ut cum nominibus substantivis sibi junctis, genere, numero, & casu conveniant, gratiora sunt, ac si cum casu sui Verbi efferantur.

Cicero. Nunquam mihi tui colendi aut ornandi voluntas defuit.

Idem. Ut primum mihi potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisi.

39. Formulæ in quibus est Relativum Qui, Quæ, Quod, & Verbum præsentis, præteriti & futuri temporis: venustè ita commutantur, ut Relativum omittatur, & verbum in participium commutetur, ut:

An *Pro:*

Pro: Compara tibi divitias, quæ semper durabunt.

Latinius est:

Compara tibi divitias semper duraturas.

40. Loco verborum, Cupio, Volo, Desidero, Intendo, Debeo, cum particulis Si vel Cum, ornatissimè utimur participio futuri temporis abjectis Si & Cum particulis.

Pro: Si intendis vel cupis scribere carmen succi plenum, Virgilium legito.

Elegantiùs.

Scripturus carmen, succi plenum Virgilium legito.

41. Verba omnia, motum ad locum significantia, variè efferuntur, aut enim cum priori Supino, aut Gerundio, aut Participio futuri temporis commutari possunt.

Hic festinat, ut omnia bona sua profundat.

Festinat profusum omnia bona.

Festinat ad profundendum sua bona.

Festinat ad profundenda sua bona.

Festinat profundere bona sua.

Festinat profusurus sua bona. Harum tamen penultima Græcis, quam Latinis est familiarior.

42. Adjectiva masculina & fœminina in genus neutrum commutata; elegantem formulam constituunt.

Terent. Nihil est periculi, me vide. Pro: nullum est periculum.

43. Vocabulorum propè idem significantium usurpatio, orationis vim & pondus auget.

Vbi tamen hoc observandum, voces eo ordine collocandas esse, ut quæcunq; posterior majorem, quàm quæ præcessit, vim atq; efficaciam habeat.

Cic. Omnibus qui patriam conservaverint, adjuverint, auxerint, certum esse in cœlo definitum locum.

44. Omnis oratio acrimoniam majorem vehementiam, & impetum habet; per interrogationem quàm simpliciter elata; uti

Cic.

Cic. Quid est enim stultius, quàm incerta pro certis habere, aut falsa pro veris?

45. Quando duo quæ paria sunt, dicuntur, particula Tum eleganter geminatur: Si imparia levius per particulam Cùm efferendum & præponendum est, gravius verò per Tum. p. 243.

Odit tum virtutem, tum liberales artes omnes.

Cic. Plurimum valuisse apud me tuam semper authoritatem, cùm in omni re, tum in hoc maximè negotio potes existimare.

Quintilianus. Cum omnium studiorum genere, tùm in hoc præcipuè.

46. Æquè (pro Tam,) Ac Atq; (pro Quàm,) non sine gratia & venustate usurpabunt elegantiæ studiosi.

Cæterùm Ac, Atq; pro Quàm posita præcipuè post has particulas apud bonos reperies authores.

Æquè. *Cicero. Qui æquè atq; ego sunt occupati.*

Idem. Nihil æquè desidero atq; bonam famam.

Alius, Aliter. *Terent. Aliud mihi respondes, ac rogo.*

Salust. Ea res longè aliter, ac ratus erat, evénit.

Contra. *Salustius. Vbi videt Catilinam contrà ac ratus erat, contendere.*

Perinde *Liv. Perinde atq; capta urbe.*

Pro Eo. *Vlp.*

Pro eo habendum est, atq; si nullo jure factum esset.

Similiter, Similis, Dissimilis, ut:

Cic. Neq; verò illum similiter, atq; ipse eram, commotum esse vidi.

Secus. *Cic. Non secus ac si meus esset frater.*

Statim. *Vlp. Iudici eorum, statim atq; factus est judex, omnium rerum officium incumbit.*

Par, Pariter. *Cæsar. Pari spacio transmissus, atq; in Gallia est, in Britanniam.*

Livius. Trucidant fœminas pariter ac viros.

Idem. *Livius. Ipsa re intellectures, nequaquam idem esse, Syracusas ac Leontinos oppugnare.*

JUXTA *Livius. Trucidant inermes juxtà ac armatos.*

47. Superlativis nominibus, ac adverbiis, (Vel) adjuncta particula, venustatem habet maximam, pro Etiam.

Quintilian. Potior mihi ratio vivendi honestè, quàm vel optimè dicendi, videretur.

Idem. Hoc autem uno præstamus vel maximè feris.

Virg. Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

48. Quò pro Quantò, Eo & Hoc pro Tantò; elegantissimè utuntur autores.

Cic. Quò difficilius, hoc præclarius.

Quint. Quò quisq; ingenio minùs valet, hoc se magis attollere & dilatare conatur.

49. Pronomen Qui, Quæ, Quod, eleganter ponitur pro Secundùm, in formulis, quæ Parenthesis formam quandam habent.

Nihil addubito, quin, qua es humanitate, hanc meam voluntatem sis boni consulturus, (id est, pro tua humanitate.)

Cic. Moriar ni, qua tua gloria est, puto te malle à Cæsare consuli quàm inaurari.

50. Quò pro Ut, alias cum comparativo, alias sine Comparativo usurpant autores.

Terent. Adjuta me, quò faciliùs id fiat.

Cic. Quò tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos literis appellato.

47. Ablativus Qui pro Quo aut Quomodo, non inusitatè ponitur apud scriptores.

Cic. Qui potest igitur habitare in vita beata summi mali metus?

Idem. Qui cum amantissimè & conjunctissimè vivebat, (id est, cum quo.)

Terentius. Qui istuc facere Eunuchus potuit.

48. Utpote, Quippe, & Ut particulæ, ante Relativum Qui, Quæ, Quod collocatæ, eruditissimè pro Quia vel Quoniam usurpantur in formulis causalibus.

Quint. Nec ignoro quos transeo, nec utiq; damno, ut qui dixerim, esse in omnibus utilitatis aliquid, (pro quia dixi.)

Cic.

Cic. Lælius quidem frater ejus, utpote qui peregrè depugnavit, familiam ducit.

Col. Quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam convalescit.

49. Elegans quoq; oratio est illa, in qua Relativum Qui, Quæ, Quod cum verbo Est, aut aliis interdum Verbis, omisso antecedente Aliquis, effertur.

Cic. Sunt qui discessum animi à corpore putent esse mortem, (id est, sunt aliqui, qui)

Idem. Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, (id est, sunt quidam, qui mittunt.)

Gell. Misit qui amicos rogarent, (id est, misit quosdam, qui.)

50. Eleganter duo activa Verba uni Nominativo per Conjunctionem copulata, sine copula efferuntur, Verbo priore in participium præteriti temporis mutato.

(Salust. Quem retractum ex itinere parens necari jussit, (id est, quem retraxit & necari jussit.)

Valerius Max. Verberibusq; affectam necari jussit, (id est, affecit & jussit.)

51. Eleganter voce (Malùm) pro adverbio interpositæ indignationis utimur, rem quandam detestandam abominandamque dicturi.

Terent. Quas, malùm, ambages mihi narrare occipit?
Cicero: Quæ nam, malùm, est ista voluntaria servitus?
Livius. Quid, malùm, est Imperantibus nolle parère?

42. Particulæ Quid & Quod ambæ in oratione collocatæ sine ullo medio, mirificā venustatem pariunt. *Vbi patrio sermone dicimus.*

Ja/das noch mehr ist.

Cic. Quid? quod sapientissimus quisq; animo æquissimo moritur?

Idem. Quid? quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur?

53. Formulæ, in quibus vulgò has voces, Propter Quem, Quā, Quod, aut Ob quem, ob quam, ob quod,

 usur-



usurpant, ornatiores erunt, si harum vocum loco, adverbiis Cur, Quare, & Quamobrem utamur.

Cic. Multa mihi veniebant in mentem, quamobrem unum laborem tibi etiam honori fore putavi.

Idem. Neq; adhuc causam ullam excogitare potui, quamobrem commiserit.

Cic. An vobis esse aliam causam ullam putatis, cur in tantis præmiis eloquentia, tam sint pauci, qui in hoc labore versentur?

54. Quando cum verbo Curo infinitivus alicujus Verbi passivus efferendus est, tum is in participium futuri in Dus, eleganter commutatur.

Cic. Funus ei satis amplum faciendum curavi.

Idem. Negotium conficiendum cures.

Valerius Max. In urbem devehendos curaverant.

55. Quis, Quæ, Quod, & casus qui inde nascuntur, cum verbo Nescio collocantur venustè.

Cic. Serpit, nescio quomodo, per omnem vitam amicitia.

Idem. Plus, nescio quo pacto, videtur habere gravitatis.

Terent. Nescio quod magnum malum me celas.

56. Est quoq; dicendi elegantia; cùm Verbum idem, quod in præcedenti clausula ponebatur, per conjunctionem Autem vel Porrò repetitur.

Cic. Quoniam his voluminibus ad te profecta vox mea est, tribues his temporis quantum poteris, poteris autem quantum voles.

61. Pro his: Non est opus, Oportet, Non oportet, vel, Quid est opus? venustiùs dices, Non est quod, Nihil est quod, & Quid est quod.

Cic. De familia liberata, nihil est quod te moveat.

Idem. Nihil est quod me invites.

Idem. Nihil est quod vereare.

Idem. De eruditione ejus quod labores, nihil est.

Horat. Non est quod multa loquamur.

62. Pro: Tamdiu Donec, eleganter dicitur, Tantisperdum, vel Dum.

Terent.